












coll, complet

Emptus Gantzii 22. 9bris 1648 [illegible]

ARS MEDICA,

Succinctè & perspicuè Explicata

AUTHORE

DVNCANO LIDDELIO SCOTO.



Cum Gratia & Privilegio S. Cæs. Maiest.

HAMBURGI,
Ex Bibliopolio FROBENIANO.
ANNO M. DC. VIII.



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI

IACOBO I.

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ Regi, &c.

SI ea una omnium maximè inter cunctas disciplinas humanas jure laudanda, cæterisq; anteponenda sit, quæ operum supra alias admirabilium præstantia, exquisita multiplicium longeq; nobilium & arcanarum rerum scientia, antecellit, cui nisi uni soli medendi disciplinæ palmam tribuemus? cum eius tanta sit dignitas, eaq; gloria, & oculis omnium exposita magnitudo, ut nullius laudibus & commendatione indigeat, sed ipsa sibiipsi suo splendore &

gratia abundè ſatis magnam admirationem apud omnes pariat. Nam ſanitatis & tuendæ & reſtituendæ gratia, divino quodam munere conceſſa eſt medicina; ſanitas autem apta omnium partium humani corporis conſtitutio, vitæ humanæ perfectio, actionumq́ integritas eſt, quâ nihil utilius aut præſtantius, nihil jucundius, aut ſuavius eſſe queat, ſine qua nulla cæterarum rerum voluptas, aut ut in hymno ſuo canit Orpheus, Πάντ' ἐστὶν ἀνωφελῆ ἀνθρώποισιν. *Quod ſi igitur ſalus, vitaq́ ipſa omnibus chariſſima ſit, præcipuum vereq́ divinum donum; neceſſe erit artem, quæ eam præſentem tuetur, conſervat, & labefactatam reſtituit & curat, ac infenſiſſimos vitæ noſtræ hoſtes, morbos, propulſat & depellit; omnium humanarum diſciplinarum præſtantiſſimam, digniſſimam & diviniſſimam eſſe. Quapropter eius originem Græci & Ægyptii Diis aſſcribunt: Syracides uni Deo omnium rerum conditori; eamq́ ſingulari ſtudio ingenioſiſſimi & eruditiſſimi omnium ætatum viri, laudatiſſimiq́ nonnulli Imperatores & Reges excoluerunt. Nam ex cunctis hu-*

manis

manis rebus nil ad Dei potestatem & benignitatem propius accedere videtur, quàm artis medicæ præstantia excellere, & morbis advenientibus obviam ire, invalescentes minuere, & naturæ labenti succurrere & subvenire. Nec in his tantum universa artis medicæ præstantia consistit, sed etiam in exquisita multiplicium rerum cognitione eximia quædam dignitas elucet. Nam cunctas facultates difficultate variarumque rerum cognitione longissimis citra ullam controversiam spatiis vincit; cum angustis finibus circumscripta non sit, nec una aut altera, sed omnium propè disciplinarum consortio, & innumerabilium rerum notitia perficiatur. Non enim boni medici est vulgari rerum cognitioni, fallacibusque nonnullis experimentis confidere, sed in totius naturæ adyta acri judicio & ingenio penetrare, ac primùm elementa, elementorumque transmutationes, variasque permixtiones contemplari, animæ naturam, vires, functiones singulas considerare, admirabilem totius humani corporis fabricam, singularumque partiũ structurã, conformationem, situm, consensum, usum

explicare & tenere; hinc ipsos insensissimos vitæ nostræ hostes, morbos, morborumq́; omniū causas, & accidentia, sive symptomata explicare, accurateq́; dignoscere, & quæcunq; latent in corpore humano manifestare, quæ futura sunt, prævidere & prædicere. Deinde singulis exploratis ut sanitas inculpata conservetur, amissa vel labefactata curetur, morbi causæq́; morborum è corpore submoveantur, præter exquisitam methodi medendi cognitionē, singularem experientiam & prudentiam, requiritur, ut omniū rerum naturas viresq́; quatenus salutares, aut pernitiosæ sunt, acri judicio exploret, & cognoscat; ut herbarū, stirpium, omniumq́; terra nascentium, quadrupedum, volucrum, insectorumq́; species, & qualitates expendat; metallorum, mineralium, lapidum, gemmarum omnium, naturam viresq́; inquirat & examinet; piscium differentias, omnesq́; maris divitias scrutetur & dignoscat: Aëris, aquarum, regionum, ventorumq́; spirantium naturam; mores consuetudinesq́; hominum perpendat, syderum motus, motuumq́; varias vicissitudines contempletur & observet, ex

cælo futuras temporum mutationes, morbosq́; prævideat & præcognoſcat. Quare medico neceſſaria eſt totius naturæ contemplatio, & univerſæ philoſophiæ cognitio, ut ſemel finiam omne quodcunque pulcherrimus hic complexu ſuo coercet mundus, ad hominis ſalutem & incolumitatem prudenter accommodare & referre eum oportet, qui boni excellentisq́; medici nomen dimereri cupiat. Munus pulcherrimum, ſed arduum, multi laboris & induſtriæ, magni ingenii & judicii. Quæ etſi ego in me nullatenus agnoſco, tamen cum à primis annis extra patriam philoſophiæ, ac huic præſtantiſſimæ facultati me totum ferè devoviſſem, & docendo bonam ætatis partem conſumpſiſſem, primùm in aliis Germaniæ Academiis, poſtremò in Academia Julia annis nunc decem & ſeptē ſtipendio Sereniſſimi Principis HENRICI JULII *Ducis Brunſvicenſis &c. omnium literarum & literatorum fautoris & Mæcenatis eximii, mei officii eſſe ſtatui in gratiam ſtudioſæ juventutis exercitationes & lucubrationes nonnullas medicas in publicum emittere, quæ præter meam exſpectatio-*

nem non ſolum ab artis noſtræ tyronibus, ſed etiam à viris nonnullis doctiſſimis comprobatæ, & tanto applauſu acceptæ fuerunt, ut brevi tempore quotquot apud typographum exſtabant exempla, diſtracta ſint. Quare cum non deeſſent, qui novam editionem urgerent; nonnulli viri eruditiſſimi (quorum judicia utinam me falſa ſpe non admodum fruſtrentur) opus aliquod magis abſolutum & locupletatum à me flagitarent, etſi meæ tenuitatis mihi conſcius ſum, mihiq́ ipſi in pluribus non ſatisfacio, neque in me eam induſtriam agnoſco, quæ in tantis tamq́ arduis rebus immenſam judiciorum varietatem & intemperantiam expleat, conſultum tamen eſſe putavi eorum æquiſſimæ petitioni morem gerere. Proinde quæcunque à me prius concinnata fuerunt, retexui, plurima adjeci, quæ non ſatis arriſêrunt, mutavi; atque in iſto opere omni ſtudio & labore conatus fui, præcipua artis medicæ fundamenta à primis naturæ elementis deducere, parteſq́ ejus omnes adumbratione quadam exprimere, ac compendiariam rationem ſeu methodum diſcentibus proponere, perveniendi ad veram medicinam.

Etſi

Etſi autem initio indignum propè eſſe exiſtimaverim, ut hoc opuſculum, aut ullum tam exile minusq́ue elaboratum ingenii monumentum ad Tuæ Majeſtatis manus perveniret, tamen fretus T. M. ſingulari clementia & benignitate erga literas & literarum omnium cultores; confirmatus præterea autoritate & conſilio doctiſſimorum virorum, conſtitui non levibus de cauſis hoc quicquid eſt laboris & induſtriæ Tuæ Majeſtati conſecrare & nuncupare. Quemadmodum enim illi qui diuturna peregrinatione exteras remotasq́ue regiones obierunt, cum in patriam redeunt, rara aliqua & inuſitata ſuis deferre ſolent, & ſi quæ ſelecta & pretioſa videantur, regibus, principibusq́ue potiſſimùm offerre; ita me quoque in patriam redeuntem poſt exactos annos ferè octo & viginti in exterarum regionum Academiis, decet, aut horum conſuetudinem æmulari, aut ſi nil ſingulare rarumq́ue, aut M. T. dignum occurrat, ruſticos aut pauperculos imitari, qui modò pomis, interdum aviculis, aut alio ſymbolo voluntatis ſuæ ſignificationem teſtari ſolent, atque has ingenii mei fruges minimè

raras, aut selectas Tuæ Majestati potissimùm offerre: cui mea omniumq́ue tuorum subditorum studia laboresq́ue omnes meritò servire debent. Nam primùm à Tuæ Majestatis salute & incolumitate tot regnorum dignitas, ac omnium tuorum subditorum salus & incolumitas dependet. Deinde cum amplissima potentia in Tua Majestate conjuncta est summa clementia & tàm erga exteros, quàm subditos tanta beneficentia & benignitas, ut omnium bonorum animos tibi quotidiè devincias. Nec ob has solum regias animi tui dotes te suspiciunt, & admirantur omnes, sed quod in te fulgent singularis sapientia & prudentia, eximia eruditio, & doctrina, omniumquè virtutum ornamenta, eaq́ue jam toti mundo ita nota, ut commemorare & celebrare supervacaneum sit. Ac summus ille regum meritò censeri debet, cæterisq́ue vera gloria prælucet, qui ortus ipse à priscis magnisq́ue regibus, naturæ quadam divinitate & ingenio præditus, recta vitæ ratione confirmatus; pietate, doctrinæ excellentiâ, & optimorum consiliorum copiâ instructus, denique omnibus regiis virtutibus

illu-

illustratus; summa clementia cuncta piis justisq́ legibus moderatur, bonos tuetur, malos ferocesq́ coërcet, ac præ cæteris rebus studia literarum, per quæ religio & pietas, pax & tranquillitas publica conservatur, singulari amore prosequitur, & tuetur, ac insigni munificentia promovet. Nam non alia causa olim summi laudatissimiq́ Imperatores & principes in hoc toti fuerunt, ut literas foverent, & in suo splendore conservarent, Scholas & Academias maximis sumptibus erigerent, quàm ut ipsi piè prudenterq́ singula administrarent; & animos subditorum bonis moribus imbuerent, & ad veram pietatem, omnemq́ virtutem assuefacerent: in quibus universa cujusq́ regni & reipubl. salus & dignitas sita est. Quemadmodum enim stirpes feræ & agrestes cultura mitescunt, & in aliam propè naturam transeunt, ita hominum animi feroces, rudes, barbariq́; literis, doctrina, bonaq́ educatione mites, humani, & ad pietatem, omnemq́ virtutem, ac debitum in magistratus obsequium, proclives & idonei efficiuntur, sublatis verò liberalibus disciplinis, honestaq́ educatione ad ferociam,

&

& inhumanitatem statim vergunt, & necessariò ruunt. Huius rei, ut peregrina omittam, apertißimum luculentißimumq́; testimonium & exemplum habemus in Insulis Hebridibus, & conterminis Britanniæ, Hyberniæq́; populis. Cum enim non multis interjectis annis à temporibus Apostolorum religionem Christianam bonarumq́; literarum studia suscepissent; invalescente primùm persecutione Decii Diocletiani, aliorumq́; Imperatorum adversus Christianos, deinde post Theodosium Magnũ vastatis paßim alibi Ecclesiis & scholis, extinctisq́; omnibus ferè literarum studiis, bellorum rabie gentiumq́; aßiduis migrationibus & incursionibus, hûc quasi in asylum pii doctiq́; magno numero confluxerunt; itaq́; hic pietatis christianæ optimarumq́; literarum studia, nulla philosophiæ parte omissa, ita floruerunt, ut Scotis illis monachis aliquot subsequentibus seculis nil sanctius, nil eruditius fuerit. Nam in Hy Insula, teste Beda, quæ nunc Jona existimatur, & alibi quoque cænobia illius ætatis celeberrima, aut scholæ apostolicorum virorum fuerunt, ad quas, ut hodiè ad optimè

consti-

constitutas Academias, ita ex remotissimis regionibus innumeri pietatis & eruditionis studio undiq; confluxerunt: ex quibus prodierunt S. Columbanus, Gallus, Kilianus, Ardanus, Florentius, Fridelinus, ne sim longior, integra examina sanctissimorum & eruditissimorum virorum; greges philosophorum, qui per universam ferè Germaniam, Gallias, vicinasq; omnes Europæ provincias, religionem Christianam summa devotione, multaq; eruditione propagarunt, Ecclesias seminarunt, omniumq; propè disciplinarum scholas aperuerunt, vitamq; Christo donârunt, ac tantam sui admirationem concitârunt, ut laudatissimi reges non aliundè, quàm ex Britannia, Insulisq; illis Britannicis, pios eruditosq; doctores petierint. Unde Carolus Magnus fundaturus Academiam Parisiensem ab Achaio Scotorum Rege, præter alios, Mailrosium & Clementem impetravit; qui primi Parisiis philosophiam bonasq; literas docuerunt. Sed statim pòst diuturnis bellorum cladibus, & Norvegorum incursionibus, assiduisq; seditionibus, scholæ illæ vastatæ, funditusq; deletæ fuerunt;

hinc

hinc restinctis pietatis literarumq; studiis, sublatisq; omnibus liberalibus disciplinis, secuta sunt in illis locis tempora multò infeliciora; atq; ipsæ regiones hanc tuam salutarem opem, præsensq; auxilium multis seculis desiderârunt; nunc verò summa spe foventur, gaudioq; exultant, & tibi pro meritis gratias agere gestiunt. Quod si igitur pro solita benignitate & clementia perrexeris, non solum cuncta piis, justisq; legibus moderari, sed etiam literarum studia in suo splendore conservare & augere, illamq; pietatis & eruditionis gloriã multis seculis in nonnullis regnorum tuorum partibus extinctã resuscitare; non modò Deo gratißimum officium præstabis, sed etiam tua florentißima regna, virtute, gloriâ, omniumq; bonorum affluentiâ illustrabis, ac docti quoque certatim tuas regias dotes, eximia planeq; divina merita, & singulare in Ecclesiã totamq; rempubl. literariam studium perpetuò celebrabunt, summisq; laudibus in cælum efferent. Sed ut revertar, undè digressus sum, à Tua Maiestate submiße nunc peto, ut hoc debitæ subjectionis & observantiæ meæ μνημόσυνον serena fronte, tranquilloq; animo

susci-

ſuſcipiat, & iſtam primam operum meorum medicorum partem ſub patrocinio nominis ſui in lucem prodire ſinat: cuius voti, ſi me compotē M. T. reddiderit, calcar mihi inpoſterum adjiciet accelerandi cæteros ingenii mei fructus, modo vitæ uſuram mihi Deus omnipotens indulſerit: quem toto pectore oro, ut Tuam Maieſtatem cum tota regia domo diutiſsimè incolumem conſervet, ſuaq; benedictione coronet, ac heroicarum tuarum virtutum laudem ſempiterna gloria florentem cumulatè adaugeat, ut ſub tuo præſidio & imperio feliciſsimo, vera religio, juſtitia, literarumq; ſtudia perpetuò floreant, regna tua ſarta tecta maneant, & pietate, omniumq; virtutum ſplendore cæteris præluceant.

Tuæ Maieſtatis obſequentiſsimus

Duncanus Liddelius
Aberdonenſis Medicinæ Doctor.



ARTIS MEDICÆ
LIBER PRIMUS:
Continens introductionem in totam Medicinam.
DE MEDICINÆ DEFINITIONE & principiis.
CAPUT I.

SCitum Galeni est lib. I. de usu partium: Omnibus animantibus aptum à natura animæ moribus & facultatibus corpus esse: Bruta autem sua munimenta & operimenta à natura tantum habere, & in quos usus animæ suæ facultates sunt destinatæ, sine doctore præsentire, ac naturali quodam instinctu suas operationes exercere; Hominem verò ut corpus nudum: ita animam omnibus illis naturalibus artibus destitutam, sortitum esse; Verùm pro nuditate, manus omnium artium organa, quibus corpus munire & tueri queat; pro naturali imperitia, rationem, qua disciplinarum omnium capax efficitur, illisq; habitibus & disciplinis informatur, quibus non modò brutis imperat, sed etiam à brutali sorte ad divinam vitam quàm proximè accedit.

Disciplinæ autem illæ, quibus anima humana potissimum perficitur, sunt triplices: Aliæ enim in nuda veritatis cognitione consistunt, quæ à Gal. artes contemplativæ vocantur: Nonnullæ in praxi occupatæ sunt, & vitam moresq; dirigunt: Cæteræ in ποιήσει sive effectione, quæ corporis necessitatibus potissimum destinantur, ut artes propriè dictæ. *Disciplinarum divisio.*

Deinde inter disciplinas effectivas magna dissimilitudo est. Quædam enim certis duntaxat operationibus perfunguntur & opus non relinquunt, ut ars saltatoria, &c. quæ practicæ minus proprio nomine à Galen. dicuntur: Aliæ operatione sua id, quod prius productum fuit, acquirunt, ut Piscatoria, venatoria, quæ κτητικαὶ ob id vocantur: Nonnullæ ex operatione sua certum opus post se relinquunt, & vel aliquid integrum, quod prius non erat, efficiunt; vel ex parte vitiatum corrigunt, quæ speciali nomine ποιητικαὶ à Gal. 1. & 2. c. de Const. art. & ad Thrasyb. de san. c. 30. vocantur. Harum omnium disciplinarum effectivarum non eadem perfectio est, nec eadem ratione (teste Averrho. in Cant.) addiscuntur. Nam aliis, ut addiscantur, exercitatio seu operatio sufficit, ut in fabrilibus similibusq; artibus evidens est. Aliæ præter exercitationem certas demonstrationes & definitiones exigunt, quibus actio dirigatur, quæ artes digniores perfectioresq; meritò æstimantur. In harum numero est Medicina artium præstantissima, cui, teste Porphyrio, sese omnis sapientia debet, ac in illarum quoq;, quæ aliquid novi non faciunt, sed ex parte vitiatum corrigunt.

Tria primùm in omni arte considevanda. Operantur omnes effectivæ artes in materia finis alicujus gratia. Quare in iis primùm considerãda erunt, 1. Subjectum in quo operantur. 2. Finis cujus gratia fit operatio, qui subjecto introducitur, & ex operatione sequitur. 3. Instrumenta, modusq; operandi, quæ omnia in arte Medica occurrunt.

Medicinæ subiectum Finis. Nam subjectum Medicinæ in quo operatur, est corp⁹ humanũ, non absolutè, sed quatenus sanabile. Finis Medicinæ propositus est sanitas: causa à quâ, functionum integritas, quam eatenus solùm Medicus considerat, quatenus vel præsentem in corpore humano conservat, vel absentem restituit. Instrumenta Medicinæ varia sunt, & modus operandi unus

nus non est. Officium n Medicinæ est, apposité curare gratia sanitatis tuendæ restituendæq; Nam curationem laté nunc accipio, & curare hic voco nõ solùm quæ noxia sunt in corpore actiones lædentia, submovere, qua significatione curare à Galen. com. in 22. Aphor. secundi, & 8. Methodi, propriè accipitur, sed etiam omnia mala quæ instant præcavere, ac in summâ, quæ deficiunt in corpore addere, quæ redũdant subtrahere. Unde ab Hipp. lib. de flat. Medicina adjectio subtractioq; describitur. Verùm eo Medicina à cæteris artibus differt, quòd maximâ ex parte naturæ operãti subministret, & in operatione, naturæ motũ respicere debeat: unde Medicus naturæ minister dicitur, atq; etiã corrector, quòd nonnulla interdũ efficiat quæ naturæ possibilia nõ sũt. *Officium.*

Quare ante omnia Medicus corporis naturam, omniaq; principia & causas, intelligere debet, quib⁹ nõ modò sanitas conservatur & immutatur, verùm etiam ipsum corpus humanum cõstituitur. Proindè autor libri, qui Medicus inscribitur, triplicia Medicinæ principia esse dicit: Inventionis, constitutionis, & interpretationis. Inventionis primum & antiquissimum principium fuit experientia. Redigendi verò in artis constitutionem & perfectionem, ratio & experientia. At interpretationis & demonstrationis singulorum, naturalis speculatio. Nam à naturæ consideratione auspicari, & à Physicâ, prima principia & omnium demonstrationũ fundamenta accipere Medicus debet Artifex enim ut artifex sua principia non demonstrat: sed assumit, ubi sunt demonstrata: quo nomine Medicina Physicæ subjicitur. Assumit autem Medicus à Physico corpus humanum, principia, causas, & accidentia ejusdem: sed differunt ab invicem, quod Physicus ea absolutè, ut entia naturalia sunt, tantum cõtempletur: Medicus verò catenùs tantum cognoscat, quatenus *Principia Medicinæ.*

inserviunt ad morbos pellendos & sanitatem conservandam, ut testatur Gal. de San. ad Thrasyb. c. 28. 29. Verùm his Physicæ principiis, & solius rationis ductu Medicina absoluta non fuit: sed subindè, aliorum pernicie aliorum salute, perniciosa à salutaribus discernente, experientia usum & vires multorum medicamentorum, aliaque non pauca, subministravit & primam inveniendæ Medicinæ occasionem præbuit.

Definitio Medicinæ.

Ex his omnibus quæ dicta sunt, apparet, quòd Medicina sit *ars ποιητικὴ effectiva, experimento & ratione sanitatem in corpore humano conservans, & morbum omnem sanabilem removens.* Dico *effectivam*, quòd vocabulum artis à Galeno aliisquè pluribus plerumque communiter sumatur: & non solùm disciplinis effectivis quibus propriè convenit: sed etiam theoreticis & practicis tribuatur. Verùm (ut Gal. 1. de const. art. c. 1. & 2. ad Thras. c. 30. demonstrat) Medicina non est ars contemplativa nec practica: sed propriè effectiva, ut supra diximus. Deinde dico, *In humano corpore*, propter veterinarios, & eos qui curam animalium suscipiunt, quæ ab officio Medici aliena sunt, & diversa considerasione indigent. Præterea annectitur, *Morbum sanabilem removens*, propter eos qui à morbis victi sunt. Nam (ut scribit Hipp. lib. de arte) omnia mala corporis Medicina non tolluntur. Cum enim Medicus naturæ minister sit, iis succurrere non potest, nec manum temerè admovere debet, qui à morbis planè victi sunt. An verò victi sint, Medici est intelligere. Nam, (ut docet Gal. 3. Meth. c. 2. artis etiam opus est scire, an sanitatem, id scilicet quo tendis, sperare debeas: Quòd si nequeas, (ut admonet 1. Prognosticorum Hipp. ægri prognosticis sunt potissimum relinquendi. Quarto additur, *Ratione*

&

& experimento, quæ duo instrumenta & principia sunt, quibus salubria eligimus & insalubria vitamus: quibus etiam Medicina Rationalis sive dogmatica, omnium perfectissima ab Empirica, & Methodica distinguitur.

De Sectis Medicorum.

Caput II.

Constat ars medica ex coacervatione dogmatum verorum sese mutuò consequẽtium, & ad finem medicinæ tendentium, de quibus non consentiunt medici, ideoq; ex dogmatum diversitate in varias Sectas divisi sunt. Est enim Secta secundum medicos consensus multitudinis in doctrina, sive in coacervatione dogmatum, quæ ex certis principiis se mutuò consequuntur aut consequi putantur. Ex triplici autem dogmatum diversitate tempore Galeni tres Sectæ medicorum fuerunt, Empirica, Methodica, & Rationalis, quæ per excellentiam Dogmatica appellatur. quibus accessit hoc seculo quarta nõ spagyrica, quæ artificiosa medicamentorum præparatione illam medicinæ partem, quæ φαρμακοποιητικὴ dicitur, auxit: variisque egregiis remediis Dogmaticam instruxit, sed Paracelsistica à Philippo Theophrasto Paracelso, qui rejectis veterum rationibus, principiis & causis evidentissimis, nova principia novasq; causas & qualitates excogitavit, & in medicina Monarchiam affectavit, novamq; Sectam constituit diversam à veterum Spagyricorum, Avicennæ, Gebri, Rhasis, Villanonani, & aliorum, qui omnes Dogmatici fuerunt, Hippocratis & Galeni Sectatores: assumptis principiis & fundamentis, primùm ex operationibus & effectibus Spagyricis,

Quid Secta secundum medicos.

Quatuor Secta medicorum.

I. *Secta Paracelsistica.*

ricis, in quibus exercitatissimus fuisse videtur: Deindè ex similitudine & cõcordantia partium & transmutationum in toto mundo, & in homine: tertiò ex Magorum veterumque nonnullorum Philosophorum opinionibus: atque ut fidem quoque faceret nonnulla sententiis sacrarum literarum confirmare studuit. Undè non solùm medicinam, sed etiam omnem veterum Philosophiam convellere, & pro iis novam quandam philosophiam & medicinam substituere conatus fuit. Nam primùm medicinam non pro arte, sed pro medicamento propriè accipit: & ex medicina medicum fieri, & in medicinæ natura, omnem medici scientiam, artem, theoreticam, practicam consistere arbitratur. Medicinam autem definiunt Paracelsistæ essentiam quãdam in natura collocatam depromptam ex materia vegetabilium mineralium & animalium, quæ arte Spagyrica debitè præparata, & ab impuritatibus separata humani corporis morbos auferre potest. Separatis verò impuritatibus explicantur & manifestantur tres primæ substantiæ ultima cujusq; rei materia, quæ Sal, Sulphur, & Mercurius ab iis vocantur. Existimat Paracelsus primùm ex his tribus constare non solùm res cæteras totius universi, sed etiam hominem, quoad corpus Physicum. Deindè ex illis omnia bona & mala, sive sanitatem & morbos habere; Sanitatem autem si hæc tria in unum corpus cöeant, planeque consentiant; morbum verò oriri, si dissolvantur & quasi rupto fœdere unum eorum à cæteris, aut omnia tria inter se dissentiant: quod fit quando ab astro virilia aut astralia redduntur, sive in exaltationem deducuntur, ubi Sal resolvitur, calcinatur, reverberatur; Mercurius destillatur, sublimatur aut præcipitatur; Sulphur accenditur, coagulatur, resolvitur &c. Causam autem efficientem ens & astrum plerumq; vocat,

Paramiri lib. I. c. I.
Definitio medicinæ.
Severinus in Idea c. 2.
Quercetanus in præfatione lib. de priscorum medicina.
Paramir. lib. I. c. 2.
Labirinthus Medic. c. 4.
Quid Sanitas & morbus.
Libr. de tribus essentiis c. 5.
Paramir: lib. 2. c. 4. 5. 6.
Prima genera morborum
Lib. de entibus morborum.

Sublimatur.

vocat, ac entium quinq; præcipua genera ponit, ut ens astrale, ens naturale, ens veneni, ens spiritale, ens deale. Quare concludit verum medicū debere in omnibus corporibus trium primorum compositionē, statum, & dissolutionem scire, & primùm in majori mundo omnia probare arte spagyrica, igne, qui res occultas in lucem profert. Deindè accommodare totam majoris mundi dispositionem Microcosmo, & in homine (ut sanitas & morbi intelligantur & curentur) considerare omnia omnium creaturarum genera, species, motus, motuumquè omnium vicissitudines & leges. Nam pro confesso accipit hominem Microcosmum dici, quia reipsa secundum speciem in se complectitur, quæcunquè in toto mundo continentur, nimirùm elementa (quæ matrices & nuda receptacula vocat) & quæ elementis continentur sydera, meteora, mineralia metalla &c. ac etiam omnes eorum mutationes & causas, ac proindè artem medicam & philosophiam unam scientiam esse. Deindè corpora omnia ex tribus constare, Sale, Sulphure & Mercurio, & in ea resolvi. Tertiò generationes & transmutationes omnes à semine fieri ope spirituum. Nā in semine continere putat spiritus mechanicos & tincturas universæ Anatomiæ suæ speciei, ac semen singula administrare prædestinationes & officia motuumq; leges distribuere: Spiritus verò corpora astralia & invisibilia, functiones omnes & transmutationes perficere, inter se contrarios esse, pugnasq; excitare &c. 4 Corpora generari, si semina digestis temporibus ex Abysso elementorum præcedentia, sibi ex cōsentaneis principiis novum corpus fabricent: Corrumpi si deposito illo corpore rursus sese in eundem abyssum recondant. 5 Secretione consentaneorum principiorum corpora ex corporibus nasci, illaq; omnia actu elementis inesse, quæçunquè

Causæ morborū. Paramir: lib. 1. cap. 1. 2. Paragrani lib. 1. Tract. 1. Labirinthus Med: c. 11. Fundamenta Secta Paracels: Paragr: lib. 1. Tr. 3. Labirinthus med. c 3. 4. Libr. de Tartaro cap. 12. De modo Pharm: Tr. 2. De meteoris c. 1. Labirinthus Med: c. 5. 8. 10. Libr ad Atheniens. c. x.

alimentis

Labirinthus c. 5. 3. De modo Pharm. cap. 3. Paramir. lib. 1. c. 2. De gradib⁹ medic. lib. 2. cap. 3. 4. Paragrã. lib. 1. Tr. 3 Labirint. c. 5. 10. Paramir: lib. 1. c. 12. Archidox: lib. 1. De modo Pharm: Tract. 1. Labirinthus med. c. 9. Li. de trib essent. c. 5. Labirinthus c. 11. Paragr. lib. 1. Tr. 2 Lib. de Tartaro cap. 15. Labirinthus c. 10.

in corpore ex alimentis oriuntur. 6. In Microcoſmo non alias quàm Macrocoſmo mutationes ſecundum aut præter naturam exiſtere, nec alias illarum mutationum omniumq; effectuum (veluti ſanitatis & morborum) cauſas. 7. Doceri debere quid in homine ſit, non ex homine ſive in humano corpore, ſed ex majori mundo certa experientia arte chymica per ignem ſingula examinando & reſolvendo in ultimam materiam. 8. Vires medicamentorum aſſcribendas non eſſe qualitatibus evidentibus, quæ rellolaciæ ſterileſq; ſignaturæ ſunt, & accidentia innata ſolius corporis medicamenti gratia, in quibus nulla confluentia eſt cũ aſtris morborum, ſed proprietatibus conſubſtantialibus naturæ cheirioniæ ſive arcanis viribus, in quib. ſcientia & prædeſtinatio ſanationis viget. 9 In omnib⁹ corporibus venenum parteſq; inutiles excrementitias & noxias reperiri, quas ut Vulcanus naturæ, aut Archeus arte chymica ope ignis ſive caloris nativi ſeparat (quemadmodum in nutritione animati corporis apparet) ita verus medicus imitator naturæ eodem artificio medicamenta à prima materia ad ultimam deducere, & venenum omnequè inutile ab utili veraq; medicina ſeparare debet. 10. In ſpiritu veram medicinam eſſe, non in corpore medicamenti. 11. Similibus (quæ eandem ſignaturam veræq; Anatomiæ concordantiam habent) ſimilia curari, ut morbos mercuriales mercurio, ſulphureos ſulphure, ſalinos ſale &c. 12. Medicinam dirigendam ſemper eſſe contra hoſtem, ſive proprietatem aſtrorum veluti in tartari generatione ſpiritum ſalis coagulationis cauſam vincendum eſſe, ne amplius coagulare queat &c. 13. Tandem ſingulas res ſuis formis & imaginibus præditas eſſe, in quibus illarum vera Anatomia ſita eſt docens conjungere, quæ conjungenda ſunt. Nam ubi medicinæ

Ana-

Anatomiam cognoverit medicus, discet Anatomiam quoque morborum, ac unà reperiet concordantias eorum, quæ cognata sunt, & conjungi debent. Igitur quod prodest matrici, id præditum est matricis Anatomiâ, ac in hoc quoque omnium morborum illius Anatomia continetur. Quarè ut veteres illi methodici Sectam suam definierunt cognitionem evidentium communitatum, ita Paracelsistæ suam quoq; definire poterunt cognitionem concordantiæ Microcosmi cum Macrocosmo. Attamen fatetur Paracelsus cum Dogmaticis se experientia & ratione niti, licet morbos, causas & Symptomata plerumq; confundat, & methodum medendi cum indicationibus more Empiricorum rejiciat, quo uno Empiricum se esse probat. Deinde aut cum experientia rationem confundit, aut consistere solùm putat in nuda similitudine & concordantia rerum. Nam libro de Physiogn: medicinam nil aliud esse asserit, quàm experientiam: & lib. 1. Paragran: morbos à remediis discendos, & juxta remedia distinguendos: lib. 1 Paramir. duplicem esse nostram cognitionem, unam quam nostro ingenio habemus audiendo & legendo, sed hanc medicum non facere; alteram quam experientiâ addiscimus; quæ duplex illi vicissim est; una fortuita, error & fallacia: altera certa, medici unicum fundamentum & magister, quam arte chymica ex igne tantum discit: Hac experientia absolvitur medicus, & inveniuntur tres primæ substantiæ cujus sunt naturæ, proprietatis & conditionis per totum mundum in omnibus creaturis; hinc propter concordantiam in homine. Nam docetur homo ex majori mundo non ex homine. Deindè medicina & id cui medetur eodem modo cognoscuntur cum eadem utriusquè sit Anatomia. Ex hac concordantia oritur perfectio medici, cognitio morborum unà cum in-

Lib. de Physiogn. morb. c. 1. Lib. de signatur. rerum. De persicaria. Paramir. lib. 1. c. 5.

Paragrã. lib. 1.

Lib. 1. Paragran. Tr 1. De Physiogn morb. cap. 1. Libr. de podagra.

ventione veræ medicinæ, quâ abſolvitur curatio. De hac Secta deque Paracelſi philoſophia & medicina peculiari tractatu Deo favente dicemus.

II. *Empiricorum doctrina.* Qui ab experientia Empiricos ſe vocarunt, poſthabita omni indicatione, & rejecta corporis humani, cauſarum internarum, & facultatum cognitione, quæ omnia illis incomprehẽſibilia erant, ſolam obſervationem & experimentorum noticiam ad ſalubria eligenda, & inſalubria vitanda ſufficere iudicarunt. Ad curationem verò triplici experientiæ genere utebantur: quorum primum caſu, alterum conſultò agentibus obvenit, tertium, cum id imitantur, quod fieri viderunt: hoc genus imitatorium artem eorum maximè conſtituit. Nam talium memoriam præcepta eſſe dixerunt, & congeriem ejuſmodi præceptorum Medicinam; qui verò ea congeſſit Medicum vocarunt: Ac ſemper quod quiſque congeſſit *αὐτοψίαν*, quam definierunt memoriam eorum, quæ ſæpe ejuſdemque modi viſa ſunt: Idem quoque experientiam nominarunt, ejuſquè narrationem, hiſtoriam. Quod enim ei *αὐτοψία* eſt à quo aliquid obſervatum fuit, idem alteri eſt hiſtoria qui illud didicit. Hiſtorias autem ſive aliorum experimenta didicerunt & deſcripſerunt imitationis gratia, ut in omnibus morbis remediis abundarent: Nam uni Medico impoſſibile videtur in omnibus ægris concurſum ſignorum obſervare. Quia autem evenerunt ſæpe affectus incogniti, quorũ explorata illis non erant remedia, inſtrumentum excogitarunt, tranſitum ad ſimilia.

III. *Methodicorum doctrina.* Qui verò à compendiaria artis ratione ſeipſos falsò nomine Methodicos vocarunt, ſolis evidentibus communitatibus utebantur, rejecta experientia, contemptâque loci affecti, cauſarum, facultatum, & ſimilium cognitione, ſolam indicationem

quæ

quæ ab affectu sumitur sufficere ad curationem existimarunt. Proindè sectam suam cognitionem evidentium communitatum finem Medicinæ sequentium definierunt, satisquè putarunt communia quædam morborum intueri, quorum tria genera statuerunt: Duo simplicia: unum astrictum, alterum fluens, & tertium ex his compositum: Deinde, utilem indicationem in astrictis laxationem, in fluentibus adstrictionem, in mistis verò, ei quod maximè urget occurrendum. Atque ita non verbotenus solùm ab aliis sectis discreparunt: sed novandi etiam studio aliqua immutarunt, & multa ut aliena & superflua rejecerunt, eamq; maximam Methodicæ sectæ virtutem esse gloriati sunt. Quare Hippocratem, qui vitam brevem artem longam dixit, reprehendunt: rem enim omnem contra se habere affirmant, ut brevis illa sit & vita longa. Demptis enim quibus ars juvari falsò putatur, & observatis morborum communitatibus nec longam Medicinam esse nec difficilem, quæq; sex mensibus disci omnis celerrimeq; possit: ut de illis testatur Gal lib de sectis.

Tale est artificium Ramistarum in cunctis disciplinis.

IV. *Medicina dogmatica.*

Verùm Dogmatica sive rationalis Medicina inter has duas sectas medium quodammodò tenet. Nam rationales medici neque omnia utilia ex observatione deprehendi dicunt, quemadmodum volunt Empirici, neque rursum omnia ex indicatione, ut statuunt Methodici, sed nonnulla ex observatione: veluti deleteria & nonnullorum medicamentorum vires: aliquâ ex indicatione ea videlicet quorum causæ reperiuntur. Causæ verò ut causæ sensui evidentes non semper sunt, sed ratione plerumque judicantur: Quare cum experientia rationem conjungunt & naturæ cognitionem, unde rationales vocantur, ac ad curationem necessariam esse demonstrant, cognitionem non modo reme-

dio-

diorum sed etiam causarum tàm latentium quàm evidentium & signorum. Item corporis totius, loci affecti, partium singularum, & facultatum. Præterea regionis, aëris, ætatis, sexus, cæterarumquè circumstantiarum: ut videre est apud Gal. in libris de Sectis, de Opt. Secta. Item, Meth. Med. &c. De hac dogmaticâ medicinâ ex monumentis Hippocratis, Galeni, aliorumq; principum Sectæ hujus in hoc opere potissimùm agemus, & primùm de partibus medicinæ Dogmaticæ in genere, deindè de singulis in specie.

DE PARTIBUS MEDICINÆ.

CAPUT III.

Partes Medicinæ.

CUM finis Medicinæ sit sanitas, quatenùs eam vel præsentem in corpore conservat, vel absentem restituit, ut supra demonstratum fuit; duæ propriissimæ & primariæ Medicinæ partes erunt, ad quas cætera quæ in Medicina proponuntur tendunt: Quas Galenus primò de San. 1. c. 1. & ad Thrasyb. de San. c. 30. primas & maximas vocavit.

Principales Medicinæ partes duæ.

Una ὑγιεινὴ aut φυλακτικὴ quæ sanitatem in corpore tuetur & confirmat, ac ab imminentibus malis conservat. Altera θεραπευτικὴ, quæ appositâ remediorum administratione dextroque usu humanum corpus à morbis liberat, & sanitati restituit. Quia verò nec sanitas conservari, nec morbus è corpore submoveri à Medico ritè poterit, sine ipsius subjecti corporis, partium, facultatum, & similium, quæ à natura corpori humano insunt consideratione: deinde sine morbi & sanitatis cognitione, differentiis, causis, & accidentibus: Præterea nec hæc, sine signis, quibus etiam, eventum morbi,

morbi,& quid de ægro ſit ſperandum Medicus præcognoſcit. Proindè præter illas duas partes principales,quæ in operatione cõſiſtunt,(unde à nonnullis,practicæ, ab aliis factivæ nominantur) ad artis Medicæ conſtitutionem aliæ tres partes requiſitæ erunt; quas, quia per ſe ad opus non tendunt, ſed potius cognitione ſua duabus partibus principalibus inſerviunt,theoricas nonnulli vocarunt: nimirum, φυσιολογικὴ, παθολογικὴ, σημειωτικὴ. Eſt autem φυσιολογικὴ, ut hîc intelligitur, non omnis rei naturalis in Medicina cognitio,ſed ſolius humanæ naturæ, & eorum quæ ſecundum naturam homini inſunt, conſideratio : qualia ſunt ſeptem illa quæ res naturales dicuntur : ſcilicet Elementa,temperamenta,humores, ſpiritus, partes, facultates & quæ à facultatibus proficiſcuntur actiones, & uſus. Deinde παθολογικὴ,quæ αἰτιολογικὴ quoque dicitur,eſt accurata eorum explicatio, quæ præter naturam corpori humano inſunt: talia ſunt tria: Morbus,morbi cauſa,& ſymptoma. Tertiò σημειωτικὴ eſt,quæ ex ſignis non ſolùm de præſenti & præteritâ conſtitutione cauſiſq; ejuſdem judicat,ſed etiam futurum morbi eventum præcognoſcit. Quare totius Medicinæ quinque partes erunt,quibus omnia artis Medicæ membra continentur. *Tres minus principales.*

An verò duabus illis partibus principalibus à fine ſumptis, tertia addi debeat,quæ neutris conveniat, dubitari poterit? Nam ſanitatis magna latitudo eſt, & inter ſanitatem & morbum, medium ſive neutralitas quædam eſt, eaquè duplex potiſſimùm, una decidentiæ, quando ſcilicet corpus in termino ſanitatis exiſtens ſemina quædam morbi concipere incipit, ut facilè cauſarum progreſſu in morbum labatur: altera convaleſcentiæ, quando ex morbo in ſanitatem tendit. Utriuſque cura Medico incumbit: *An pars aliqua Medicinæ debeatur neutrum*

bit;

bit: & huic refectio aut resumptio, illi præservatio convenit. Verùm cum neutra constitutio sit quæ actiones producit, vel non satis firmas, vel leviter offensas, vel cujus occasione corpus nunc morbo, nunc sanitati subjicitur: si sensibilis actionum sit læsio, ad θεραπευτικὴν: si verò actiones satis firmæ non sint, sed sine sensibili læsione, ad ὑγιεινὴν illa neutrius constitutionis cura refertur. Corrigit enim magna & evidentia vitia θεραπευτικὴ: parva & minùs sensibilia, ὑγιεινή. Nihilominus præservatio quædam est, quæ soli therapeuticæ debetur in morbis qui adhuc fiunt, & à causa foventur, quæ simplex non est: sed cum curatione propriè dicta conjungitur. Nam curatio propriè quantum morbi genitum est tollit: præservatio viribus consulit & progressum causarum nocentium impedit. Gal. 22. Aphor. 2. & 9. Meth. c 13. Quod si igitur valetudo intra limites sanitatis contenta sit, omnis ejus cura ad ὑγιεινὴν sive φυλακτικὴν referenda erit, quæ à subjecta materia in tres species subdividitur. Nam sanum corpus triplex est: primò sanum κατὰ σχέσιν: 2. κατ' ἕξιν 3. δεκτικὸν Gal. ad Thrasyb. cap. 30. 40. Quare una pars Medicinæ salubris, *Divisio ὑγιεινῆς.* δεκτικὴ dicitur, quæ perfectè valētem accipiens, in eo hoc ipsum gradu conservat. Altera nomine generis ὑγιεινὴ vocatur, quæ sanitatem in habitu & inculpatam, sed non perfectam, tuetur & confirmat: Tertia ἀναθρεπτικὴ refectrix dicitur, quæ valetudinem, non satis firmam & in habitudine solùm accipiens, ad meliorem statum perducit, aut saltem à morbo defendit. Hæc majora gravioraque mala, quàm cæteræ duæ corrigit: & sub ea contineri poterunt illæ partes quæ neutrius constitutionis esse dicuntur: nimirum, ἀναληπτικὴ, quæ à morbis jam libe-

liberatos reficit: Deinde quæ facultatem huic oppositam habet προφυλακτική ut supra diximus; Tertiò γερωκομική, quæ senum curam suscipit, qui licet non ægrotent, firmâ tamen valetudine non utuntur: Præterea ἐπανορθωτική quæ corpora & mēbra debilia, morbo nondum detenta, paulatim corrigit & reficit. Gal. de Opt. Secta. cap. 4.

Materiæ auxiliorum, sive operationum Medicarum instrumenta tria potissimum sunt: Primò, Diæta, quæ comprehendit considerationem & curam sex rerum non naturalium: eæ autem sunt: Aër, cibus & potus, excreta & retenta, motus & quies, somnus & vigilia, animi pathemata: Secundo loco sunt Medicamenta propriè dicta: Tertiò manuum operatio sive administratio.

Materia auxiliorū duplex.

Ex ista operationis & instrumentorum diversitate tota practica Medicina in tres species dividitur: Quarum prima est διαιτητική, quæ adhibitâ consideratione sex rerum non naturalium vnicuique, certam vivendi rationem præscribit: Huc etiam refertur Gymnastica, non illa athletarum, sed veterum, cujus meminit Plato. Secunda, est φαρμακευτική, quæ apto & convenienti Medicamentorum tàm simplicium quàm compositorum usu morbos è corpore tollit, & pristinam sanitatem restituit. Sub hac natura, vires, & usus omnium medicamentorum continentur, ac etiam illa artificiosa ratio, præparandi medicamēta in usus medicinæ; sive ea fiat vulgari & usitato modo, sive arte spagyrica, quæ uno nomine φαρμακοποιητική dici poterit. Tertium est χειρουργική, quæ, manuum administratione imponendo, secando, urendo, & similibus, corpori affecto medetur. Quia verò cōmodâ victus ratione, non solùm sanitas conserva-

Partes practicæ Medicinæ tres.

tur, ſed etiam morbi non rarò ſanantur, tàm θεραπευτικὴ quàm ὑγιεινὴ ſuam διαιτητικὴν poſtulare videtur. Verùm ὑγιεινὴ commodâ victus ratione potiſſimum abſolvitur, quare διαιτητικὴ ei primariò tribuitur, & cognitio ſex rerum non naturalium, quæ cauſæ ſalubres, circa quas ars conſervativa ſanitatis verſatur, à Gal. cap. 85. art. Med. dicuntur. Nam ubi modum ſervarint in qualitate & quantitate, ſalubres ſunt: ubi ab hoc modo receſſerint morboſæ efficiuntur. Chirurgia verò & φαρμακευτικὴ propriè ad θεραπευτικὴν referuntur: nihilominus in his penè omnibus, mutuas operas ſibi θεραπευτικὴ & ὑγιεινὴ præſtare videntur. Poterit Medicina aliter quoque, idquè non incommode dividi, ut Gal. de Opt. Secta. cap. 4. admonet: dummodò nullum ejus membrum omittatur, omniaquè unum illum finem in Medicina reſpiciant. De his partibus legitimo ordine & methodo dicemus, ſi prius demonſtratum fuerit, quid & quotuplex ſit methodus, ac quâ methodo ars medica proponi debeat.

DE METHODIS.

CAPUT IV.


Ut ea omnia, quæ in arte medica traduntur, ritè proponi & accuratè intelligi queant, certa methodus requiritur nam ut ſcribit Galen. 1. Meth. cap. 4. Aliquid Methodo invenire & judicare, ei ex adverſo opponitur, quod fortuitò & temerè.

Methodus in genere duplex.

Methodus verò non uno modo ſemper accipitur: Nam interdum ſumitur pro quavis ſcientia aut arte Methodo diſpoſita; propriè verò pro inſtrumento tantum logico, docente, procedere in diſci-

disciplinis ab uno ad aliud, cognitionis gratia, Talis progressio duplex est; una quæ res in artibus docendas ita disponit, ut dextrè & facilimè percipiantur; Altera quæ à noto ad ignoti cognitionem nos ducit: Illa, ordo & à Galeno 1. cap. Art. med. τάξις διδασκαλίας & aliquando διδασκαλία, vocatur, ac totam aliquam artem spectat: Hæc, proprio nomine Methodus dicitur, & veritatem in singulis artis partibus & Theorematibus respicit. In disciplinis autem omnibus duo sunt termini & extrema; unum causæ primæ aut principia, quæ naturâ notiora dicuntur, quia naturâ prius extiterunt, & non quia universaliora semper sunt; Alterum finis & Effectus ultimus nobis notior sensibusq; evidentior. Horum terminorum respectu ars ordinem habere potissimum dicitur.

Quid ordo & quotuplex? Nam ordo est habitudo plurium ad unum. Hoc unum, vel est alterum horum terminorum, vel quod utrumquè cum omnibus intermediis virtute continet, & in quo velut in medio & centro omnia coëunt; Quod medium nõnullis videtur certa quædam Definitio: unde à Galeno tres ordines doctrinæ cõstituuntur, nimirum Syntheticus, Analyticus, & Definitivus.

Ordo Analyticus. Est autem ordo Analyticus, qui docet omnia in arte ad unum finem ordinare; Hic à fine ultimoquè effectu initium sumit, ac finem in media ducentia ad finem; effectum in suas causas: compositum in sua principia & elementa resolvit, ac à fine ad proxima consequenter, vel ad totam artem, omnesquè ejus partes, ducit. Quare hoc ordine procedendo artes primum inventæ sunt, ac ut inventæ, ita aliquando traduntur: Nam principium rei non est semper principium cognitionis ut Aristotel. 5. Metaph. cap. 1. testatur. Hoc ordine traditus est à Galeno liber de constitutione Artis medicinalis.

Ordo compositivus. Ordo compositivus est, qui docet universa ad prima principia ordinare, sive à primis causis, simplicissimisq; principiis & Elementis, ad ea quæ inde oriuntur, nullo transposito vel prætermisso procedere, donec ad finem perventum sit. Hoc potissimũ utimur in iis disciplinis tradendis & demonstrandis, quorum causæ sunt exploratæ, & veritas Resolutione inventa: Nam in Resolutivo ordine à posterioribus & effectis nobis notioribus procedentes invenimus naturæ priora; E converso in compositivo, à naturâ prioribus procedentes reddimus causam posteriorum. Quare compositivus ordo quasi generatio quædam est, quæ à naturâ prioribus semper procedit.

Ordo definitivus. Tertiò ordo Definitivus à Galeno dicitur, non quia definit, vel definitionibus utitur, vel à definitione quovis modo auspicatur; sed quia artis ipsius primùm generalem definitionem proponit, quibusdam veluti capitibus, omnes partes artis illius continentem; quæ capita in alias partes rursum resolvit; & has iterum in alias atque ita deinceps, donec omnia ad artem spectantia declaraverit. Unde hic ordo, nunc definitionis dissolutio, nunc explicatio aut explanatio, nunc divisio dicitur. Præterea à fine aut principio non auspicatur; sed memoriæ gratia extrema cum intermediis includens, sola capita & conclusiones eorum, quæ alibi latius demonstrata sunt, brevibus proponit. Quare certus & necessarius hic ordo non est, nec initium ejus, definitio scilicet, stata & firma: Nam nihil vetat, ex varia divisionis ratione, uni arti varias definitiones inservire, modò ipsas artis partes maximè universales comprehendant; deinde definitio talis proœmium potius quàm pars artis videtur, quo nomine à nonnullis rejicitur; ab aliquibus autem idem cum cæteris, aut quàm proximè ad compositivum accedere

dere putatur. Hoc ordine traditus est à Galeno libellus de arte medicinali. Ex quibus omnibus apparet compositivum ordinem ad docendum ac perfectam rei scientiam acquirendam, magis inservire: Resolutivum ad inveniendùm necessarium esse; Definitivum verò ad memoriam solum & comprehensionem prodesse. Verùm id diligenter observandum est, in singulis artis aut scientiæ cujusque partibus non eundem, qui in toto, semper ordinem esse. Nam interdum tota disciplina Synthetico ordine proponitur, ubi pars aliqua, vel ob facilitatem; vel quia id Methodus demonstrativa postulat, Resolutivo docetur. Quemadmodum incipiendo à Physiologia, tota medicina compositivo ordine à Galeno & Avicenna tractatur, sed pars curatrix semper Resolutivo.

Quid Methodus propriè dicta.

Methodus verò propriè est instrumentum logicum docens in disciplinis progredi à noto ad ignotum theorematum perfectè cognoscendorum gratia. Significat enim Methodus viam ab alio ad aliud, scilicet à noto ad ignotùm, quæ sine illationis necessitate non est. Quare Galenus 1. Method. cap.4. viam & ordinem esse dicit, quâ in disquisitione aliquid sit primum, secundum, tertium, atq; ita deinceps, donec ad id sit perventum, quod est quæsitum. Hæc disquisitio & progressio à noto ad ignotum, quatuor modis à nonnullis fieri dicitur. 1. Divisione, per differentias descendendo; 2. Resolutione à nobis notioribus ascendendo; 3. Definitione; 4. Demonstratione. Quæ omnes non ab Ammonio & Eustatio solum, sed etiam à Galeno interdum Methodi dicuntur, & instrumenta necessaria videntur ad disciplinas rectè percipiendas.

Verùm cum Methodus propriè sit, quæ ab

Methodus propriè duplex. alio ad aliud ducit cum illationis necessitate, demonstratio propriissimè Methodus erit. Demonstratio autem duplex est; una διότι, quæ ex causis primis & immediatis proprium πάθος de suo subjecto concludit; Altera ὅτι priori opposita, quæ ab effectis ad causas procedit: Utraque demonstratio Methodus dicitur, ac quoque processus sive continuata series demonstrationum tendentium à noto ad ignotũ; verùm illa demonstratio Methodus Synthetica; Hæc Analytica, ac inventionis dicitur. Nam ubi desinit demonstratio ὅτι, ibi per regressum incipit διότι, quod in methodo medendi observatur, quæ ab effectis procedit; nam teste Galen. 11. Meth. cap. 10. quod in resolutiva methodo est ultimum inventum, id in curatione est primum peragẽdum.

Methodus inveniendi & tradendi artem Medicam. Principium autem curationis est morbi cognitio; morbi verò vel sanitatis cognitio ex propriis accidentibus manifesta redditur. Verùm cum morbus sit accidens, in subjecto erit, & propriam inhærentiæ causam habebit. Quibus omnibus resolutiva methodo inuentis regrediendo per compositionẽ affectio quævis de suo subjecto per causam proximam demonstratur. Et hæc demonstratio positu terminorum à definitione causali illius affectionis tantum distinguitur. Hoc igitur modo, omnium affectionum in humano corpore cognitio, per demonstrationem invenitur & explicatur, ut Galen. 1. Meth. & passim alibi postulare videtur. Ex his colligitur ad perfectam disciplinæ cognitionem & constitutionem, methodo & ordine opus esse; methodo, ut singula seorsim perfectè intelligãtur & judicentur; ordine verò, ut omnia aptè disponantur & consentiant. Quare ubi scientiæ perfectè proponũtur, methodus cum suo ordine cõjungitur, & utrũque uno nomine methodus communiter dicitur.

DE

DE PHYSIOLOGIA LIBER SECUNDUS.

DE ELEMENTIS, ELEMENTorum mutua permutatione & Mixtione.

CAPUT I.

Quemadmodum litteris primis vocis elementis incognitis, syllabas aut voces nemo perfectè didicerit: Ita teste Galeno, lib. contra Lycum: cui scientia elementorum, sive primorum corporũ incognita sit, multò minus eorũ quæ ab illa veniunt, compositorum nimirũ corporum scientiam noverit. Proinde ut omnium mutabilium corporũ caussas intelligamus, necesse erit imprimis ipsaElementa elementorumq; mutuam transmutationem & permixtionem intelligere: Nam aut generatio & corruptio nulla erit, aut in his elementis, & in iis quæ ex elementis cõponuntur apparebit. Unicuique autem generationi & corruptioni aliqua necessariò subjecta materia est, cum ex nihilo fieri & in nihilum redire, nullum corpus naturale queat; ex qua cum inexistit omnia corpora naturalia gignuntur, & in quam per corruptionem iterum redeunt.

Elementũ in genere quid & quotuplex

Ejusmodi materia in compositis corporibus sunt prima simplicia corpora, quæ elementa vocantur. Nam elementum propriè ad aliquid dicitur, nimirum ad compositũ, quod ex elementis oritur quo nomine ad genus caussæ materialis pertinet, & in eo propriè est cujus est elementum, sicut materia in eo, cujus est materia. Nam id ex quo aliquid fieri dicitur, si rei effectæ non insit, sed depereat, non materiæ sed privationis modum habet. Aliquid

autem ex aliquibus dupliciter componi dicitur; vel nullis ullo modo immutatis, vel permixtis & immutatis. Itaque elementa duplicia dici poterunt, alia compositionis, alia mixtionis. Compositionis autem elementa, non absolutè sed illius tantum compositi respectu dicuntur, cujus sunt elementa & partes. Nam teste Galeno (lib. de natura humana) vocabulo elementi abutentes simplices in cujusque rei fabrica partes, prima illius elementa appellamus. Ita Plato centum, ait, plaustri esse dicta Elementa ab Hesiodo. Similiter animatorum sanguine præditorum, nunc humores, nunc partes similares elementa dicuntur. Eodem modo totius universi elementa sunt, non solùm ignis, aër, aqua, terra, sed & ipsum cœlum, quod ab Aristot. 1. Meteor. primum elementum vocatur.

Elementū propriè dictum. Mixtionis verò elementa sunt corpora simplicia, prima & communia, à natura condita gratia generationis mixtorum, nimirum ut mixtorum omnium communis materia essent, ex quibus primò componi, & in quæ ultimò resolvi omnia mixta naturaliter debeant. Talia corpora revera & propriè elementa dicuntur.

Definitio Elementi. Quia igitur ex elementis componi, & in elementa iterum resolvi mixtum corpus naturaliter debet, utriusq; ratione ab Aristot. definitur. Nam compositionis respectu 5. Metaphys. definitur id ex quo componitur aliquid inexistens, specie indivisibile in aliam speciem: Sed resolutionis & divisionis ratione 3. de cœlo: Corpus simplex in quod cum insit corpora dissolvuntur, ipsum autē in alia quæ specie differunt dividi nequit. Quare differentiæ loco indivisibile in aliam speciem utrobiq; ponitur, quo sensu à Galeno elementum definitur, minima pars ejus cujus est elementū; Nam magnitudinis divisio, (teste Gal. 8. de placitis) nullum hujusmodi minimū habet,

habet, sed quæ aliquando sistat terminumq; reperiat speciei sectio sit, qualis in elementis non datur. Elementa verò non sensu solùm sed & ratione partium penitus similium absolutè intelliguntur. Hæc elementa licèt ad genus caussæ materialis referantur; prima tamen omnium corporum materia non sunt, sed prima simplicia solùm corpora, & non absolutè simplicia, quia composita sunt ex actu & potentia, materia nimirũ & forma, quæ per se speciem non habent, sed quæ complexu utriusq; oriuntur corpora. Verùm elementum quodvis speciem simplicissimam habet, & in partes specie discrepantes divisibile nullo modo est. Alia verò corpora, quæ ex elementis componuntur, si non sensu ut mixta homogenea, ratione saltem in partes specie distinctas divisibilia esse judicantur.

De numero Elemẽtorum.

Talia autem elementa infinita numero non sunt, cum differentiæ quibus distinguuntur corpora finitæ sint, & sub sensus cadant, ac infinitorum scientia nulla esse queat: Nec magnitudine indivisibilia, ut quidam voluerunt, cum ex indivisibilibus nullum corpus componatur, aut in indivisibilia resolvatur: Nec unum aliquod, alioquin omnia quæ eo uno constarent, unam naturam, unumquè motum haberent, & quia unum contrario caret, in eodem statu omnia semper permanerent: Prætereã nec plura impatibilia & penitus impermutabilia, alioqui mixtio & mixti corporis generatio nulla foret. Nam ubi ex pluribus quicquam componitur, quæ, qualia per se sunt, talia ad extremum durant, nunquam teste Galeno 1. de elementis, novam formam adipiscetur, quæ in iis non præfuerat ex quibus constituebatur. Relinquitur ergò, plura elementa esse, numero finita, magnitudine divisibilia, & natura sua patibilia.

Numerus verò & distinctio elementorum

Elementorum numerus unde & quomodo inquirẽdus.

aliunde ſumenda non erit, quàm ex communibus omnium corporum mutabilium affectionibus. Hæc elementis primis corporibus primò inſunt, & ab iis propriè dependent. Nam quæ ex elementis & principiis aliquibus oriuntur, naturam illorum ſemper referunt & ſapiunt. Deprehendimus autem omnia corpora ſublunaria primùm ad locum naturaliter moveri: Deinde alterationibus, generationibus, & corruptionibus obnoxia, ac proinde qualitatibus duplicibus, locomotivis ſcil. & alterativis prædita eſſe. Quare hæ qualitates elementis primò inerunt, ac his qualitatibus diſtingui & intelligi elementa debent. Verùm ex qualitatibus motivis eſſe ſolùm quatuor mundi elementa locis naturalibus diſtincta (ex quibus inferior mundus componitur) intelligimus: ex qualitatibus alterativis naturam, finem & uſum elementorum deprehendimus. Ac primum eſſe plura ſimplicia corpora, ex diſcrepantibus ſimplicium corporum naturalium motibus ſurſum à medio mundi, vel deorſum ad medium manifeſtum eſt: Nam primùm ſimplici corpori ſimplex motus convenit; & compoſito motus ſimplicis prædominantis. Deinde nihil præter naturam ſurſum aut deorſum moveri dicitur, cui alius naturæ proprius ei oppoſitus non convenit. Prætereà quod loco naturaliter movetur ad locum naturæ ſuæ accommodatum, qui forma quodammodo eſt, & perfectio corporis contenti, velut ad finem ſemper tendit.

De qualitatibus locomotivis.

Hunc impetum ad naturalem locum efficiens & continuans cauſſa, eſt qualitas motiva, gravitas ſcilicet vel levitas, quæ formæ elementorum non ſunt, ut aliqui voluerunt, ſed internum principium cum forma ſemper conjunctum, quod manente forma nunquam aboletur. Moventur quidem elementa ſurſum & deorſum à levitate vel gravitate, ac miſta quoque motu prædominantis elementi, ſed

ſed non ut animalia. Nam in animalibus inclinatio ad motum eſt appetitus, in elementis inclinatio ad locum eſt gravitas vel levitas. Deinde ut in animalibus aliqua appetitus cauſſa eſt ad movendum primò excitans: Ita in ipſis elementis gravitatis & levitatis cauſſa ejuſmodi nulla eſt: Sed quæ elementum generavit cum forma iſta inclinationem tribuit, cujus nixu ad locum naturalem niſi impediatur continuò movetur: Proinde ex ſe propriè elementa non movētur, ſed animalia ſolùm, quòd animalia ubi quieverint, motum inchoare queant, ſine ulla cauſſa generante vel impedimentum tollente, quæ in elementis cæteriſque inanimatis neceſſariò requiritur. Grave autem & leve duplex eſt, aliud ſimpliciter & abſolutè, aliud cum alio comparatum. Simpliciter leve eſt, quòd à medio in ſuperiorem locum ad concavum lunæ ſemper tendit: Contra ſimpliciter grave, quod in imum mundi locum pondere ſuo ſemper decumbit. Alterius verò reſpectu grave & leve, quod cum æquali mole, qua aliquid præditum ſit, celerius ſurſum vel deorſum incitatur. Nam quæcunque ſurſum vel deorſum ad locum naturalem movētur, ea ſuperioribus graviora, inferioribus leviora ſunt. Quod autem levius rariorem, quod gravius denſiorem magiſquè compactam ſubſtantiam habet. Quare cum ignis ſupra omnia maximè emineat, terra verò ad imum mundi præcipuè decumbat, erit ignis abſolutè levis, terra abſolutè gravis. Cum autem ab extremo ad extremum per medium in quovis motu tranſitus fiat, & ubi natura conatur referre unitatem, extrema interventu mediorum, miro artificio ſemper conjungat, medium inter hæc duo, non unicum ſed geminum erit, quod partim eminere, partim ſubeſſe debeat, ac proinde unum quod ad naturam ignis propius accedat, nimirum aër: alterum quod ad

naturam terræ, nimirum aqua. Mixta autem ex his quatuor elementis corpora motum prædominantis elementi semper sequuntur, & ad locum prædominantis elementi naturaliter moventur, ut ibi conserventur & quiescant. Proinde ex gravitate & levitate non naturam & caussas elementorum, sed esse solùm quatuor prima corpora locis distincta intelligimus. Consequens est, ut elementorum naturam & caussas quatenus sunt elementa & mixtorum materia cognoscamus.

Natura Elementorum.

Ac primùm natura elementi ex fine æstimatur, finis autem elementorum est propter generationes mixtorum, ut ex definitionib⁹ supra traditis apparet: Proinde huic finali caussæ & formam & materiam correspondentem habebunt. Materia autem communis formis elementorum substrata, est illa prima, subjectum omnis mutationis primum. Hæc licet omnium formarum per vices capax sit, nec formam propriam habeat, à formâ tamen alicujus elementi nusquam separabilis esse poterit. Verùm cum mixtio non sit pura generatio, quæ eorũ tantum est, quæ in pura potentia, neq; pura compositio, quæ eorum quæ in actu perfecto, sequitur mediorum esse, quæ ab actu perfecto reducuntur ad actum imperfectum. Proinde elementa mistorum materia, formas & actus habebunt, quæ ab esse imperfecto ad perfectum possunt reduci, & conditiones materiæ in mistis obtinere. Hæ formæ elementorum (ut Scaligeri verbis utar) actus materiæ quæque suæ sunt, quæ materiæ, quia ad operosiorem compositionem à natura destinatæ sunt, factum est, ut sicut & ipsæ, ita & formæ earũ commisceri queant. Verùm quia formæ istæ elementorum ignotæ sunt, ac elementa gratia generationis mixtorũ, quæ sine mutua actione & passione non fit; contrariis illis qualitatibus sensibilibus quæ tum activæ tum

Formæ Element.

passi-

passivæ sunt describenda, determinanda & distinguenda elementa erunt. Tales autem sunt præcipuè tactiles qualitates, non omnes tamen, sed primæ solũ illæ quæ alterativæ dicũtur, ad quas cæteræ tactiles qualitates reducũtur, & p quas κτ̀ τὰς συζυγίας elementa distinguuntur & intelligũntur, nimirum caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas.

De qualitatib. primis alterativis.

Hæ quatuor qualitates non sunt ipsæ formæ elementorum substantiales, quibus inesse specifico constituuntur, ut Alexander & medici non pauci opinantur; sed propriè accidentia consequentia formas, cum quod unius respectu sit substantia, alterius accidens esse nunquam queat: Nihilominus ut sunt præparationes materiæ pro singulis elementorum formis educendis cum præviæ alterationes materiam proximam efficiant, principia & materia elementorum dicuntur. Deinde quia vi & mediante actione harum qualitatum, simplices illæ substantiæ miscentur, & elementa mistorum efficiuntur, nunc formalia principia, nunc formæ, nunc principia constitutiva elementorũ vocantur, & non rarò tàm ab Aristotele quàm Galeno pro ipsis elemẽtis sumuntur. Non omnium harum quatuor qualitatum licèt contrariarum, vel in agendo, vel in resistendo æqualis virtus & efficacia est. Nam caliditas ad agendũ potentissima est, & efficacissima; ad resistendum verò omnium maximè infirma. Deinde frigiditas, tertiò humiditas: omnium verò ad agendum inefficacissima siccitas, ad resistendum verò firmissima, deinde humiditas, tertiò frigiditas, quartò caliditas: quod à natura mira ratione factum fuit. Nam si elementum ignis, in quo viget calor, in resistendo tantum, quãtum in agendo, valeret, omnia ab igne nunc consumpta forent. Proinde ut elementorum certa quædã proportio esset, natura vim contrariarum qualitatum in agendo & resisten-

resistendo proportione quadam libravit & compensavit. Omne autem contrarium in contrarium suum primò agit, & à contrario primò patitur. Agit autem, si contrarinm quantum fieri poterit in suam naturam convertat, quod fieri nequit, nisi aliquo modo perimat. Talem actionem & passionem & in simplicibus & in mixtis istæ quatuor qualitates habent, unde tàm activæ quàm passivæ dici merentur. Nam calidum in frigidum calefaciendo; & frigidum vicissim in calidum refrigerando agit: Pari ratione humidum in siccum humectando, & vicissim siccum id quod humidum est exsiccando, in suam naturam convertit. Proinde ubi qualitates contrariæ, planè impares concurrunt, imbecilliorem validior superat, & in suam naturam convertit: Sed si viribus quodammodò pares fuerint, altera alteram in suam naturam convertere nequit, sed mutua actione & passione sese mutuò contundunt & contemperant, donec sub communis formæ imperio devinctæ perfectè uniantur. Talis unio tantum in mixtione conspicitur ex illa duplici quatuor qualitatum pugna, ubi nova oritur actio, quæ non est contrarii in contrarium, sed velut artificis in materiam. In hac actione quia humiditas & siccitas materiam obedientem actioni caloris & frigoris faciunt, passivæ qualitates dicuntur: Calor verò & frigus quia efficientis caussæ materiam determinantis rationem habent, activæ vocantur, quibus viribus ab Arist. potissimum definiuntur. Nam calidum definitur, quod ꝑ se homogenea congregat, ac proinde ex accidente aliena & heterogenea secernit: Frigus verò, quod tàm homogenea quàm heterogenea in unum confundit & cogit. Duæ verò reliquæ qualitates, patiendi facultatibus definiuntur. Nam humidum est quod alieno termino facilè, suo difficillimè continetur; Siccum contra, quatenus siccum

pri-

primò, quod suis terminis facilè coërcetur. Deinde caliditas omnium qualitatum nō solùm actuosissima est, sed & præstantissima, æmula virtutis cœlestis sive poti⁹ virtutis cælestis proximum instrumentū. Nā ut homogenea in unū cogit, & heterogenea dissolvit, proxima cōpositionis sive generationis mixti, & resolutionis caussa judicatur. Proinde caloris respectu cæteræ qualitates vicē materiæ quodāmodo obtinent, peculiariter verò frigiditas rationem privationis & interitus habet; Non tamen frigiditas absoluta privatione caloris intelligitur, sed propriam actionem habet. Nā per se homogenea & heterogenea in unū cogit, constipat, & ad motum corpus ineptū reddit. Deinde calorem contemperat, & externam determinationem mistis interdū superaddit. His duabus qualitatibus in agendo inferiores, in resistendo firmiores sunt siccitas & humiditas, præcipuè verò siccitas, ut supra dictum est, Unde nonnulli nullam actionem per se nisi mediante calore & frigore, siccitati & humiditati tribuunt. Verùm calor non per se, sed ut vapores excitat, humectat: ut humidum absorbet, exiccat: Contrarium verò, si potentius sit in contrarium semper agit. Erit igitur propria aliqua actio humiditatis & siccitatis ut dictum est. Peculiariter verò natura humiditatis est, primum calorem, deinde frigus obtundere, ac siccitatem in mixtione formabilem reddere; siccitatis verò est calorem & frigus acuere, ac humiditatem fluidam in unum cogere.

Numerus elementorum.

Cum igitur quatuor sint primæ qualitates alterativæ; sex earum combinationes enumerari poterunt, quarum duæ in natura locum non habent. Nam contrariæ in uno simplici non conjunguntur. Quare quatuor qualitatum combinationes erunt quibus elementa, prima qualitatum subjecta, distinguuntur. Nam agentes tantum patientibus copulari de-

ri debent. Ita elementum calidum ſiccum eſt ignis, calidum humidum aër, frigidum humidum aqua, frigidum ſiccum terra. Ex his quidem elementis quodlibet duas qualitates intenſas ſecundum omnẽ latitudinem habet, id eſt, ſine ullius contrarietatis permiſtione, ſed non ſecundum omnem agendi vim & efficaciam. Ac proinde ut ad mixtionem ſecundum has agendi vires concurrit elementum, alteram qualitatem in ſummo, alteram in remiſſo habere dicitur; cum in quolibet genere unum reperiatur, quod cæterorum ſit menſura. Sic igni caliditas, aëri humiditas, aquæ frigiditas, terræ ſiccitas primò tribuitur. Et licèt ſine contrarii permixtione in igne & terra ſiccitas ſit, utrumque tamen eodem modo ſiccorum principium dici non debet, ſed id quod mediante ſua ſiccitate primò & per ſe exiccat, licèt fortaſsè abſurdum non ſit, ignem vocare ſiccorum tenuium principium, ut terrã craſſorum. Hæc elementa locis ſeorſim diſtincta, talia abſolutè non ſunt, qualia intelliguntur, & deſcribuntur, ſed ob vicinitatem contrariorum ſuis qualitatibus non penitus affecta, imò impura & multis modis permiſta, maximè verò duo intermedia aër & aqua. Proinde qualia per ſe ſunt ipſa mundi elementa, & qualia quoque ſint elementa quatenus miſtorum ſunt materia, ordine conſiderabimus.

De elemẽto ignis. Ac primum ignis naturâ calidiſſimus eſt ac ob id ſicciſſimus, omniſq; humiditatis expers, quæ caloris vim obtundere ſolet: proinde omnium elemẽtorum ad agendum efficaciſſimus, ſed reſiſtẽtiæ minimæ. Nam forma ignis actuoſiſſima eſt, quod qualitatibus actuoſiſſimis ſit prædita. Quod verò minimæ ſit reſiſtentiæ ratione materiæ accidit. Nam forma materialis in tantum reſiſtit, vel cedit corrumpenti, quantũ ſubjecta materia patitur: Materia autem ignis cũ pauciſſima & rariſſima ſit, & ob raritatem

tem

tem disperſa, facilimè ſe totam viribus agẽtis exponit, quod non faceret, ſi cõſtipata & denſa foret. Ob hanc eandem cauſſam ignis leviſſimus erit, ac ejus naturæ, ut apud nos nulla vi contineri poſſit, quin continuò evolet & ſtatim corrũpatur. Quare ut cõſervetur pabulo continuo indiget, ex quo continua ſucceſſione generetur & velut flumẽ è fonte in ſublimi feratur, pauloq; poſt deſinat ob imbecillitatem, corruptus ab aëre & vicinis corporibus. Pabulũ autem illud proximum ignis apud nos eſt vapor aëreus, terreſtri ſiccitate permixtus: Hic à corporibus cõbuſtibilibus reſolutus ſtatim ab igne corripitur & flãma efficitur, quæ è fonte illo unde vapor reſolvitur continuò fluens & ad ſuperiora evolans, paulò poſt decidit. Nam flamma naturã ignis proximè refert, cum ignis hic noſter, qui vel flamma, fumus aut carbo eſt, in aliena materia ſemper ſit. Elementũ verò ignis inter elementa mundi ſupremũ locũ tenet, ſub concavo orbis lunæ, quò naturaliter ignis tẽdit. Hic tenuiſſimæ flammæ comparari poterit, quæ ſine pabulo in propria materia conſervatur. Nam ignis ſublunaris propriè nihil aliud eſt quàm fervoris vis intenſiſſima, in materia tenuiſſima & rariſſima; ac proinde niſi acceſſerit materia denſior, non videtur, nec ut ignis noſter urit, ſed ad noſtrum ignẽ qui ſine pabulo non ſubſiſtit, eam rationem habet, quã aqua ad glaciem. Circũfertur ignis iſte in naturali ſuo loco ad motũ cœli, vertigine quadã, in qua licèt aliæ partes ſurſum, aliæ deorſum devolvãtur, aliæ incraſſentur, aliæ reſolvãtur ac tot⁹ ignis impuretur; quia tamen motus iſte ab interno principio non eſt, neq; ab externo quod ignẽ corrumpit, ſed quod fovet, & cõſervat; Proinde erit hic motus nec propriè naturalis, nec violentus, ſed quia neceſſarium inſtrumẽtũ eſt cauſſæ ſupioris, quo inferiora cõſervantur, ſupra naturã ignis dici potius merebitur. Elemento ignis
aër

aër maximè cognatus est, non omninò levis, pronior ut à naturali suo loco, non aliter quàm aqua, deorsum quàm sursum impellatur: Quod à natura, teste Averroë, mixtionis gratia (quæ circa terram fit,) factum fuit. Naturâ suâ aër, ut elementum, calidus & humidus propriè est, licet ab humiditate prædominante caloris vis obtundatur. Dominatur enim in aëre naturaliter, & non in aqua humiditas propriè dicta, quæ alieno termino non facilè continetur, altiusq; penetrat & permeat, non ex accidente, quæ ob densitatem subjecti sui magis sentitur & adhæret. Nam minor qualitatis intensio in subjecto densiore magis semper agere potest, ut in ferro candente manifestè apparet, quod vehementius quidem quàm flamma urit, sed secundum essentiam & qualitatis intensionem minus calet. Verùm aër hic noster, qui sphæra ignis undique concluditur, nusquam purus est, & his qualitatibus planè affectus, sed primùm quia substantiæ tenuis & versatilis est, ac ad patiendum habilis, contagione vicinorum facilimè afficitur: ac sub contrariis qualitatibus magis quàm ullum elementorum, ad certos usque terminos subsistere potest. Deinde ob perpetuas exhalationes & multiplices impressiones superiorum, varias vices sustinet, & ubique eisdem qualitatibus non afficitur. Quare tota aëris sphæra in tres partes sive regiones distinguitur, quarum suprema & maxima, ob continuam cœli circumgyrationem & vicinitatem ignis, calida & sicca, non absolutè sed in comparatione solum dicitur; Infima verò variam constitutionem habet: nam nunc sicca, nunc humida est, ut vapores & halitus excipit; nunc calida quando radii solares reflexi magis uniuntur, ut æstate; nunc frigida, quando ob distantiam solis à vertice radii obliquè disperguntur, ut hyeme. Hæc regio non ultra se extendit, quàm reflexio illa radio-

radiorum solarium. Media aëris regio, quia nec radiis reflexis, nec conversionibus superiorum corporum incalescit, frigida est, & à vaporibus contentis humida.

Comprehendit aër terrenum globum, intra cujus cavitates aqua, quæ alieno termino semper includitur, ita continetur, ut ultra terræ superficiem nusquam emineat. Hæc duo elementa respectu aëris & ignis, vicem materiæ in mixtis quodammodò obtinent. Ut enim terra consistentiam mixtis perfectis tribuit, & formas simul impressas diu retinet: Ita aqua ad impressiones & formas facilè suscipiendas idonea efficit. Est autem aqua natura sua magis gravis quàm levis, & frigidior quàm humidior; Imò principium frigidiorum, qualis aqua mente potius comprehenditur, quàm alicubi seorsim reperitur. Elementum aquæ Arist. Mare vocat, ubi maxima aquarum copia, licèt intra terræ viscera, & in specubus subterraneis ac in fluminibus & similibus, non minima aquæ portio contineatur, quæ tamen nusquam pura & suis qualitatibus affecta, alioquin omni sapore prorsus careret. *De elemẽto aqua.*

Terra in imo mundi posita, ubi coëunt effectus syderum, velut mater omnium mixtorum, maximeq; viventium est. Hæc naturâ suâ sicca, frigida & gravis, proinde maximè densa, constipata & ad motum inepta & opaca. An verò pura alicubi terra sit & vel in centro, ut quidam volunt, dubitari non injuria poterit. Cogunt certè cœlestia vim suam in unum circa terram, eamq; variè alterant, & cum aliis elementis permiscent, præcipuè cum aqueo humore, qui partes terræ unit, qua actione variæ exhalationes excitãtur, materia lapidum, metallorum, fontium & simplicium, quibus universa ferè terra referta est. An verò terra, licèt velut spongia sit, aqueo humore perfusa, ad aquam eam proportionem *De elemẽto terræ.*

habeat quam aqua ad aërem, & æqua in singulis elementis materiæ portio sit, rarioribus tantum & densioribus dimensionibus expansa, id discutiendum relinquimus.

Quare Elementa mūdi sint impura.

Hæc sunt illa quatuor elementa ex quibus velut partibus inferior mundus componitur, quæ tamen ut diximus, nusquam pura & impermista sunt, nec si essent, ita perdurare possent, cùm ob contrariorum qualitatum pugnam; tùm ob continuam cœlestium vim & efficaciam. Quod à summo rerum opifice sapientissimè provisum fuit, qui terrã, aquam & aërem ita temperavit, ut apta mixtorum domicilia essent. Nam si ista mundi elementa summis prædita qualitatibus forent, nullum animatum vivere, aut mixtum perdurare posset. Nihilominus in his elementis impuris, aliisquè substantiis permixtis, illa prima & simplicia elementa, mistorum materia, necessariò intelligenda erunt, nec alibi separatim quærenda. Ex his omnibus jam dictis colligitur, elementum quodque ut elementum simplex, corpus esse, compositum ex materia & forma simplici, ac habere suam gravitatem vel levitatem, quibus ad locum naturalem moveatur, habere item duas qualitates primas, quas Symbola vocabimus, quarum caussa agit & patitur. Hanc autem actionem & passionem elementorum consequitur elementorum mutua permutatio, sive ultrò citroq; generatio, ac mixtio, mixtiquè generatio de quibus restat dicendum.

De mutua elementorum trãsmutatione.

Ac primum permutatur elementum unum in aliud, si duo virib9 ita imparia concurrant, ut quod validius est, alterum in suam naturam convertat. Convertit enim permutato symbolo vel symbolis, quibus ab altero distinguitur. Nam duo elementa à se invicem, vel uno solùm contrario vel duobus sive duplici contrarietate distinguuntur. Quare Elemen-

menta quæ communione unius qualitatis conveniunt, ac una contrarietate solum dissident, faciliori & celeriori transitu permutantur: Quæ verò duplici contrarietate pugnant, planeq; contraria sunt, difficiliori & tardiori. Fit autem interdum, ut ex duobus contrariis elementis una utrobique qualitate permutata, medium aliquod elementum generetur.

De mixtione.

Mixtio verò fit, quatenus omnia elementa viribus quodammodo paria concurrunt. Hæc generatio aut corruptio non est, licèt sine mixtione & elementorum συνκρίσει, mixti perfecti generatio, & sine elementorum διακρίσει, naturalis mixti corruptio nulla fiat. Nam generatio propriè eorum est, quæ in pura sunt potentia: mistio verò miscibilium, quæ aliquo modo existere debent. Quæ enim absolutè corrupta sunt, nec ullo modo subsistere intelliguntur, permista dici nunquam poterunt. Veluti cum lignum in ignem convertitur, & ardet, ignem cum ligno misceri non dicimus, sed lignum corrumpi, ignem generari. Eadem ratione de alimento quod non miscetur cum corpore, sed in substantiam corporis convertitur. Mixtio verò compositio dici solet, & compositio interdum mistio, licèt vocabulum compositionis multis natura differentibus tribuatur, & pro quavis unione non rarò accipiatur. Nam quæ propriè componuntur misceri quadammodo dicuntur, & quæ permista sunt composita corpora vocantur. Deinde ut mistio, ita compositio propriè dicta eorum est, quæ actu separatim subsistere & cum aliis conjuncta esse possunt. Proinde mistio & compositio propriè dicta, non erit formæ cum materia (quæ teste Alexādro unio solùm dici debet) aut subjecti cum accidentibus, aut accidentium inter se; sed corporum

præcipuè illorum quæ facilè dividi &terminari possunt. Nihilominus ipsa mistio idem quod compositio propriè non est, nec composita omnia mista. Nam mista perfectè contemperata sunt, composita verò non. Deinde compositio eorum dicitur, quæ actu perfecto sunt, sive quæ actu naturali sub sua forma propriè subsistunt, & unum ens formaliter non faciunt. Sed unum per accidens, ob continuationem terminorum & confusionem partium non perfectè contemperatarum. Qualis compositio non à natura solum fit, ut in metallis aliquando videmus, sed & ab arte, quando vel liquida liquidis, vel sicca siccis, vel sicca liquidis permiscentur aut verius junguntur, sive confunduntur. Mixtio verò propriè dicta, est corporum quæ non solùm juncta & unita sunt, sed & ita contemperata, ut unum ens formaliter faciant: Proinde mixta sub sua forma propria non subsistunt, nec actu suo perfecto, ut voluit Avicenna, sed formas habent refractas & consociatas, ac unius formæ imperio devinctas & mancipatas. Qualis mistio propriè artis non est, sed ut Galeno credimus, Dei & naturæ opus. Finis autem mistionis est miscibilia ad perfectam unitatem reducere. Quod non fit si miscibilia vel similia fuerint; vel in partes (ad sensum minimas divisa quoquo modo uniantur; nec si tota per tota dividantur, ut Stoici voluerunt; verùm ut fiat perfecta mistio, requiritur primùm: ut miscibilia dissimilia sint, & ex contactu agant; nimirum ut communem materiam habeant, & vel contraria vel contrariis qualitatibus prædita sint, quibus in se mutuò agere & à se mutuò pati queant: Deinde ut illæ vires quodammodo pares sint: Tertiò ut miscibilia εὐόριστα sint, id est, facilè dividi &terminari queant, ac in mixtione determinationem suscipere, quam per se non habent: Quartò ut unum in alterum non corrumpatur,

tur, sed omnia eodem modo permaneant, & misto non potentia solum & virtute, ut latini voluerunt, sed revera insint, ac iterum separari queant. Talia miscibilia propriè sunt illa quatuor elementa, proxima mistorum materia. Nam ubi elementa ista quatuor virib⁹ paria concurrunt, propter communem materiam & contrariarum qualitatum pugnã, ita se mutuò refrangunt & contundunt, ut cõtemperatis eorum actibus, velut materia proxima communi formæ sive activi sese substernant, & ad medium quoddam reducta novam speciem constituant. Nam finis mistionis est, ut diximus, plura diversa ad unitatem reducere, quæ reductio sine mutatione eorum quæ miscentur & reducuntur fieri nequit. Ea autem mutatio, generatio & corruptio non est, sed propriè alteratio. Proinde definitur ab Aristotele mistio, miscibilium alteratorum unio. Ista alteratio miscibilium sive elementorum perfecta esse debet, si perfecta sit mixtio, quæ sine accurata singulorum divisione, nova particularum continuatione, aliarum rarefactione, aliarum condensatione &c. fieri nequit. Hac mutua actione elementa ita franguntur, sibi mutuò complicantur & consociantur, ut sub suo esse perfecto nunc non conserventur, sed sub illa misti forma, quæ contemperatis elementorum viribus subitò emergit, diversa determinans & perfectè uniens, cujus formæ respectu, formæ elementorum conditiones materiales solùm obtinent, & ut necessaria instrumenta illi mistionis formæ subserviunt. Nam (ut eleganter Scaliger) ad misti generationem, necesse est elementorum formas inter se suis domitas qualitatibus, pristinum naturæ rigorem, sub unius potioris imperio deposuisse. Huic permistioni & illi permutationi elementorum materia aliqua communis, nimirum illa prima, de qua supra diximus, subjecta

eſt. In qua actione primarum qualitatum elementa ita permiſcentur, ut nulla pars miſti dari poterit, quæ miſta dici non debeat, nulláve pars actu reperiatur, in qua elementa omnia non ſint, & ex qua ſecretione elici minimè queāt. Nam niſi omnia in quovis mixto perfecto elementa fuerint, miſtio perfecta eſſe non poterit, & cum omnis mixtio circa centrum mundi fit, terra neceſſariò inerit: Si terra, & aqua quoque, quæ terræ ſiccitatem continet, & formabilem efficit: Si terra & aqua: & horum contraria, ignis ſcilicet & aër, alioqui perfecta miſtio & miſti diſſolutio nunquam erit. Verùm in miſtis quæ conſiſtentia prædita ſunt, terra aquam mole ſuperat, in cæteris non item. In omnibus autem terra & aqua, ut præcipua materia, mole ſua ignem & aërem excedunt ſed non virtute. Nam igni prima virtus & efficacia tribuitur, quæ homogenea in unum cogit; Deinde aëri qui tenuitate ſua maſſam ex terra & aqua penetrat, temperat, & quaſi fermentat, adeò ut aër terræ & aquæ permiſtus, idoneum pabulum igni ſuppetat: & calor igneus cum aërio junctus, totam illam maſſam permeare, permiſcere, definire & cōcoquere queat, ac ad eum finem deducere quem natura intendit. Cauſſa autem, quæ finem & formam intendit, eſt illa efficiens, quæ actiones primarum qualitatum moderatur ac dirigit. Nam primæ qualitates in agendo per ſe modum ſervare nequeunt, nec mixtionis aut generationis ullius cauſſa dici poterunt, ſed inſtrumenta ſolum illius cauſſæ, quæ actiones earum gubernat, & ad certum finem dirigit. Dirigit quidem miſtionem & generationem in animatis anima, aut plaſtica vis in ſemine: Tamen cum finis mixtionis & generationis ſit continua & perpetua ſubſtantiarum naturalium ſucceſſio, à motu continuo mixtio & generatio depēdebit, & cauſſam natu-

naturalem continuam ac perpetuam habebit. Motus autem continuus nullus esse potest, nisi circularis, natura, tempore ac dignitate primus. Caussa autem naturalis perpetua corpus illud solū erit, quod hoc motu circumfertur, nimirum cœlum. Igitur illæ substātiarum mutationes efficientia & motu cœlestium gubernantur & existunt. Verùm cum effectus sint contrarii, caussas contrarias habebunt, & ab uno motu ortus & interitus, elementorum σύγκρισις & διάκρισις propriè non dependebunt. Nam horum contrariorum effectuum caussa duo continui & oppositi motus in cœlo sunt, & partes discrepantes discrepantibus motibus præditæ, quæ ad consimilem positū haud unquam redeunt. Quare ortus & interitus, mistio & dissolutio, quamdiu mundus durabit, nunquam deficiet, ac ad mutationem cœlestis motus quasi in orbem perpetuo ibūt. Hactenus de elementis, elementorum permutatione & mistione; De Temperamentis verò & cæteris, quæ propriè consequuntur mistionē, nunc dicem⁹.

DE TEMPERAMENTIS.

CAPUT II.

In perfecta mixtione, ex mutua contrariarum qualitatum actione, oritur, quod græcis κρᾶσις, latinis temperies, temperatura, aut temperamentum propriè dicitur: & quia plura in se complectitur, à nonnullis Complexio vocatur.

Quomodo quatuor primæ qualitates cōcurrant in temperamento.

Quomodo in mistione ex primarum contrariarum qualitatum pugna, κρᾶσις oriatur, & quid propriè sit, non omnes consentiunt. Alii volunt ex illis quatuor qualitatibus planè corruptis, oriri vel duas medias qualitates, ut recentiorum nonnulli, vel unam communem, potestate cæteras quatuor

continentem, quæ temperamentum dicitur: ut Avicenna, contra Fernelius ex qualitatibus summis, junctis, & permanentibus, oriri κρᾶσιν putavit.

Reiicitur opinio Avicennæ & Fernelii.

Cum autem temperamentum omnium consensu sit, quod ad actiones benè vel malè obeundas mixtum disponat, qualitas dici poterit, orta, non ex primis qualitatib⁹ planè corruptis: sic enim & mixtio & mixti dissolutio nulla erit, ac medium illud unius potentiæ semper permaneret, sed ex primis confusis & ad eam unitatem reductis, quæ formæ illius mixti propriè convenit. Non tamen ex qualitatibus extremis, junctis, & permanentibus κρᾶσις oritur, ut Fernelio videtur, sed ex qualitatibus mutua actione & passione primum alteratis, remissis, & refractis deinde unitis: alioqui consequeretur, unum contrarium in aliud nunquam trãsire, & cum Empedocle, elementa incorruptibilia semper permanere, nullamquè mixtionem esse, quæ miscibilium alteratorum unio definitur. Nam propriè mixtio non est, ubi qualitates extremæ in summis gradibus permanent; aut ubi una qualitas alteram planè vincit, & in suam naturam convertit; sed ubi mutua actione & passione contrariæ qualitates sese contundunt, & reprimunt, donec ad concordiam & unitatem deveniant, quod non fit sine alteratione totius per totum.

Distinguitur tẽperamẽtum à mixtione.

Hæc unio & concordia temperamentum propriè est, & mixtis perfectis tantum tribuitur. Ut enim unione substantiarum elementorum fit mixtio, mixtiq; generatio; ita unione qualitatũ κρᾶσις: & ut substantiæ elementorum sunt materiæ mixtionis, ita qualitates elementorum sunt materia temperamenti: qualitates elementorum dico, ut vires illorum proprias, & non simpliciter qualitates, quæ pro modo subjecti sui vires variant: Nam eadem

calo-

caloris in aëre & igne vis non eſt, nec frigoris in terra & aqua: præterea, nec pari mole omnia elementa ad mixtionem concurrunt ut alibi diximus. Medici verò nonnulli temperamentum cum mixtione confundunt: Nam aliqui temperamentum ipſam mixtionem, aut mixtionis rationem dicunt; alii in mixtione duplex temperamentum ſtatuunt, unum ex permixtione ſubſtantiarum, alterum ex qualitatum. Galenus 1. de Element. cap. 9. temperamentum vocat, ipſam elemētorum commoderationem, & ſecundum poteſtatem æqualitatem: verum paſſim in lib. de tem. qualitatem vocat, alibi, ut 1. de uſu part. c. 9. ſubſtantiam & formam.

Temperamentũ Galeno nunc qualitas nunc ſubſtantia & forma.

Cum autem temperamentum ſit propria & proxima actionis cauſa: actio enim omnis à forma; forma verò ſine neceſſariis inſtrumentis efficax non eſt: Nam quatuor ſunt quæ in animato corpore cohærent, functio à facultate, facultas à forma mediante partis temperamento ut diſpoſitione neceſſaria: proinde Galenus temperamentum alibi qualitatem vocavit, quatenus eſt διάθεσις orta ex mixtione elementorum: ſine qua efficax non eſt forma. Alibi ipſam ſubſtantiam & formam apellavit, quatenus ſubſtantiam partium determinat, ut neceſſaria conditio & materiæ diſpoſitio pro forma educenda & conſervanda, ſine qua non ſubſiſtit, & per quam propriè operatur, & tum ut Medicus proximam evidentem, inſtrumentalem cauſam pro prima ſumit. Nam medico forma, qua pars agit aut patitur eſt temperamentum, & ut Gal. 7. Meth. c. 3. ſcribit, conſervare temperamentũ eſt conſervare actionem & formam. An verò forma, aut principalis aliqua virtus ſit, dans eſſe temperamento; Philoſophi magis eſt, quàm medici, inquirere.

Temperamentum

Finis igitur temperamenti eſt, non ſolùm quocunque modo operationes formarum adjuvare,

propriè est instrumentũ formæ & harmonia primarũ qualitatum.

ſed inſtrumentum neceſſarium eſſe ſine quo non operatur ulla ſubſtantia aut pars; Habent quidem formæ omnes naturales ingenitam agendi vim, quam non exerunt niſi in ſubjecto aptè diſpoſito & præparato: aptè diſponitur temperamento velut proprio inſtrumento: quare, ut diverſa ſunt partium temperamenta, ita forma exercet ſuas facultates, ac diverſas & diſcrepantes edit actiones, quod Gal. 7. Meth cap. 3. innuit, ubi actionem partis propriam ab alterius ita differre dicit quemadmodum temperatura à temperatura. Quare temperamentum propriè ut inſtrumentum ad aliud ſemper dicitur, & qualitas ſimpliciter non eſt, nec unione primarum qualitatum tantum definitur, ſed unione in ea proportione quæ inſeruit formæ mixti tanquam primario artifici: ſimilitudine concentus in voce & fidibus Nam ut uniuſcujuſque cantus ſua eſt vocum harmonia, ita in generatione mixti, contrariæ elementorum qualitates coëuntes temperamentum non efficiunt, aptum actionibus illius formæ niſi concordi harmonia & mediocritate coëuntes ad talem gradum reducantur qualem mixti perfecti in ſuo genere forma poſtulat.

Definitio temperamenti.

Ex quibus colligitur, quod temperamentum ſit harmonia ſive unita quædam proportio, quatuor primarum qualitatum orta ex miſtione perfecta in hunc finem, ut ſit velut inſtrumentum neceſſarium ad omnes mixti illius perfecti actiones. Quia verò in mixtione perfecta, calori naturali vis agendi primario tribuitur, ut ab Ariſt. 4. Meteor. c. 1. demonſtratur, in eo præcipuè temperamentum conſiſtere videtur (licet omne calidum nõ dicatur) quo calore corrupto mixtum neceſſario reſolvitur. Calor autẽ naturalis duplex eſt: unus σύμφυτος ſive complantatus, mixtis homogeneis & partibus ſimilaribus proprius, qualis calor ex quavis perfecta mixtione

tione oritur: alius ἔμφυτος sive innatus & vivificus, corpori animato proprius, vi plastica seminis in prima generatione productus ut proximum animæ instrumentum. Hic, ut ab anima dirigitur commune omnium partium vinculum est, ac toti animato corpori largitur tale temperamentum, quale illa animati species postulat.

Quare alia temperamenti ratio est in inanimatis, ut mineralibus & metallis: alia in animatis: Nam in metallis, gemmis, & aliis corporibus homogeneis aut similaribus, totum & singulæ partes unius sunt temperamenti: In animatis verò, diversa sunt singularum partium temperamenta, ob diversum calorem partibus similaribus connatum, diversamque structuram: & totum in quavis specie ex diversis partium temperamentis, unum temperamentum obtinet, propter illum unum calorem innatum partes continentem. Hujus ratione animalia calida & humida dicuntur, non absolutè, sed ad demortua collata & stirpes in quibus calor innatus non adeò viget, ut Galen. 1. de temper. c. 5. voluit.

Temperamēti alia ratio in animatis, alia in inanimatis.

Verùm in animalibus duplex apparet temperamentum, unum fixum, innatum, sive radicale, ortum in prima conformatione ex semine & materno sanguine, sub quo sexus temperatura continetur: aliud fluens, ortum, non tàm in prima conformatione quàm post, ex iis quæ extrinsecus accedunt. Hoc perpetuò mutabile est ob res non naturales, licèt non semper transeat limites sanitatis: deinde, facilè restituitur: verùm radicalis temperatura licet ætatum decursu, caloris nativi in humidum actione, & gravissimorum morborum incursu varietur, penitus tamen ante dissolutionem mixti non extirpatur, nec facilè aut unquam restituitur, ut in febri hectica apparet. Hæc radicalis

In animalibus duplex consideratur temperamentum. Radicale & fluens.

tem-

temperatura in animatis est, de qua hîc proprie agimus.

Differētia temperamentorū. Temperamenti divisio ex vario contrariorum concursu sumitur. Quot enim modis variantur in mixtione elementorum vires, tot temperamentorum differentiæ oriuntur. In mixtione, aut mensura elementorum omnium æqualis concurrit, sive qualitates primæ viribus pares, aut impares vires & inæqualis mensura facultatum elementorum: Ubi autem æquales contrariorum vires occurrunt refrangentes sese in puncto medio, inter extrema, mixtum quoddam, exquisitè & simpliciter medium oritur, & temperamentum absolutum quod εὔκρατον & σύμμετρον vocatur: ac quoque temperamentum quo ad pondus.

Temperamentū ad pondus.

Temperamentū ad iustitiam. Ubi autem qualitates viribus impares, & elementorum inæqualis mensura ad mistionem concurrit, mistum absolutè temperamentum non oritur, nec temperamentū absolutè medium, sed quiddam alicui naturæ, & functionibus ejus tantum accõmodatum; distans in quadam latitudine à medio quo ad pondus, intra certos terminos: aliud enim accommodatum est uni naturæ omnibusquè ejus functionibus; aliud alteri. Quare, tale temperamentum in ea mediocritate est, quæ ad potestatem tantum refertur, & unicuiquè pro dignitate & naturæ modo convenit: quale quid justiciam esse dicimus, quæ suum cuique pro dignitate tribuit, unde temperamentum ad justiciam vocatur. In isto inæquali qualitatum concursu, aut una qualitas cæteras vincit, sive excellit; aut duæ cæteras duas; nunquam autem tres unam: si una semper qualitas intelligatur cæteras vincere, quatuor simplices oriri poterunt temperaturæ, nimirum, calida, frigida, humida, sicca: sin duæ, cæteras duas: quatuor compositæ sive conjugatæ. nimirum calida sicca, calida humi-

humida, frigida sicca, frigida humida. Quare ex sententia Galeni, novem erunt temperamenta, unum absolutè medium, εὔκρατον dictum, octo illius medii respectu δύσκρατα sive intemperata.

Temperatura novem.

Nihilominus tàm philosophi quàm medici simplicia quatuor temperamenta una cum medio omiserunt, & aliqui duo tantum temperamenta calidum siccum, & frigidum humidum posuerunt. Cæteri, iique illustriores, quatuor composita temperamenta: & Athenæi sectatores, temperamentum perfectum sub calido & humido comprehendi dixerunt. Existimarunt fortasse (ut Averrhoës) activas qualitates in mixto sine suis passivis non consistere. Verùm, cum omnis mutatio à contrariis, & ex contrariis, fiat, in contraria: in mixtione quatuor qualitatum contrariarum fieri posse videtur, ut unum cõtrariorum ab altero vincatur, cæteris duobus ad æqualitatem revocatis, tamen tale medium absolutè non est, sed sensibile solùm, & quo ad nos, parvo tempore durans. Nam una δυσκρασία sola non diu durat; Quare de temperamento medio ad pondus quod sub calido comprehendi nequit, ut rectè demonstrat Galenus, an revera in natura sit, & an temperamentum dici debeat, quod ad actiones tantum refertur, dubitari non injuria poterit.

Variæ opiniones de numero temperamentorũ.

Tale quoddam medium temperamentum dari posse, mixtione artificiali ex aqua ferventissima & frigida: item ex aqua & cineribus Galen. 1. de Temp. c. 9. ostendere conatur: cum tamen miscere sit Dei & naturæ opus, & temperamentum illud, tantum sensibus tale videatur, nec perfectum sit: verùm 1. de Sanit. Tuen. c. 5. medium tale vix inveniri, & si inveniatur, propter infinitas mutationes, ne momento quidem subsistere fatetur. Quare imaginatione potiùs concipitur, quàm revera subsistit,

An detur in natura temperamentum quoad pondus.

sistit, ut norma & mensura excessuum & defectuum, cujus mensuræ consideratio necessaria judicatur, non solùm ut per hoc medium, tanquam per mensuram alias temperaturas examinemus, & intelligamus: sed etiam, ut in hoc medium, velut in normam intenti, unicuiq; convenientem diætam præscribamus, & statum corporis intemperatum corrigamus. Quare Galenus temperamentum ad pondus, statuæ Policleti comparavit, quam canonem artifices vocarunt, quod partium omnium competentiam ad unguem haberet. Verùm cum temperamentum propriè aliquid in natura sit, & ad actiones referatur, & functionum gratia dicatur, illud temperamentum perfectissimum erit, à quo perfectissimæ functiones, quale non est temperamentum ad pondus, regula tantum excessuum & defectuum in imaginatione consistens: sed illud ad justiciam, actionis causa, propinquum tamen canoni, temperamento scilicet ad pondus.

Temperamentum perfectissi. à quo perfectissimæ actiones.

Deinde illud in toto animatorum genere perfectissimum temperamentum habebit, quod præstātissimas & perfectissimas actiones edit; Præstantissimas autem actiones edit homo, igitur in toto animatorum genere humana species temperamentum perfectissimum habebit. Præterea in humana specie, ille, qui functiones, tàm animi quàm corporis præstantissimas habet, εὔσαρκος sit, temperatissimus erit, cujus respecta cæteri homines intemperati dicuntur, calidi nimirum, frigidi, humidi, aut sicci. Ex quibus apparet, (ut docet Gal. 1. de Temp. c. 6.) εὔκρατον & σύμμετρον multis modis dici, sicut quoque intemperatum, calidum scilicet, frigidum, humidum, siccum, quæ elementis absolutè quidem insunt, mixtis verò in comparatione tantū tribuuntur. Quare ubi de tēperamento alicujus mixti quæritur, absolutè respondendū non est. Nam

Nàm medium sive σύμμετρον aliud absolutè consideratur in toto substantiarum genere, æstimando pares elementorum vires, & non actiones, quale medium, ut diximus, norma tantum est excessuum & defectuum, verùm ut Galenus demonstrat, huic in natura correspondere videtur cutis hominis temperati, inprimis vola manus; instrumentum præcipuum tactus, & regula sensibilium.

σύμμετρον quadrupliciter consideratur. I. absolutè in toto substãtiarũ genere.

Deinde aliud medium consideratur in universo animatorum genere, ex actionum perfectione & dignitate; id ut diximus est homo aut humana species, cujus collatione, animalia alia dicuntur calida, alia frigida, alia humida, alia sicca.

II. in toto animatorũ genere.

Tertiò quælibet animata species propriam temperaturam habet, naturæ suæ convenientem, in magna latitudine; quare in quavis specie, medium sive σύμμετρον aliquod consideratur, quod ex actionis præstãtia judicatur. & illud in quavis specie εὔκρατον dicitur, quod optimè se habet, & functiones suas perfectissimè exercet. Hoc σύμμετρον diversimodè consideratur, aut enim ratione omnium gentium omniumvè climatũ, quomodo sub quarto climate temperamentũ perfectissimum erit: vel ratione certi alicujus climatis & regionis: Nã alia est constitutio Scythis qua sani sũt; alia Indis: atq; hoc respectu mediũ in quovis climate erit, cuj⁹ ratione alia corpora dicũtur, intẽperata calida, frigida, humida, vel sicca.

III. In qualibet animatorũ specie.

Præterea individuum aliquod temperatum aut intemperatum dicitur, ad quidvis obvium conferendo: vel etiam sui respectu propter temporis, ætatis, diætæ, & similium diversitatem.

IV. In mutua cõparatione.

Eadem in partibus consideratio est vel respectu totius, vel ad se invicem. Nam homo respectu omnium partium in toto aut æquabiliter temperatus dicitur, aut inæquabiliter: Æquabiliter autem non

Homo ratione partiũ vel est æquabiliter tẽperat⁹ vel inæquabiliter.

non quia omnia membra unius sunt temperamenti, sed quia omnium membrorum diversè temperatorum debita proportio & competentia est: quæ competentia, si fuerit partium singularum perfectè temperatarum, non solùm æquabiliter, sed etiam perfectè temperatus dicetur: Inæquabiliter verò temperatus vocatur, si non sit omnium partium naturalis ἀναλογία, sed aliæ justo calidiores, aliæ frigidiores, ut Galen. 2. de temp. c. 6. explicat. Deinde ubi partes inter se comparantur, aliæ temperatæ judicantur, aliæ intemperatæ, calidæ nimirum, frigidæ, humidæ, vel siccæ. Eadem ratio est in ætatibus, temporibus anni, alimentis, medicamentis, ac in summa in rebus naturalibus & non naturalibus, quæ omnia vel actu talia sunt, vel potestate: quæ autem actu talia sunt horum prompta est cognitio, utpotè quæ tactu propriè discernuntur: quæ verò potestate, id quod dicuntur, parva intercedente mutatione fieri possunt; ac ratione potissimum æstimantur, ut Galen. 2. de temp. c. 2. demonstrat.

Quid actu & quid potestate temperatum & intemperatum.

Partium singularũ humani corporis tẽperamẽta

Verùm ut à partibus incipiamus, primum id tenendum est, omne molle vel durum, mediocri calore præditum, humidum vel siccum esse. Deinde omne exangue frigidum: contra, omne sanguine abundans, calidum, verum sanguinis vocabulo, & venalis & arterialis intelligitur. Quare quæ pars inter hæc medium locum obtinet, temperatissima erit, talis est cutis in homine, maximæquè in vola manus, & in summitatibus digitorum, ut ex usu & compositione ejusdem Galen. 1. de temper. c. 9. ostendit. Quare cum hac collatæ aliæ partes intemperatæ dicuntur calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ, ac primum ex partibus cor, licèt ob compositionem minus calidum videatur ob sanguinis & spiritus copiam pars calidissima judicatur. Deinde jecur, hinc caro musculorum, lien & renes.

Partes calida.

Dein-

Frigidæ siccæ.

Deinde partes frigidæ aliæ simul duræ siccæque sunt, aliæ humidæ: frigidissimus autem & siccissimus est pilus & quæ extra prominent: deinde os & cartilago, hinc χονδροσυνδεσμὸς, post tendo, deinceps membrana, arteria, vena, tandem nervi duri: Nervi verò molles, frigidi quidem sunt, sed mediam in siccitate & humiditate naturam obtinent, ut cutis: Frigidæ simul & humidæ sunt primũ adeps, qa frigore concrescit, deinde medulla ossium, hinc cerebrum & spinalis medulla. Verùm à cute incipiendo, primum, humidi sunt nervi, sensum deferentes, deinde, cor, jecur, lien, caro simplex, pulmo, hinc spinalis medulla, cerebrum, tandem ossium medulla & adeps.

Frigidæ humidæ.

Humorũ temperamenta.

Præterea inter contenta humano corpori necessarii sunt humores, qui ex elementis per media alimenta gignuntur, & quatuor elementis comparantur. Nam flava bilis, igni; pituita, aquæ; sanguis aëri; melancholia terræ correspondet, & similibus qualitatibus prædita sunt. Verùm præter calorem, partibus singulis connatum, sive temperatum ex mistione genitum, à corde, velut fonte caloris innati, per arterias in totum corpus omnesquè partes, diffunditur, calor, sive spiritus vitalis, natura calidissimus, cujus appulsu vita existit: excessu, mors supervenit, & in corpore singularum partium vires in actum deducit, & unit, omniaq; regit ac moderatur. Hæc omnia ad corporis humani constitutionem requiruntur, & ex his temperamentum totius quoque æstimatur. Homo autem temperatissimus judicatur, à corpore, & ab animo, facultatibusquè animi: A corpore verò, corporisquè habitu; si apta omnium partium sit constitutio, imprimis verò trium partium principalium, cordis, jecoris, & cerebri: Deinde, si habitus medius sit, inter crassum & gracilem, mollem & durum, calidum & fri-

Unde æstimetur tēperamentum totius corporis humani.

Signa hominis tēperatissimi.

& frigidum, hirsutum & glabrum : Præterea, si corpus vividũ sit, apteq; perspirans, & pilos habeat colore medios inter album & nigrũ, sed cum puer est, magis ruffos, cum juvenis, magis nigros; Ab animo verò, si animo medius sit, inter timidum & audacem, cæterosq; affectus. item si prudens, perspicax, alacer, humanus : præterea, si benè alimenta concoquat, & digerat, omnesquè actiones tàm animales quàm naturales inculpatas habeat, & medius sit inter somnolentum & pervigilem.

Signa hominis calidi. Qui ab hac mediocritate discedunt, intemperati judicantur; Nam calidi, latas venas habent, ob jecoris cordisq; calorem : sed pingues non sunt, pilisq; abundant, & capillo magis nigro sunt, & acri calore præditi, animo verò magno iracundo, & audaci: verùm, si sicci simul sint, corpore erũt gracili, magisq; nigro, hirsuto & duro; deinde animus magis præceps, ferus & implacabilis, cũ actionũ promptitudine, præterea pervigiles: Sin calidi simul & humidi, erit corpus magis carnosum, molle, colore ex albo & rubro, obnoxium putridis morbis : animus verò præceps, sed nec ferus nec implacabilis.

Hominis frigidi. Qui verò frigidi sunt, angustas habent venas ex quibus quod in sanguine pingue est extra decidens concrescit, & non discutitur, unde pinguiores sunt magis quàm carnosi, & natura desides, corpore glabro, calore miti, pilis magis albis, animo demissiori & timidiori. Verùm, si simul humidi fuerint, erit corpus molle, magis obæsum, & debile, deinde segnities, ingenii stupiditas, & somnolentia major: Sin frigidi simul & sicci, erunt corpore duriore & graciliori, animo constanti, sed tristi & timido.

Requisita in consideratione tempera- Verùm in temperamento totius æstimando singularum partium, temperamenta prius observanda erunt, præcipuè verò trium principum partium, ut Galenus *lib. artis medicinalis* declarat : Deinde nisi

æqua-

æquabile temperamentum sit, ex una parte solum non est conjectandum: nec etiam ex solis moribus. Præterea distinguenda est partis naturalis temperies, à non naturali, & videndum, ex quibus, & in quæ mutationes factæ sint. Nam aliquando præsens nota est index prioris temperamenti, quare ante omnia sexus & ætas consideranda erunt. *menti cujusq.*

Sexus autem sua constitutio sive temperamentum proprium est; Nam Galen. 2. *de semine*, non alia ratione marem aut feminam generari dicit, nisi ob caloris copiam & inopiam: copia enim caloris est, quæ membra genitalia in maribus solis extrudit: quare naturali constitutione, mares semper calidiores, sicciores què feminis sunt, quod pilorum multitudo, excrementorum natura, actionum robur & celeritas, aliaquè plura manifestè arguunt. Verùm, illa sanguinis menstrui in feminis redundantia, à caloris copia non fit, ut quidam voluerunt, sed potius à debilitate caloris, non perfectè concoquentis & digerentis suum alimentum. *Temperamentum sexus.*

Deinde, ætas nihil aliud, quàm spacium vitæ, quo actione nativi calidi in suum humidum, corporis constitutio manifestè mutatur. Mutatur autem corporis constitutio statim à prima generatione, pro qua mutatione alii aliter ætates numerant, & aliqui tres potissimas, juxta præcipuas mutationes, Adolescentiam, florentem ætatem, & declinantem sive senilem: Hippocrates *libr.* 1. *de carne.* septem ætates ponit, easquè distinguit juxta annorum septimanas. Alii verò ut annum, ita vitam in quatuor quadrantes dividunt, adolescentiam scilicet, quæ infantiam, pueritiam, pubertatem, & adolescentiam propriè dictam comprehendit, ad vicesimum quintum aut tricesimum ætatis annum: Deinde juventutem sive florentem ætatem ad 36. aut 40. *Temp. ætatum.*

Tertiò, consistentiam ad 45. aut 50. Quartò senectutem, quæ ingravescentem ætatem & decrepitam continet, & extenditur ad finem usque vitæ. Quælibet ætas suum temperamentum habet, ac primum, quia formatio animalis ex semine & sanguine rebus calidis & humidis fit, quibus siccescentibus, partes continuè formantur & perficiuntur donec animal in lucem prodeat, edito verò animali velocissimè augetur; erit igitur infantium temperamentum calidissimum & humidissimum, cum in alio conformatio & auctio fieri nequeat: procedente verò ætate, animal siccius efficitur, calore naturale humidum suum depascente, ad extremum usque senium ubi marcescit. In medio extremæ humiditatis & siccitatis est florescens ætas, sed non frigoris & caloris. Nam ab infantia ad consistentiam usque æqualis quodammodo calor manet, differens à puerorum calore tantum qualitate, quæ ex difflatus impuritate creatur. Nam puerorum calor est blandus, vaporosus, substantia purus & copiosus. Iuvenum verò acris, mordax, & ex alieni admistione impurus: qui duo calores tamen, non aliter differunt, quàm idem calor, in solii aqua, & balnei aëre. Quæ ætas florentem sequitur, frigidior, sicciorquè semper evadit, quare, extremum senium in frigiditate & siccitate consistit, viaquè ad interitum est, unde naturalis tabes dici poterit: verum illa senum siccitas, est secundum substantiam solidarum partium omnium, & non ratione excrementorum; Nam senes ob debilitatem caloris nativi, non concoquentis alimenta, excrementorum copia humidi sunt, licet in partibus solidis siccissimi sint. Consideratur quoq; temperies & intemperies in rebus non naturalibus, à quibus alteratur nostrum corpus, ac primum aër nos ambiens variatur, vel ratione temporum anni, vel regionum & locorum.

Qua-

Quatuor anni tempora in se considerari debent ex vincentibus in unoquoque qualitatibus & non collatione mutua. Dividitur quodlibet anni tempus, in initium, medium & finem. Medium stabilem constitutionem, & qualitatem naturalem cōtinet, Initium aliquid naturæ temporis anni præcedentis adhuc retinet, finis sensim ad qualitatem temporis consequentis inclinat. Ver autem naturaliter dispositum, calidum & humidum non erit, cum ea constitutio putridis & pestilentialibus morbis maximè oportuna sit, Ver verò, (*Hipp. 3. Aphor. 9.*) saluberrimum est, morbisquè, exitialibus minimè obnoxium, quare erit in medio omnium excessuum, & etiam medium ferè inter æstatē, quæ naturaliter sicca calida est, & hyemē, quæ frigida humida; Præcipuè veris medium, licèt ob Solis accessum, qui terræ meatus reserat, multosquè vapores humidos suscitet, ver ad caliditatem & humiditatē potissimùm inclinet, unde à Gal: interdum calidum humidum existimatur. Autumnus verò æstatis & hyemis respectu temperatus videri poterit, cum tamen gravissimis morbis sit oportunus, quod inæqualitati caloris & frigoris tribuitur, ut Hipp. *3. Aphorismorum 4.* hac sententia significavit: Cum eodem die modo frigus afficit, modo calor urget, autumnales morbi expectandi erunt: nihilominus siccior est quàm humidior, quare siccus meritò judicatur, sed ex calore & frigore mistus sive inæqualis.

Temperamentū rerum non naturaliū Temporum anni.

Deinde regiones & loca terræ aërem & corpora quoque contenta immutant & variant. Differunt autem regiones pro ratione climatum & positus cœli: quare regiones sub Ursa, frigidæ, humidæquè sunt; sed teste Galeno *2. Sanit. tuen. c. 7.* homines ibidem inæquali temperamento præditi sunt. Nam exteriora frigidiora sunt, ideoq; corpore molli, pingui, albo & glabro magis sunt, capillo recto,

Temp. regionum.

ruffo, aut ad albũ declinante: Interiora verò immodicè calent, undè moribus sunt magis agrestes, feroces, austeri & inhumani, item simplices & incauti. Qui verò in calidis regionibus degunt, ob ambien- ~~tia~~ tem æstum exteriora torrentur, & calor naturalis foras extrahitur, undè cutis sicca & nigra est, corpus gracile, capillus niger, crispus & fragilis, moribus sævi & crudeles, ingenio subdoli & astuti: Verùm, qui in temperatis regionibus degunt, naturaliter in medio omnium excessuum sunt, & totum corpus magis temperatum habent, ut supra dictum est. Præterea natura ipsius regionis corpus animũq; variè disponit, & aliter montosa, aspera, aliter curva, pratensis, aliter plana: itidem aliter tenuis aër aliter crassus vel impurus; Eadem ratio est in consuetudine & vitæ studio, ut Hipp. de aqua & aëre demonstravit.

Potestate temperata vel intẽperata.

Quæ hactenus proposita sunt, omnia actu talia sunt, qualia dicuntur. Potestate verò talia vocantur, quæ idipsum quod esse dicuntur, nondum sunt, sed possunt evadere, si exhibita aut corpori admota à calore nativo leviter immutentur, cujus generis sunt medicamenta, quæ corpus nostrum immutant, & alimenta quæ in substantiam corporis vertuntur. quæ omnia temperata aut intemperata dicuntur collata ad humanum corpus potissimum. Verùm temperata nulla dicũtur, quia idem prorsus cum humano corpore temperamentum habent, ita enim corpora humana essent, sed quia à calore nostro in actum deducta qualitatem hominis temperati non supergrediuntur. Quæ verò una vel duabus qualitatibus superant, intemperata vocantur, idque ab illa qualitate, qua supergrediuntur calida, frigida, humida, sicca. Sed de his aliisquè medicamentorum facultatibus suo loco dicemus.

DE ANIMA EJUSDEMQUE FACULTATIBUS IN genere.

CAPUT III.

Quia functiones humanæ, à facultatibus oriuntur: facultates, aut ipsa anima sunt, aut ab essentia animæ promanāt: ut functionum caussæ intelligantur, ordo postulare videtur, ut animam animæq; facultates primum cognoscamus. Deinde ut corpus partesquè corporis in quibus facultates subsistunt, & à quibus functionum integritas & læsio. Esse autem animam, ex actionibus, quibus animata ab inanimatis distinguuntur, omnibus teste Galeno perfectè notum est, idquè notissimo axiomate, quo nihil sine caussa fieri æstimamus. Animadvertunt enim omnes, animatum corpus nutriri & augeri, deinde animalia à seipsis moveri & rei extra se positæ speciem percipere: quæ omnia in defunctis sublata caussa abolentur.

Philosophorum & Medicorū opiniones de natura animæ.

Verùm quæ illa caussa sit quæ anima vocatur, sive quid ipsa anima aut animæ natura, pauci veterum Philosophorum, excepto Arist. aut etiam Medicorum explicarunt. Nam relictis veterum opinionibus, quas 1. *de Anima* Arist. refellit, Hippocrates essentiam animæ non explicavit, & ut Stoici ferè, cum calore naturali confundit. Nam 1. *de Diæta* ex aëre & igne eam componit, & 6. *Epidem.* calorem nativum vocat, alibi verò naturam appellat. Galenus licèt passim ingenuè fateatur, se ignorare quid anima sit, tamen cum Hippocrate *libro de Tremore & palpit.* calorem naturalem sive spiritum primogenium & insitū vocat, eumq; naturalium operationum autorē esse dicit, quo extīcto vita perit.

Proinde *7. de Placit.* ex duobus alterum necessarium esse ipsam animam, vel quoddam fulgidum & quasi æthereum corpus esse, scilicet spiritum naturalem (ad quod asserendum velint nolint, consecutione cogente, coguntur Stoici & Aristoteles) vel incorpoream quandam substantiam, uti tamen hoc corpore velut principali vehiculo. Nihilominus libro *Quod animi mores &c.* ipsam animam corporis temperamentum esse concludit: observavit enim functiones à functionibus ita differre, ut temperamenta à temperamentis. Deinde servato temperamento functiones servari & facultates permanere, præterea animi mores corporis temperamentum sequi, proinde in corporis temperamento defixus, functiones ab ipsius corporis temperamento, ut prima & principali caussa oriri existimavit. Verùm *cap. ult. de fœtus form.* fatetur se veritum semper fuisse animæ substantiam definire, immo *6. Epidem. com. 5.* qui aliquid de ea, dequè immortalitate animæ affirmarint, audacia magis quàm sapientia antecedere. Præterea eam cognitionem ad medicinam usum nullum habere, satisquè esse scire, tres animæ partes sive facultates sedibus distinctas in humano corpore existere, *(lib. de substantia natur. facult.)* & si aliqua immortalis sit, ancillari tantum eorum naturis, quæ ex mistione temperata sunt. Nam quamdiu naturalis temperies corporis servatur, impossibile erit eam sejungi. Quamquam autem perfecta animæ cognitio Medico necessaria non sit, Philosopho tamen utilis & dignissima videtur, à quo Medicus principia sua & animæ cognitionem mutuatur: deinde, Philosophus proxima operationum instrumenta à prima operationis caussa semper distinguere debet.

Refellũtur qui dicũt Nam si anima id sit, quod totum corpus omnesquè ejus partes perficit & gubernat, ac motum sen-

Cap. III. *animam corpus aut temperamentũ esse, aut spiritũ innatũ.*

ſenſumquè tribuit, corpus certè non erit, ſive ſpiritus naturalis, alioqui anima illa, quo dirigeretur & contineretur, vinculo indigeret, & per ſe tantarum operationum cauſſa nunquam foret. Verùm ut Ariſt. 2. *de Generat. animal.* teſtatur, ſpiritus ille ab anima dirigitur, & non eſt ipſa anima, ſed operationum animæ comes & inſtrumentum. Deinde corporis harmonia aut temperamentum anima non erit. Nam in quovis animato una propriè eſt anima, ut pòſt apparebit, ſed tot miſtiones, quot partes: nec etiam aliquid erit ex elementis ortum, ſed quiddam ſuperioris naturæ quàm elementa, quippe cum perficiat, augeat, loco moveat corpora ex elementis compoſita. Denique cum ipſo corpore anima non mutatur, & ſenectus aliæquè affectiones animatorum non fiunt, quia anima aliquid paſſa eſt, ſed quia corpus, quemadmodum in ebrietate & morbis evenit: & licèt ira, gaudium & ſimilia, animæ interdum tribuantur, animæ tamen motus non ſunt, ſed ab anima proficiſcuntur, & corpus afficiunt, ac ad totum hominem pertinent, quales ſunt cæteræ actiones præter intellectus, quas ſine corporeo inſtrumento anima per ſe exerit. Quamquam autem anima corpori ita devincta ſit, ut ſine apto & diſpoſito corpore nec operetur, nec etiam inexiſtat; corporis tamen temperamẽto non ancillatur, ſed contra corporis temperamentum, ut idoneum inſtrumentum ipſi animæ ſubſervit. Nam ut anima in corpore ſubſiſtat & facultates animæ exerceantur, requiruntur inſtrumenta certo modo diſpoſita & temperata. Quare rejectis veterum Medicorum opinionibus, animæ cognitionem ex Ariſtotele, & veris Philoſophiæ principiis potius æſtimabimus.

Ratio cognoſcendi eſſentiam animæ.

Ac primum cum perfectè omnibus notum ſit animam exiſtere: neceſſe erit eam aut in numero ſubſtantiarum aut accidentium eſſe. Verùm cum

accidens vi ſubſtãtiæ, in qua ſubſiſtit, uno determinato modo propriè agat: anima verò tot tantarumq; operationum per ſe cauſſa ſit, accidens certè non erit. Quod ſi igitur ſubſtantia, aut materia, aut forma, aut ex utraq; compoſitum quiddam. Verùm cū materia per ſe τόδε τὶ non conſtituat, ſed δύναμις ſolum ſit, & paſſionis principium, nulla vi agendi per ſe præditum, aptum tantum, ut ab alio perficiatur, materia non erit anima: neque etiam compoſitum, nam animatum compoſitum quiddam eſt ex anima & corpore, corpus verò in eorum numero non eſt, quæ in ſubjecto ſunt, ſed potius ipſum ſubjectum & materia. Quare relinquitur, quod ipſa anima ſit forma ſive ἐντελέχεια, eaquè prima, proprius ſubſtantiæ actus & forma materiam informans, ac actiones producens, qualis ἐντελέχεια habitui & ſcientiæ comparatur, non autem ἐντελέχεια ſecunda, ut contemplatio, aut quemadmodum Ciceroni videbatur, ἐνδελέχεια agitatio & motio: quæ duplex eſt, una inchoata & imperfecta, formam præcedens, altera perfecta effectus conſequens formã. Perficit enim anima corpus, non ut ars, externū actionis principium, ſed quaſi natura & principium inſitum corpus phyſicum, non omne ſed aptum actionibus animæ, quæ actiones vitæ nomine cõprehenduntur. Nam vita à Philoſophis actionum omnium unio & communio dicitur. Verùm cum facultas illa, quæ vitæ particeps, nulli inſit, niſi corpori organico, qua differentia ipſa natura animatum ab inanimato evidenter diſtinxit, corpus aptum actionibus animæ, neceſſariò pluribus partibꝰ conſtabit, quæ ita naturaliter diſpoſitæ erunt, ut facultates animæ ſuſcipere, & ut idonea organa certo modo moveri, functioneſque debitas obire queat. Nam anima duo præſtat, primò informat, complet & per-

& perficit corpus organicum, sive animatum in esse specifico constituit: deinde utitur corpore jam informato & animato tamquam organo: utriq; actui corpus aptum actionibus animæ habile esse debet. Verùm prioris respectu ex anima & corpore, ut ex actu & potentia, animatum constituitur. Deinde, ipsa anima essentia & ratio corporis organici judicatur, & sine anima, nullum corpus physicum, organicum dicitur: perinde ac si fingatur, instrumentum aliquod artis alicujus, ut securis corpus à natura formatum esse, quemadmodum fœtus humanus in utero per novem menses: essentia certè illius securis erit id, ratione cujus dicitur securis, forma scilicet, organum illud, quatenus organum, informans, veluti anima: qua separata, homonyme solum securis diceretur. Verùm cùm ab arte securis fiat, & corpus physicum non sit: essentiæ ejus ratio anima non erit, sed potius sumpta similitudine, à corporis animati partibus, de toto judicandum erit, veluti si oculus fingatur animal, ipsius anima erit facultas videndi, ἐντελέχεια prima oculi, qua sublata oculus non erit oculus nisi homonyme, ut oculus pictus aut lapideus.

Ex quibus colligitur, quod anima propriè sit, ἐντελέχεια prima corporis physici, potentia vitam habentis, & talis, cujus partes sunt organa. Manifestior animæ cognitio evadit, si propter quid animæ corpori insit, nimirũ si ex propriis operationib⁹ intelligatur, quas facultatib⁹ insita de se promit. Ab anima autem vita proficiscitur, ut diximus, illaq; vitam habere dicuntur, quæ vegetantur, quæ sentiunt, quæ loco moventur, & quæ intelligunt: quibus veluti gradibus animata inter se distinguuntur. Quare horum fons & principium erit anima, & id quo alimur, sentimus, intelligimus & movemur primò. *Definitio animæ.*

Hæ

De facultatib. animæ.

Hæ functiones in homine à diversis facultatibus unius animæ proficiscuntur, quæ diversæ animæ non sunt, nam una in quovis vivente anima est, quæ in partes natura discrepantes non dividitur. Sunt autem facultates vires quas anima de se promit ad munerum functiones, hæ in unoquoq; vivente originaliter in una anima sunt, à qua promanant, ut diversæ operandi rationes, & agentis conditiones sive proprietates, sed in corpore, ut in subjecto recipiuntur. Cum igitur facultates functionum caussa dicantur, quot sunt opera & functiones in quovis animato, tot erunt animæ facultates, at quatuor primæ functiones sunt, vegetatio nimirum, sensus, motus & intellectus. Quare in homine quatuor facultates enumerari poterunt, quarum prima ab Aristot. nunc φυτικὴ, nunc θρεπτικὴ, nunc γεννητικὴ dicitur, & à Stoicis facultas naturalis: secunda sensitiva, tertia motiva, quarta intellectiva. Verùm motiva à sentiente facultate separata non est, ut alibi dicemus. Quare tres primæ facultates erunt, naturalis, sentiens & rationalis, quibus etiam veluti gradibus animata inter se distinguuntur.

Tria animatorum genera.

Nam tria sunt genera animatorum, primum & infimum genus, quod unica solum facultate præditum est, nimirum vegetativa, ut stirpes: secundum quod cum vegetatione vel sensum solum, vel sensum & motum habet, ut animalia: tertium & perfectissimum, quod omnibus facultatibus instructum est, ut homo. In his tribus animatorum generibus, tres distinctæ sunt animarum species, quæ ob inopiam vocabulorum iisdem appellationibus, quibus facultates ipsæ, semper designantur, cum tamen, ubi eadem facultas, ibi eadem animæ species non semper sit; nam facultas intelligens in homine cum

CAP. III.

An plures animæ in homine?

ſentiente neceſſario conjuncta eſt, & in brutis ſentiens cum vegetante. Attamen eadem animæ ſpecies ubiquè non eſt, nec etiam in animalibus diſtincta eſt anima vegetans à ſentiente, aut in homine intelligens à cæteris, ſed una tantum eſt, & ſimplex anima in homine, à qua omnes hæ potentiæ promanant, & quæ in ſe ut totum poteſtativum, omnes potentia includit, non aliter ferè quàm pentagon9, quæ figura ſimplex, tetragonum & trigonum poteſtate continet. Nam ut in cæteris formatis, forma neceſſario in toto eſt, ita in ſingulis animatis una anima in toto omnibuſquè partibus erit; licèt principaliter in uno membro, ubi primario reſidet ſive radicatur; deinde, quia ab una illa anima promanat omnes facultates uniuſcujuſquè animati: anima ut poteſtativum quiddam, ſecundum omnes potentias ſimul junctas, in quavis parte erit, nimirum originaliter omnes facultates in toto omnibuſquè partibus erunt, quemadmodum ipſa anima. Nam ubi eſſentia, ibi agendi facultas. Verùm cum nihil recipitur, niſi aptum natum ſit recipi, in quacunque parte quælibet facultas ſubjectivè non erit. Nam quælibet facultas (excepta intellectiva) organum requirit certo modo temperatum & diſpoſitum, in quo recipiatur, & per quod exerceatur. Quare facultas indiſtincta & indifferens, à proprio facultatis organo determinatur & contrahitur, ut ubicumquè anima invenerit organum, ibi facultas operetur, nec alibi propriè dicatur: nam in organo facultas perficitur. Præterea facultas, quæ ratione ſui impatibilis, ratione organi variatur, & interdum depravatè agit, aut munere ſuo fruſtratur, unde Ariſt. 1. *de Anima*, ſi ſenex acciperet oculum juvenis, videret ut juvenis. Intellectus verò in homine proprium organum non habet quo perficiatur, nihilominus, quia imaginatione utitur, ibi propriè intelligitur,

Anima ut poteſtativum in toto & ſingulis partib. at facultates ſubjectivè ubi operantur.

tur, ubi imaginatio. Quoniam verò in eſſentialiter

Sedes animæ cor.

ordinatis ad primum aliquod ſemper deveniendum erit, omniſquè pluralitas ad unitatem aut unum aliquod primum revocari debet, in quo plura communicant & conſpirant, omnia in quovis animato membra ad primum aliquod colligari & conſpirare debent, non aliter ferè, quàm omnes facultates ad unam animam. Quare erit unum membrum in corpore primum, radix animæ & fons caloris innati, à quo cætera membra vitam ſuſcipiunt, alioqui ſi plura principia prima eſſent, totum corpus conſpirabile non diceretur. Tale membrum, cor neceſſario in animatis corde præditis erit. Nam cor omnium conſenſu, eſt fons vitæ & caloris innati, deinde adminiculo & vi caloris innati partes omnes in corpore facultates exerunt, & in actum deducuntur. Unde ſpiritus ille ab Hippoc. pro anima ipſa accipitur: atque ita cor facultate ſua cæterarum partium vires ſuſcitat, perficit & complexu ſuo fovet.

Medicorũ opinio de facultatibus animæ, earũquè ſedib.

Galenus, Hippoc. & Plato, tres differentias animæ conſtituerunt, & non omnem animam ut Ariſtot. ſed humanam diviſerunt, & Plato in ἐπιθυμητικὴν, θυμοειδὴν & λογιστικὴν, quas Galenus naturalem, vitalem & animalem vocavit, Proinde vitalem facultatem à vegetativa diſtinguunt, & ſub animali ſenſitivam & rationalem comprehendunt. Præterea has animæ differentias, certis ſedibus in corpore humano diſtinguunt, nam naturalis ſive appetitiva in jecore, vitalis ſive iraſcibilis in corde, animalis ſive rationalis in cerebro ſedem habere dicitur, ac ab his tribus velut fontibus vires in totum corpus diſfundere putantur quibus animal regitur. Deinde libro *Quod animi mores cap.* 2. exiſtimat Galenus, quamlibet harum facultatum appetitu ſuo ad agen-

dum

dum impelli, & naturalem appetitu cibi, potus & rei venereæ: vitalem, desiderio vindictæ, gloriæ, libertatis, &c. rationalem, appetitu cognitionis, veritatis, solertiæ, &c. Quare ut facultas, ita triplex appetitus Galeno erit, naturalis, vitalis, animalis. Præterea Galenus *5. de placit.* ex decreto Hippocratis & Platonis affirmat, animam humanam non modò facultates multas in se habere, sed etiam ex partibus illis diversis genere, naturaquè discrepantibus compositam esse. Verùm, an hæ differentiæ novam animæ speciem constituant, an anima in partes ita dividua sit, meritò dubitatur. Nam primo vitalis nullam animati speciem constituit, nec appetitus differentiæ, species aut facultates animæ sunt. Præterea ex sejunctis partibus anima composita non est, sed simplex forma, omnis coagmentationis expers; nam si tot animæ distinctæ in homine essent, quot facultates, in unum non conspirarent, & quo continerentur vinculo indigerent. Verùm continet anima ipsum corpus, ut forma essentialiter individua, quod verò dividatur, id per accidens fit, ratione facultatum, vel quia corpus continet. Nam ubique una animæ species in toto & singulis corporis partibus existit, quod vel ex surculis ab arbore avulsis apparet, qui eadem animæ specie, subjecto discriminante vivant: cujus contrarium in perfectis animalibus evenit, quia distinctiora organa requirunt. Deinde in perfectioribus animatis ubicumque superior facultas est, ibi necessariò est inferior. Quare in uno animatorum genere, hæ facultates non origine, sed ratione & instrumentis distinguuntur, in diversis verò animatorum generibus, & ratione & origine.

An anima diuidatur in partes naturæ discrepantes?

Nihilominus ut admonet Galenus accurata animæ cognitio Medico necessaria non erit; sed tantum facultatum, ut in corpore velut subjecto persi-

Qualis cõsideratio

animæ Me dico necessaria sit?

perficiuntur & existunt: & quamquam ipsa anima unà cum omnibus facultatibus suis radicaliter in corde sit, nulla tamen peculiariter in corde perficitur aut manifestatur, excepta vitali sive pulsifica, qua cor in centro microcosmi subsistens, cæteris partibus radios vitæ subministrat, & vires distribuit, ac singularum partium facultates in actum educit. Nam ibi formaliter & propriè facultas dicitur, ubi in subjecto perficitur & manifestatur, quod in corde non fit, nam si omnes ibi perficerentur, impedirent actum primum & præstantiorem, nimirum vitam. Et licèt ultima perfectio sanguinis in corde sive à corde sit, sine qua nulla vegetatio, prima tamen ejus generatio alteri principio adscribenda erit, nimirum jecori. Quare Medicus, ut artifex, cui cura corporis demandata est, in proprio subjecto singulas facultates considerat, ac ratione subjectorum facultates distinguit: & licèt sine vita nulla sit vegetatio, quia tamen vitalis facultas & cordis actiones læduntur sine manifesta læsione facultatis naturalis aut animalis, vitalem ab utraque distinguit. Deinde, quia sine sensu ratio non exercetur, rationalem facultatem cum sensitiva conjungit. De singulis facultatibus in specie infra dicemus.

DE NATURA ET DIFFERENTIIS PARTIUM HUMANI corporis.

CAPUT IV.

QUia functiones humanæ à facultatibus animæ perficiuntur mediantibus instrumentis, explicatâ naturâ animæ & distinctione facultatum, consequens est, ut instrumenta, nimirum corpus, partesquè corporis humani cognoscamus.

Pars autem uno modo non ſemper ſumitur, nec unâ ratione corpus humanum dividitur: nam omne quod naturaliter in corpore continetur & ad conſtitutionem ac conſervationem ejus requiritur, pars communiter vocatur. Ita Hippocrat. 6. *Epidem. con.* 7. corpus humanum dividit in continentia, contenta & impetum facientia. Continentia ſunt partes ſolidæ, in quibus reſidet facultas; contenta humores, qui à facultate naturali gignuntur: impetum facientia ſunt ſpiritus, qui facultates deferunt & conſervant. *Pars cōmuniter ſumpta.*

Propriè tamen partes humani corporis ſunt continentia, ſcilicet ſolidæ partes, quæ ad numerum permanent, & in quibus reſidet facultas ut in ſubjecto, prò quarum conſtitutione facultas operatur. Nam ſi partium ſolidarum naturalis conſtitutio fuerit, bonas actiones; ſin vitiata, læſas actiones producit. De his igitur partibus ſolidis tantum agemus. Galenus, locum, membrum, partem & particulam, ut Ariſtoteles diſtinguere non videtur; ſed communiter omne quod totum complet, partem, particulam & membrum vocat. Pars propriè in comparatione ad motum dicitur. Verùm quidvis in corpore pars corporis dici non meretur, ſed quod ad totius conſtitutionem facit, & ab anima regitur, communeſquè facultates ſuſcipit, ac ſanitate præditum, morbiſquè obnoxium eſſe per ſe poterit. *Pars propriè dicta* totum

Quare pars propriè ſumpta definiri poterit; corpus toti cohærens communi vitâ conjunctum & ad illius functiones uſumvè comparatum. Excluduntur ergò è numero partium, non ſolum quæ præter naturam corpori adhærent, ut tophi, verrucæ & ſimilia; ac quoque contenta & impetum facientia, ut ſupra dictum eſt; ſed etiam ungues & pili, quorum teſte Galeno *cap. 9. Art. Med.* genera- *Definitio partis propriè dictæ.*

tio quidem est, sed nullum regimen. Nam propriè non nutriuntur & accrescunt; sed materiâ ad radices appositâ in longum tantum proferuntur, & certis terminis non definiuntur: Deinde excluditur ossium medulla, quæ partis alimentum est & non pars: Nam pars eadem numero manere debet: Eadem quoque ratione adeps è numero partium removetur, quia tempore inediæ partes nutrit & absumitur, ac certis terminis non definitur: nihilominus ungues, medulla, adeps ac etiam pili, licèt impropriissimè, communi partis appellatione non rarò tàm à Galeno, quàm Aristotele continentur. Galenus verò 1. *de Usu part. cap.* 1. partes describit, quæ undequaque circumscriptionem propriam non habent, nec undequaq; aliis conjunctæ sunt: sed (*ibidem cap.* 8.) quæ ad totius alicujus constitutionem concurrentes sibi ipsis cōpatiuntur & consentiunt, sive in famulatum unius actionis omnes conspirāt. Actio autem illa vel est totius animalis vel certi alicujus organi: quare partes duplices primum erunt. Nam quæ in famulatum actionum totius animalis conspirant, magnæ quidem & totius animalis partes dicuntur, & ab Aristotele mēbra vocantur, veluti, pes, manus, oculus. Quæ verò ad totius alicujus organi actionem referuntur, minores partes sive particulæ propriè dicuntur. Ita oculus ex multis constat particulis, quæ omnes ad unam actionem scilicet ad visionem conspirant.

Cōmunis partiū divisio in membra & particulas.

Considerantur verò & distinguuntur partes vel ratione substantiæ suæ, vel ut ad actionem referuntur. Ratione substantiæ dividuntur partes omnes corporis humani, in simplices, quæ similares, homogeneæ, primæ, primigeneæ partes, & sensibilia corporis elementa interdum vocantur; & in compositas, quæ dissimilares & heterogeneæ, & non rarò organicæ partes & organa dicuntur.

Propria divisio
1. Ratione substantiæ in similares & dissimilares.

Partes

Partes verò ut ad actionem referuntur, vel organa sunt, vel ad organi perfecti constitutionem concurrunt: organum autem ab operatione propriè dicitur, & 1. *Meth. cap.6.* definitur, pars cujus operâ communem toti actionem edere possumus. Deinde Galen. *libello de Different. morb.* alia organa vocat prima & simplicia, ut arteriæ & venæ, quæ passim similaribus annumerantur; alia secunda & composita, ut partes dissimilares. Quare organa nō æstimantur ex substantiæ similitudine & dissimilitudine, sed potius ex debitâ figurâ cū justâ magnitudine & positu, vel quia ad actionem idoneam omnium partium competentiam habent, quæ omnia magis in dissimilaribus reperiuntur quàm in similaribus, ut post apparebit; unde dissimilares partes ferè semper organicæ vocantur. *II. Vt ad actionem referūtur in organa vel organi partes.* V. S.

Pars similaris ut Aristoteles 1. *de Hist. animal.* definit, est quæ in partes sibi similes dividitur, sive ut Galen. 8. *de Placit.* cujus partes inter se totiq; similes sunt. Nam annumerantur similares, mixtis homogeneis, quarum universæ particulæ eandem omninò formam & temperiem habent. Quare definiri poterit pars similaris, mixtum homogeneum sive corpus unam parilem substantiam habens, ortum à facultate generatrice in semine per suam alteratricem, & definitum proprio temperamento, in hunc finem, ut certæ alicujus actionis caussa sit. Dico mixtum homogeneum, non solum ob elementa, ex quibus similares partes componuntur, sed etiam propter dissimilares, quæ ex similaribus. Nam ex his tribus triplici diversâ compositione & ratione humanum corpus componitur. *Quid pars similaris.* V. S.

Oriuntur quidem similares partes ex semine & materno sanguine, sed quatenus elementis correspondent. Nam hæc duo teste Galeno 1. *de Sanit.* *Caussa & generatio similariū.*

Tuen. quatuor elementa in ſe continent, ex quibus per mixtionem ſimilares partes componuntur, & ſingulæ debitum temperamentum acquirunt. Quomodo verò oriantur partes ex ſemine & materno ſanguine, alibi dicemus. Deinde dico à facultate generatrice &c. quia autore Galeno *1. de Nat. Facul. cap. 6.* generatrix vis per ſuam alteratricem miſcet & ſubſtantiam partium ſimilarium conſtituit. Deinde quia quævis ſimilaris particula, ut ſimilaris, ſuam alteratricem propriam habet in primâ conſtitutione: verùm generatrix per ſuam formatricem particulas unit apteque componit & nihil otioſum relinquit. Quare quæ pars corporis nulli alteri vi facultatis formatricis implicatur, ea ſimpliciter ſimilaris dicitur.

Vſus ſimilarium. Tandem dico, definitum temperamento, ut ſit certæ alicujus actionis cauſſa; quod temperamentum primariò & per ſe ſimilaribus, ſecundariò & per accidens diſſimilaribus tribuatur. Deinde quod actiones ſequantur temperamenta, & à partibus ſimilaribus primo actiones prodeant, ut Galen. *lib. de differ. morb. cap. 6. & 3. de locis cap. 5.* ſtatuit. Nam quælibet ſimilaris ſuam propriam habet actionem.

Numerus partiũ ſimilarium De numero partium ſimilarium non conſentiunt medici, plerique tamen decem numerant, ut ſunt; os, cartilago, ligamentum, membrana, nervus, arteria, vena, tendo, caro, cutis, quibus adduntur interdum adeps, ungues, medulla & pili; licèt propriiſſimè partes non ſint. Nihilominus Galen. *lib. 1. de Inaqu. Intemp.* è numero ſimilarium excludit venas & arterias, quas alibi annumeravit. Quare non eadem ſignificatione pars ſimilaris ſemper ſumitur. Nam plerumque ſimilare dicitur quod nobis tale videtur: ſive ad ſenſum tale, qua ſignificatione omnes illæ partes ſupra enumeratæ ſimilares

res dicuntur. Interdum verò ſimilare dicitur, quod revera tale eſt, ſive mixtum abſolutè homogeneum, cum alio nullo vi formatricis facultatis compoſitum & in partes diverſæ rationis non dividuum: cujus generis videntur ſeptem illa, quæ Galen. *Comment. in lib. de Nat. Hum.* recenſet, nimirum os, cartilago, ligamentum, membrana, fibræ, adeps, caro ſimplex. Verùm membrana, quia ſenſu prædita nervis non caret & compoſitionem habet, deinde adeps propriè pars non eſt: ſicut nec pili & ungues, licèt abſolutè ſimilaria corpora ſint, præterea caro ſimplex, & ſine fibris in corpore non reperitur, niſi fortè parenchymatum. Tot quidem numerantur partes ſimilares in corpore; quarum ſingulæ numero differentes ſunt, ex quibus totum corpus præcipuè componitur: Attamen præter has aliæ nonnullæ deprehenduntur, quæ reipſa ſimilares ſunt, ſed nec numero differentes, nec pluribus communes, verum in uno tantum membro reperiuntur, ac unius actioni propriè deſtinantur: cujus generis ſunt partes illæ, quæ inſtrumentariæ vocantur, ut ſubſtantia cordis, cerebri, hepatis, lienis, renum, pulmonis, teſtium, penis, humores oculi &c. quæ à nonnullis ſub carne continentur, licèt à carne muſculorum, & ab invicem toto temperamento propriiſquè actionibus diſtinguantur.

Pars diſſimilaris ex diverſis mixtis homogeneis ſive ſimilaribus corporibus componitur, unde compoſita dicitur, idq; ratione noſtri potiſſimum, & deſcribitúr, quæ in partes diverſæ rationis dividitur. *Quid pars diſſimilaris.*

Verùm diſſimilaris pars, ut ad actionem refertur, vel quatenus perfectam actionem edere poteſt, organum & organica pars dicitur, & tunc definitur, pars compoſita ex ſimilaribus debito nu- *Quid pars organica?*

numero in decentem formam & justam magnitudinem coëuntibus, cum idoneo situ & consensu, à facultate plasticâ, ad certam aliquam actionem perfectè edendam. Debetur quidem unicuique parti corporis sua naturalis unio sive continuitas; verùm in dissimilaribus, ut perfecti organi rationem habeant, præter unionem requiritur apta compositio, nam ut temperies primariò similaribus, ita compositio dissimilaribus tribuitur.

Requisita in perfecto organo quatuor.

Apta compositio quatuor postulat. 1. debitum partium numerum, & ne quidquam deficiat aut redundet. 2. justam magnitudinem, sive ne major aut minor sit, quàm ratio instrumenti requirit. 3. Debitam conformationem totius membri in se, sub quâ continentur idonei meatus & cavitates, conveniens forma & superficies, ac debita figura. 4. Legitimum cum aliis partibus consensum & in toto situm. Quorum omnium si unum desideretur, bona compositio organi violatur, & pars morbo instrumentali afficitur.

Finis & usus organi.

Dico ad certam actionem perfectè edendam: quia actiones à similaribus primò prodeunt, sed à dissimilaribus perficiuntur. Conspirant enim, ut supra dictum est, uniuscujusque organi particulæ in unius actionis famulatum, sed non uno modo.

Partes organici perfecti, una principalis; cætera subministrantes.

Nam in quolibet organo perfecto, una particula principalis reperitur, cui in universo corpore nihil per omnia simile est, nec simili facultate præditum. Hæc est illa pars à quâ primum actio oritur, radix sive domicilium facultatis; quâ positâ ponitur facultas. Cæteræ verò huic subministrant, & in illius unius actionis subsidium concurrunt & conspirant. Tales triplices Galeno sunt *1. de usu part. cap. 8.* Aliæ enim sunt sine quibus non præstatur actio; aliæ, quibus melius; aliæ denique quibus tutius, sive quæ ad conservationem communem po-

sitæ sunt. His omnibus organum absolvitur, à quo perfecta actio.

Partes totius corporis quatenus functionum aut officii ratione inter se conferuntur in principales & minus principales dividuntur.

Divisio organicarũ partium.

Est autem principalis pars Galen. *7. de Vsu part.* quæ ad vitam per se necessaria est, sive quæ primariæ facultatis sedes & origo est, quam cæteris partibus mediante spiritu transmittit. Ejusmodi sunt tres sicut tres primæ facultates, nimirum jecur sedes facultatis naturalis: cor vitalis: cerebrum animalis. Quibus tribus individuum propriè conservatur. His addit Galen. *cap. 9. Art. med.* testes, quia ad conservationem speciei seminisq; generatione necessariò requiruntur, licèt aliunde vires suscipiant, nimirùm à trib⁹ principiis, præcipuè verò à jecore, quod materiam seminis & vires nonnullas suppeditat.

Partes principales corporis tres. v. s.

Minus principales sunt cæteræ humani corporis partes, quæ ad principalium ministerium necessariæ aut utiles judicantur. Hæ triplices sunt, nã quædam insitas vires habere dicuntur, quæ nulli principi parti peculiariter inserviunt, sed toti magis communes sunt, ut ossa quæ totum corpus stabiliunt, sustinent, & varia de articulatione voluntario motui serviunt. Deinde cartilagines, quæ articulos muniunt, & ad quarundam partium tutelã constructæ sunt. Tertiò mẽbrana & ligamenta, quæ singula arctè connectunt, copulant & firmãt. Quartò cutis, quæ totũ corpus contegit, & ab injuriis defendit. Tandẽ caro simplex, adeps & adenes. Aliæ peculiari principi parti subministrant, & ad ejus ministerium requiruntur. Hæ duplices sunt, vel n. à principe aliqua parte oriuntur, sive dispẽsationis & radicationis initiũ in ea sumunt, & vires aliunde emanantes solũ suscipiũt. Harũ munus propriũ est, ut ab illa principali parte aliqd deferãt. Ita spinalis medulla & nervi

Partes minus principales triplices. v. s.

à cerebro: arteriæ à corde: venæ à jecore, originem ſive diſpenſationis initium habere intelliguntur: & vaſa ſpermatica à teſtibus. Vel denique à certa principe parte non oriuntur, & diſpenſationis initium ſumunt, ſed actione ſua alicui principi parti ſubſerviunt, & vires tàm proprias, quàm aliunde emanantes habent. Harum munus eſt ut viribus inſitis vel principis partis actionem adjuvent, vel aliquid ei præparent, vel certum munus abſolvant. Ita ventriculus & inteſtina materiam idoneam jecori præparant, lien, veſicæ & renes illius actionem nimirum ſanguificationem adjuvant, ſeparando inutilia à ſanguine. Sed inſtrumenta quinque ſenſuum & muſculi inſtrumenta motus tranſmiſſa ſive communicata illis facultate à cerebro per nervos, ſenſus externos, & motũ voluntarium abſolvunt. Dividitur totum corpus communiter in ventres, ubi reſident facultates; & artus, qui voluntario motui potiſſimum ſerviunt. Ventres autem duos tantum veteres numerarunt, ſuperiorem nimirum thoracem & inferiorem ſub ſepto tranſcurſo: Recentiores verò caput addiderunt, ac in his tribus illas primas animæ facultates reſidere putant. Nam natura non ſolum tres facultates, triaquè præcipua inſtrumenta animalibus conceſſit, ſed etiam cuiq; pro dignitate convenientem locum aſſignavit: Cerebrum enim in capite ſuperiore, digniòreque loco collocavit quaſi in ſpecula, cui aſſiſtunt exteriores ſenſus, & à quo in totum corpus diſtribuuntur nervi gratia ſenſus motuſquè voluntarii: Jecur cum cæteris viſceribus, quæ illi miniſtrant, & membris facultatis generatricis in inferiori ventre eſſe voluit, ne actiones cerebri offenderet. Medium ventrem aſſignavit cordi, quod focus caloris noſtri eſt, ut pariter partes omnes tàm ſuperiores, quàm inferiores calefaceret. Singulos ventriculos continent & muniunt

Sedes trium facultatum.

niunt membranæ, ligamenta, ossa, cartilagines, tandemquè musculi, carnosa membrana, ac cutis cum cuticula, quæ totum corpus contegit: Atque hactenus in genere de differentiis partium humani corporis. De accurata omnium singularumquè partium descriptione non est nostri instituti hoc loco agere, nec Historiam Anatomicam contexere. De usu singularum partium latius in sequentibus capitibus agemus.

DE CALIDO INNATO ET SPIRITIBUS.

CAPUT V.

CUM à natura omnibus animalibus tributum sit, ut vi caloris insiti vitam agant, & spiritum habeant, qui hunc calorem contineat, cujus adminiculo facultates in corpore deferuntur, & conservantur, explicata distinctione facultatum animæ & partium humani corporis, consequens est, ut caloris innati & spirituum considerationem proponamus.

Ac primùm calor unus ab alio specie non differt, (ut quidam arbitrantur,) sed cum calor instrumentum sit, quo agèns principale utitur, diversus calor judicatur diversorum utentium respectu; ita calor ille qui comes & proximum instrumentum animæ est, cujus participatione vita, extinctione mors (Autore Aristotele *libro de Vita & Morte*) definitur, ἔμφυτον, sive innatus dicitur, & eo respectu non solùm à calore non naturali, qui rem corrumpit, sed à calore influente, ac etiam à συμφύτῳ sive connato, mixtis homogeneis proprio distinguitur. *Calor unus ab alio nõ differt specie sed usu. In animatis duplex calor.*

Calor autem innatus nomen habet, quia à primo *Calor innat⁹ quid?*

 mo

mo ortus principio animatis innaſcitur, & quia id, quod naſcitur, & natum eſt, auget, fovet, & conſervat: verùm ut Galenus innuit *Libro contra Lycum*, calor innatus & calidum innatum diſtinguuntur, licèt indifferenter pro uno eodemquè non raro ſumantur. Nam calidum innatum ſubjectum conſignificat, & corpus denotat, calore innato affectum; at ipſe calor innatus ut forma & qualitas per ſe intelligitur. Corpus autem perfuſum hoc calore, vel in quo calor ſubſiſtit, ſubſtantiæ tenuis & fluxilis eſſe debet, quæ variè diffundi, caloremquè conſervare poteſt: tale corpus non eſt ignis, nec aër, ſed mixtum quoddam referens naturam aëris, eximiis viribus præditum, & cœleſti corpori ſimilimum, quo cuncta in animatis illuſtrantur, perficiuntur, & in actum deducuntur: hoc corpus, quia tenuiſſimum eſt, oculos fugiens, & facilè permeans, omneſque humani corporis partes illuſtrans (ut pòſt apparebit) Spiritus vocatur: verùm ſpiritus hic quivis non eſt, ſed primigeneus omnibus partibus inſitus & complantatus, & cauſſa aliorum ſpirituum, quem tamen veteres nonnulli ſpiritibus non annumerarunt. Spiritus autem vocabulum homonymum eſt, & pluribus natura differentibus tribuitur: tribuitur enim & ſubſtantiis quibuſdam corporeis & omnibus incorporeis: verùm ut ſpiritus rebus naturalibus annumeratur, communiter definitur corpus mixtum ex vapore genitum à natura, gratia conſervationis facultatis animæ in corpore. Facultates duplices ſunt in corpore: aliæ enim diſſeminatæ ſunt per ſingulas totius corporis partes, omnibuſquè ſimiliter inſunt, conſervationis gratia, quæ inſitæ dicuntur: aliæ in certo organo ſedem & domicilium habent, unde velut à fonte & principio, quemadmodum radii à Sole, in totum corpus diffunduntur & emanant.

Definitio ſpiritus.

Quare

Quare duplex erit ſpiritus, unus qui inſitus, innatus, & complantatus dicitur; alius influens & emanans, qui triplex judicatur, ſicut tres principales facultates: nam unicuique facultati ſuus eſt ſpiritus, inſtrumentum, ſine quo non conſervatur, nec etiam agit, de his omnibus ſpiritibus ordine dicemus.

Diviſio ſpirituũ in inſitum & influentẽ.

Ac primùm ſpiritus inſitus, ſive calidum innatum, eſt præcipuum & communiſſimum conſervativum inſtrumentum omnium facultatum animæ in corpore, unde pro ipſa anima interdum ſumitur, & autor omnium operationum à Galeno vocatur, ab aliis nonnullis vinculum animæ & corporis; nam autore Galeno *5. ſimplic. cap. 9. & 1. de Locis cap. 7.* omnes totius corporis partes hoc ſpiritu fruuntur, & vivunt, & *1. Aphorij. 15.* hic ſpiritus initio partes format, auget, & ad terminum vitæ cõſervat, quare ſublato hoc cuſtode facultas ceſſat, & corpus aptum actionibus animæ non erit.

Spiritus inſiti ſive calidi innati munus.

Producitur enim fœtus humanus in utero ex ſemine & materno ſanguine, ſemen autem ſpiritu plenum eſt: his tribus in utero unitis oritur conceptus, & in conceptu reſultat ſpiritus inſitus, ſive calidum innatum, hujus ſpiritus calor in initio organum generatricis fuit, reſidens in ſemine, ſpumoſoquè corpore, unde Plaſticus calor à nonnullis dicitur: verùm dum producitur fœtus, fundatur in humidiori, perfectiori, pinguiori, & tenuiori ſeminis portione, ut in proprio pabulo, quod humidum primigeneum & radicale vocatur, & per omnes fœtus partes diſſeminatur (Galen. *libr. contra Lycum cap. 5.*) ut communis omnium facultatum cuſtos & inſtrumentum, ſed copioſius & efficacius in corde conſiſtit, unde cor fons & origo inſiti caloris à Galeno *9. Method. c. 9. & de Vtil. reſpir. capit. ult.* dicitur.

Origo ſpiritus inſiti & ſedes.

Qua-

Calidi innati partes duæ.

Quare spiritus insitus, sive calidum innatum duobus constat, nimirum humido primigeneo, perfuso calore innato, unde flammæ aliquo modo comparari poterit, perpetuoquè in se mobilis existit, & insitus calor calori igneo aliquo modo similis erit: nam calor nativus in agendo semper occupatus est, humidum suum depascens, ac quoque materiam συμφύτȣ caloris, ac proinde ejus ratione corpus quasi ῥεῦμα quoddam, in perpetuo defluxu consistit. Deinde tàmdiu Spiritus insitus viget, quàmdiu ipsum humidum radicale, quod ardore sua depascit: quo consumpto ipse spiritus resolvitur, & calor evanescit, ac animal interit. Verùm in aliis calor insitus calori igneo dissimilis est: nam non tantum humidum & materiam similarium partium consumit, & in halitus dissolvit, sed etiam vegetando & nutriendo materiam deperditam subinde reficit, & restituit, qua restituta individuum ab interitu aliquandiu vindicatur, & certo tempore conservatur; tanta enim est vis innati caloris in consumendo suo humido, ut si id, quod defluxit, non reparetur, (autore Hippocrate *libro de Natur. pueri.*) ultra septem dies vita humana durare naturaliter vix queat, itaque reficitur perpetuo humidum primigeneum alimentario humido, atque hoc modo calidum innatum & substantia corporis animati conservatur.

Quomodo cōveniat & differat à calore ignis?

In quibus plus & minus calidi innati.

Quare calidum innatum, ut voluit Hippocrates, in pueris & iis qui crescunt copiosius sua substantia est, & purius; in senibus contra, in quibus sensim, deficiente nativo humido, marcescit, unde naturalis interitus necessariò consequitur: verùm violenter calor insitus interit, si frigore perimatur, vel excrementorum copia suffocetur, vel alieno calore (ut in Hecticis) humidum radicale absumatur.

Move-

Movetur autem in se spiritus innatus, & non solùm fomite, sed etiam eventatione indiget, & qualitatem suam à fonte scilicet à corde quoquoversum diffundit, nisi prohibeatur, ut in rigore evenit, ubi repressus ad suum principium refluit, seseque colligens variè insurgit adversus ea, quæ transitum ipsius occuparunt, totum corpus frequenter agitans & commovens, ut in *libro de Tremore & palpit.* Galenus ostendit.

Definitio calidi innati.

Ex quibus colligitur, quod calidum innatum sive spiritus insitus sit corpus mixtum, calore insito perfusum, genitum à facultate generatrice, ex perfectiori, tenuiorique substantia seminis & sanguinis materni portione, subsistens in omnibus corporis animati partibus, sed efficacissimè in corde, ut in fonte, gratia conservationis omnium facultatum animæ in corpore. Dico mixtum corpus & non æthereum (licèt cœlesti aliquo modo proportionale sit, & similes vires habeat) quia alimentis & respiratione conservatur, & reficitur; quod cœlesti corpori non tribuitur. Inest quidem spiritus iste facultatum conservandarũ gratia omnibus partibus, ut eas foveat, regat, & conservet, sed in omnibus eodem modo se non habet. Nam in singulis partibus variè determinatur, & limitatur, ad propriam ipsarum partium facultatem conservandam, & in singulis permistam habere debet substantiam illarum facultatibus appropriatam: ita in oculis spiritus insitus visum facit, si crystallinus humor permistum habuerit spiritum animalem, quare Galenus *7. de Placit. cap. 7.* spiritum oculorum (qui alius nullus quàm insitus) à spiritu animali lucidum fieri dicit.

Fons calidi innati cor.

In corde verò maximè viget spiritus insitus; unde fons & origo illius vocatur. Nam cor præcipuè spiritu & calore præpotente præditum est, ut

non

non solùm seipso gubernando det operam, sed alium quoque spiritum generet, scil. vitalem per arterias in totum corpus diffusum & promanantem; Idem quoq; facere judicatur jecur gignendo spiritum naturalem, & cerebrum animalem.

Opiniones de numero spiritu-um influ-entium.

Verùm spiritum illum unicum à corde influentem nonnulli sufficere arbitrantur, eumq; non solùm per arterias in corpus diffusum, partes omnes vivificare, sed etiam omnis vegetationis caussam esse, præterea ad cerebrum ascendere, perque nervos descendere, & sensum motumquè excitare, atque ita à seipso specie non differre, licèt aliter atque aliter se habeat. Alii verò duos solum spiritus influentes enumerant, vitalem scil. & animalem, rejecto spiritu naturali, vel quod nullius usus videatur, & singulæ partes insita vi insitoquè spiritu alimentum suum trahant, & concoquant, vel quod nullum generationis suæ locum aut cavitates habere judicetur; & si aliquid tale sit, spiritus nomine indignum videatur. Verùm cum discrepantes actiones à discrepantibus formis prodeant, & naturæ diversæ species differentes pariant, ac forma acquisita ut in fine natura semper acquiescat; unus idemquè spiritus in arteriis & nervis non erit. De naturali verò spiritu à jecore influente, an & quid sit, meritò dubitari poterit.

An detur spiritus naturalis.

Vivunt quidem partes omnes proprio calore, & insitis facultatibus, quarum si permanens esset essentia (ut testatur Galen. *1. de Usu part. cap. 16. & 1. de Locis, cap. ult.*) nullo ad vitam indigerent: verùm quia alimento indigent & custodire oportet caloris insiti συμμετρίαν, venis & arteriis indiguerunt; nam venæ à jecore alimentum deferunt: arteriæ à corde cum sanguine spiritum vitalem & vim conservatricem caloris insiti in partibus. Aristoteles, & Averrhoës partium nutritionem ex utroq; sangui-

ne, ve-

ne, venali scil. & arteriali commisto & contemperato, perfici putarunt. Deinde venarum sanguinem vice materiæ illi esse, qui ex arteriis à corde promanat, & hunc vice formæ, quia alterum illum, ut crudum & inconcoctum, coneoquit, perficit, & actu alimentum reddit. Quare naturali aliquo spiritu, à jecore influente, corpus indigere non videtur: præterea existimant vim à qua pulsus, altricem esse dividentem & calorem impartientem, eumquè unâ cum altrice conservari. Galenus sanguinem, qui per venas à jecore diffunditur, nutrimentum per se putat, sed an spiritus aliquis ei debeatur, cujus sedes in jecore sit, *12. Method. cap. 5.* dubitat, *& 1. de locis cap. ult.* naturalia instrumenta ab animalibus distinguit, quod naturalibus insita actionis vis sit, animalibus verò à principio, ut lumen à Sole influens, unde accidit, ut illæsis instrumentis animalibus actio non rarò pereat: illæsis verò naturalibus, nunquam. Attamen Gal. *5. aphor. 53.* sine spiritu nullas actiones fieri dicit, deinde pluribus in locis affirmat, virtutem sanguinis effectricem ab epate venis influere; quod sine spiritu fieri non videtur, quare ut cæteræ duæ principales facultates habent calidum innatum pro organo ut miscetur spiritui animali & vitali, ut post apparebit, ita vis sanguificatrix pro organo obtinere putatur calidum insitum mixtum cum spiritu naturali in jecore.

Quomodo detur spiritus naturalis.

Quare hic spiritus longè à natura aliorũ spirituũ differre debet; Idcircò primo aëreus nõ est, nec adeo purus ut cæteri duo, sed caliginosus, & sanguineus, aut potius vapor sanguinis, proportionat⁹ ipsi jecori, cuj⁹ actio, sanguificatio, maximè naturalis est, unde spirit⁹ actionis illius instrumentũ, minus efficax, magisq; terrestris judicatur. Nã quo facultas ignobilior est, eo crassiores minusq; efficaces spirit⁹ sibi vẽdicat. Deinde non indiget cavitatibus aliis, q̃ jecoris,

aut

aut venarum in jecore, in quibus oritur, quia materia ejus, ut cæterorum spirituum cum aëre attracto non permiscetur. Præterea à jecore propriè venis communicatur, sanguificationis gratia, ut sanguinem perficiat, distribuat, & sua vi sursum evehat, cū natura sua sanguis crassus & terrestris sit; distributo verò sanguine, singulæ partes insita vi alimentum suum attrahunt & perficiunt: præterea inservire judicatur, ut materia sit ex qua gignatur spiritus vitalis.

Definitio spiritus naturalis

Hoc modo definiri poterit, corpus mobile, genitum ex vapore sanguinis, sive ex optima, tenuiorique portione, vi insita jecoris, gratia sanguificationis, ut sanguis perficiatur, meliusquè per venas in totum corpus distribuatur.

De vitali spiritu. Caussæ spiritus vitalis.

Vitalis spiritus manifestissimus est, ejusquè actio evidentissima, unde unicus solusquè spiritus à nonnullis judicatur. Nam pulsat, impetuque movetur, & calorem evidentissimum habet. Oritur hic spiritus in corde ex spiritu naturali, ut aliqui arbitrantur, vel ex tenuioris sanguinis portione fluentis ad cor, sive ex humorum vapore permisto cum aëre ope respirationis attracto, ut Galenus 7. *de Placit. cap.* 3. *&* 12. *Method.* asserere videtur. Est enim cor fons innati caloris, cujus vi sanguis attenuatur, vaporquè excitatur, qui dilatatione cordis, in sinistrum cordis sinum attrahitur & colligitur, ubi cū aëre attracto ex respiratione & arteriarum dilatatione, permiscetur, & vi insita cordis in flammeam substantiam convertitur, qui spiritus vitalis dicitur. Nam cor, quàmdiu animal vivit, perpetuò movetur, ac peculiariter vim vivificam habet junctam pulsificæ, unde dependet generatio sanguinis & spiritus in corde ac conservatio caloris naturalis. Fit enim pulsus ab ipsius cordis expultrice & attractrice facultate, & perficitur motu distensionis & con-

& contractionis primo cordis, deinde arteriarum, quæ cordi continuantur, & cordis motum imitantur. Nam dilatatione ſua cor, & arteriæ ex vicinis materiam convenientem attrahunt, & implentur; eaquè materia attracta, vi vivifica cordis in ſpiritum tranſmutatur; contractione verò ſua expellunt, & ſpiritum cum ſanguine diſtribuunt. Quare non dilatantur arteriæ quia implentur, ſed implentur quia dilatantur, & vis dilatandi tunicis arteriarum à corde communicatur, licèt ſpiritus per ipſas arterias deferatur.

Finis ſpiritus vitalis. Finis ſpiritus vitalis primo in ipſo corde eſt, ut permiſtus calori inſito cordis, reddat facultatis vitalis appropriatum inſtrumentum, Deinde extra cor, quatenus per arterias delatus calorem à corde influentem in omnes partes defert, ad conſervandam συμμετρίαν caloris inſiti in cæteris partib⁹: inſeruit præterea ut ſit materia apta, ex qua ſpiritus animalis gignatur.

Definitio ſpiritus Vitalis. Quare definiri poterit, corpus mobile à corde per arterias in totum corpus diffuſum, genitum in ſiniſtro cordis ventriculo, vi inſita cordis, ex aëre cũ ſanguinis vapore commiſto, ut facultas vitalis conſervetur & deferatur, ac calor innatus in ſua temperie cuſtodiatur.

De ſpiritu animali. Reſtat ſpiritus animalis, proximum conſervativum facultatis animalis inſtrumentum; hujus domicilium & fons eſt Cerebrum, ſedes animalis facultatis. Gignitur autem hic ſpiritus ex vitali ſpiritu potiſſimum per arterias in retiformem contextum delato, permixto unâ cum aëre ope inſpirationis attracto, & in cerebrum, cerebriquè ventriculos effuſo, cerebro ſe dilatante & materiam idoneam attrahente, ubi poſtea vi propria cerebri abſolvitur, & formam ultimam acquirit. *Cauſſa.*

Munus Munus hujus ſpiritus primùm in ipſo cerebro

Spir. animalis. est, ut permistus cum spiritu innato ejusdem, idoneum & appropriatum sit facultatum principum, sive sensuum interiorum instrumentum. Deinde extra cerebrum, quatenus à ventriculis cerebri per spinalem medullam & nervos irradiando & permeando in totum corpus diffunditur, ut facultatem sensus motusquè deferat & custodiat. Nam spiritus hic tenuissimæ substantiæ est, & instar radiorum Solis per nervos citissimè diffunditur, nisi impediatur, & nervos ipsos perficiens, & per nervos sensum & motum partibus tribuens. Igitur ad sensionem partes propria facultate & duplici instrumento, scil. nervo & spiritu animali indigent.

Definitio spiritus animalis. Quare colligitur, quod spiritus animalis sit corpus mobile, genitum in cerebro ex spiritu vitali cum aëre permisto, propria vi cerebri & per nervos in corpus diffusum, ut facultas animalis conservetur & distribuatur.

Cõclusio. Ex quibus omnibus apparet, universum animal tribus principalibus facultatibus, totidemquè facultatum vehiculis, spiritibus scilicet influentibus gubernari, & sine his nullam partem calorem innatum & facultates ab ortu insitas conservare: Præterea omnes partes corporis & insito spiritu & influentibus viribus vivere, facultatesquè suas conservare. Consequens est, ut singulæ facultates in specie proponantur.

DE NATURALIBUS FACULTATIBUS IN GENERE: ET in specie de altrice, auctrice, & vitali facultate.

CAPUT VI.

Ex

EX illis animæ facultatibus, quibus velut gradibus viventia cuncta distinguuntur, communissima est naturalis facultas, quæ non solùm cæteris quasi fulcrum quoddam substernitur, sed etiam per se separatim existit, infimumquè gradum viventium, nimirum φυτὸν constituit. Nam plantæ è terra, certa definita ratione producuntur, inquè ea nutriuntur, aut augentur, insito quodam vitæ principio. Hoc insitum principium ab Aristotele nunc δυνάμις φυτικὴ, nunc θρεπτικὴ dicitur: à Platone ἐπιθυμητικὴ: à Galeno plebeia consuetudine φυσικὴ, cujus functio vegetatio communiter dicitur, quæ nihil aliud est, quàm individui & speciei cõservatio: nam facultas naturalis propriè est illa animæ vis, qua instrumento caloris nativi ex alimento corpus animatum nutritur, augetur, & simile secundum speciem generatur. Principium autem omnium functionum anima in quolibet vivente unica tantum est, licèt ratione functionum, quas ex diversis sedibus profert, multiplex esse videatur: Unde Plato & Galen. tres animas sedibus distinctas in corpore constituerunt, sedemq; animæ concupiscibilis in jecore, unde alimentum materia ex qua fit omnis vegetatio.

Definitio facultatis naturalis

Facultates autem illæ animæ ex functionibus suis deprehenduntur: nam quot sunt functiones, tot sunt illarum functionum causæ, & totidem quoque opera. Causa autem est ipsa facultas animæ naturalis: functio verò est activus motus à facultate profectus, ut sanguificatio, nutritio, procreatio: at opus est, quod jam completum est, post actionem facultatis, ut sanguis, caro. Proinde hæc tria ex se mutuò intelliguntur. Functiones autem illæ animæ vegetãtis in corpore primæ tres sunt, totidemq; opera. Primùm enim animatum corpus nutritur:

Tria se mutuò cõsequũtur, facultas, functio & opus.

deinde augetur: tertiò aliud sibi simile gignit; quare tres primas facultates habebit, nimirum altricem sive nutricem, secundò auctricem, tertiò generatricem sive procreatricem. Additur à Galen. *lib. de Diff. sympt.* facultas vitalis, fons caloris nativi, sine quo nulla fit vegetatio, quam alibi à naturali sedibus distinguit.

Tres facultates naturales

Tria requisita ad quālibet functionem naturalem.

Ad has functiones perficiendas quælibet facultas tria necessariò postulat, nimirum materiam, instrumentum, & facultates auxiliarias sive administras. Objectum autem hujus facultatis aut materia ex qua omnis vegetatio, est alimentum, quo & nutritur & augetur animatum corpus primò, & ex quo proxima generationis materia, ut infrà latiùs dicemus.

1. Obiectum

2. Instrumentum.

Deinde instrumentum, per quod functiones illas anima proximè exerit, est calor insitus, cuiquè parti propriè destinatus, & in qualibet parte determinat⁹, qui perpetuo calore à corde influente exsuscitatur & fovetur, ut alibi demonstratum est.

3. Facultates auxiliares quatuor.

Tertiò subserviunt, & ad has facultatum functiones perficiendas, actiones & opera sua conferunt, in singulis partibus quatuor auxiliariæ administræ facultates, quarum prima insito appetitu id, quod parti conveniens & familiare est, attrahit: attractrix. Altera, quod attractum est, retinet: retentrix. Tertia retento fruitur, & vi insita retentum perficit & immutat: concoctrix sive alteratrix. Quarta, id quod parti molestum & supervacaneum est, expellit: facultas expultrix. Ejusmodi facultates quatuor naturales, duplices in corpore deprehenduntur: aliæ enim cuique parti propriè addictæ sunt, quatenus sibi soli servit & nutritur: aliæ partibus illis tantum competunt, quæ communes dicuntur, & publico munere funguntur, quales primùm sunt ventriculus & jecur, quatenus alimē-

tum

tum toti corpori præparant: deinde quæ illis inserviunt, ut œsophagus, intestina, renes, vesicæ, uterus, quæ præter quatuor proprias functiones alias obtinent, quatenus toti inserviunt. Tot facultates auxiliarias omnibus partibus necessarias esse, hinc manifestum evadit. Inest enim, auctore Galen. *3. de Natur. facult.* singulis partibus desiderium convenientis, & alieni odium, quod autem desiderant, attrahunt, quod aversantur, à se propellunt, nisi impediantur. Quod si desiderium in omnibus partibus sit, erit fruitio. Nam nihil naturaliter attrahit, nisi eo aliquo saltem modo fruatur, & nihil frui potest, nisi id retineat. Peculiari verò secretrice facultate hic opus non esse videtur, ut Averrhoës arbitratur, sed secreto partim ab attractrice, partim ab expultrice perficitur. Deinde appetendi facultas, quæ convenientis desiderio excitatur, ab attractrice diversa non est. Perficiuntur facultates istæ quatuor potissimum in partibus, quæ publico munere funguntur, fibris sive villis quibusdam: nam attractio absolvitur fibris rectis per membri longitudinem extensis, retentio propriè fibris obliquis, quæ obliquè, & ad impares angulos feruntur: excretio transversis, quæ ad pares rectosquè angulos incidunt: Concoctio verò licèt omni staminum genere uti aliquando dicatur, propriè tamen à vi insita, mediante calore naturali absolvitur. Adjuvant has facultatum functiones qualitates quædam primæ. Nam caliditas instrumentum concoctionis, omnibus functionibus naturalibus per se inseruit, nisi immodicè augeatur. Frigiditas verò ex accidente solum. At siccitas ad attractionem, retentionem & expulsionem conducit. Humiditas, licèt his adversa sit, concoctioni tamen & nutritioni accommodata videtur. Hæ auxiliariæ facultates omnibus tribus illis functionibus animæ vege-

Instrumenta facultatum ministrantium.

tantis famulantur, ſed in nutritione evidentiſſimè conſpiciuntur.

Definitio vegetationis.

Ex his colligitur, quod vegetatio ſit actio organorum naturalium in alimentum, à facultate vegetante, inſtrumento caloris nativi, ut mediante alimenti attractione, retentione, concoctione, ac ſupervacanei expulſione, quod è ſubſtantia corporis animati defluit, reparetur, & ipſum corpus ad terminum, à naturâ præfixum, perducatur, ac aliud ei ſimile gignatur. Peripatetici principium facultatis vegetatricis, facultatis & vitalis cor eſſe ſtatuerunt. Cum enim calor nativus ſit author omnium naturalium operationum, ut Galen. *8. de Placitis cap.7.* & alibi teſtatur; conſentaneum erit, cor fontem nativi caloris ſedem, primumq; inſtrumentum eſſe illarum functionum, quæ à nativo calore proficiſcuntur. Verùm ut alibi demonſtratum fuit, ibi facultas propriè reſidet, ubi functiones ejus exercentur & manifeſtantur. At ſanguis primùm in hepate elaboratur & generatur, ibiq; formam & nomen accipit, licet à corde vim concoctricem hepar ſuſcipiat, aut ſanguis ultimam abſolutionem conſequatur. Nam ſi omnes actiones, quæ à calore nativo proficiſcuntur, in ipſo corde perficerentur, impedirent actiones ejus primas & præſtantiores. Quare ſedem hujus facultatis medici ventrem infimum eſſe arbitrantur, quod ibi jecur cæteraquè membra continentur, quæ publico munere in alimenti concoctione & generatione funguntur, & ſibi non tantum ſerviunt. Hic venter totum illud ſpatium comprehendit, quod ſub Diaphragmate ad ilia inguina & pubem porrigitur:

Sedes facultatis naturalis eiuſq; partes.

cujus partes continentes ab anteriore parte potiſſimum ἐπιγάστριον Latinis Abdomen vocatur, latera verò Abdominis, quæ cartilaginibus coſtarum ſubjacent, hypochondria. A poſteriore parte lumbi ſunt,

ſunt, qui ab extremis coſtis ad ſacri oſſis extremum extenduntur. Componitur autem Abdomen ex cute primùm: Deinde carnoſa membrana cum multa pinguedine, præcipuè in obeſis, quibus ſubjacent quatuor muſculorum Abdominis conjugationes; ac tandem membrana firmiſſima, quæ quod univerſo inferiori ventri circumtendatur, & totam interiorem ejus cavitatem tegat, viſceraquè omnia contineat, Peritonæùm nominatur: cui ab anteriore parte adhæret, Omentum, imo ventriculo & ſuperiori regioni inteſtinorum obtenſum, ut inſitum illorum calorum tueatur & foveat. Partes contentæ ſunt viſcera, quæ publico munere funguntur. Nam alia nutritioni, alia procreationi famulantur & inſerviunt. Nutritioni autem, quæ vel toti alimentum parant ſive concoquunt, veluti primariò Jecur; Deinde ventriculus: vel deferunt ut venæ & œſophagus: vel ab inutilibus expurgant, ut inteſtina, lien, veſicæ, renes. Procreationi verò deſtinantur teſtes, vaſaquè ſpermatica & deferentia: Peculiariter in viris, penis; in feminis uterus. His præmiſſis conſequens eſt, ut primùm de nutritione agamus, deinde de procreatione.

DE NUTRITIONE ET ACCRETIONE.

CAPUT VII.

Communiſſima animæ vegetantis functio eſt nutritio. Nam non ſolùm cæteris functionibus ſubſternitur, & in ipſa augmentatione & generatione requiritur, licèt ab utraque revera diſtinguatur, ſed etiam omnibus animatis, quàmdiu vivunt, neceſſaria eſt conſervationis gratia. Cum enim ſubſtantia cor-

poris animati in continuo defluxu ſit, niſi quod defluxu illo deperditum eſt, reparetur, diu ſubſiſtere non poteſt. Quare neceſſaria ante omnia erit nutritio, quæ id, quod deperditum eſt, reſtituit, & individuum, quantum natura patitur, ab interitu conſervat.

Definitio nutritionis.

Eſt autem Nutritio propriè naturalis partium animati corporis defluxus reſtauratio, à facultate altrice, ex alimento in ſubſtantiam partium planè converſo ſive aſſimilato. Quare in nutritione tria primariò concurrunt. Primò quod convertitur, & quo fit nutritio, alimentum. Deinde in quod converſio fit, ſive quod nutritur, corpus animatum ſecundum omnes partes. Tertiò quod convertit animæ facultas altrix mediante calore, & auxiliaribus facultatibus.

Quid alimentum.

Eſt autem alimentum per ſe primò corpus, & potentia animatum: nam actu ipſo, initio diſſimile, ſed potentia ſimile eſt nutrito corpori, quæ ſimilitudo non eſt tantum ratione temperamenti & materiæ, (nam ſiccis ſicca, & duris dura, &c. conveniunt) ſed potiſſimum ratione formæ & ipſius ſubſtantiæ, quæ nutritur. Quare ut quod diſſimile eſt ſimile reddatur, mutatione quadam indiget, qua in actum illa potentia deducatur, & in ſubſtantiam nutriti abſolutè convertatur.

Alimentũ triplex.

Hæc mutatio in animatis ſanguine præditis: triplici concoctione perficitur, ut pòſt apparebit quare alimentum non uno modo ſumitur, ſed ſecundum prius & poſterius dicitur; Nam Hippocrati triplex eſt alimentum: Unum futurum alimentum non elaboratum, quod ab ore in ventriculum recipitur, ut elaboretur: Aliud quaſi alimentum transmutatum, primùm in ventriculo: Deindè ita elaboratum in jecore, ut toti corpori idoneum ſit ad omnes partes nutriendas, nimirùm ſanguis, qui

eo no-

eo nomine ab Ariſtotele ultimum nutrimentum vocatur: Tertium eſt verum alimentum, cuique parti proprium, non toti commune, nimirum portio ſanguinis maximè familiaris, quam ſingulæ partes ex venis attrahunt, ſibiquè apponunt; Deinde agglutinant tandemquè perfectè alterant ſive aſſimilant, quibus omnibus abſolvitur nutritio. Hæc omnia à facultate altrice perficiuntur ſubſidio quatuor facultatum miniſtrãtium, ad quarum functiones exercendas certa deſtinata ſunt in corpore membra. Alia enim attractum alimentum alterando præparant, alia inutilia ſeparant, alia ſuſcipiunt, alia expellunt, nonnulla ſalubres ſuccos in totum corpus tranſmittunt & diſtribuunt. Ac primum, cum ex alimento aſſumpto, nec ſanguis nec ex ſanguine ſtatim nutritio fiat, niſi debitis intervenientibus mutationibus & concoctionibus: in animalibus ſanguine præditis triplex naturalium facultatum ſeries, & concoctionum ſibi mutuo ſuccedentium, tres gradus erunt, prima χύλωσις, altera αἱμάτωσις, tertia ὁμοίωσις, harum prior poſterioris gratia, ſemper requiritur, quare ultima perfectiſſima erit, unicuique parti propria, quatenus ſibi ſervit & nutritur, cæteræ verò actiones ſunt communes communium inſtrumentorum, ut chylificatio ventriculi, ſanguificatio jecoris, quæ toti idoneum alimentum parant. Alimentum autem perfectè elaboratum toti commune eſt ſanguis, cujus officina eſt hepar, ut infrà apparebit. Ideo inter naturalia inſtrumenta Medici principatum jecori meritò aſſcribunt; cui reliqua miniſtrant, ac ipſe quoque ventriculus, dum chylum parat, ut ex eo facilius ſanguis fieri queat. Quia verò nihil in contrariam qualitatem ſimul totum migrare poteſt, in qualibet concoctione aliquid naturæ inutile & ſu-

pervacaneum necessariò redundabit, sive quælibet cōcoctio sua excremēta habebit, quæ duplicia sunt: Unum tenuius: alterum crassius: licèt utrūq; illius concoctionis ratione, excrementi rationē non semper habeat, sed ibi, ubi manifestatur, ab utilib⁹ separatur, & excrementū efficitur, ut serū, quod secundæ cōcoctionis excrementū dicitur, quia post secundā concoctionem à sanguine separatur, licèt à prima initium suæ generationis suscipiat. Hæc excremēta vi excretricis facultatis primum ab utilibus separātur, deinde extra corp⁹ per debitas vias rejiciuntur.

De concoctionib. in specie. Restat ut totam nutritionis seriem & concoctionum sibi mutuo inservientium ordinem proponamus. Ac primum in partibus solidis defluxus ille naturalis propriè existit, unde ex defectu alimenti, sicci nimirum humido contemperati, appetitus naturalis oritur. Quare ad illum defectum reparandum, & appetitum restinguendum, ex venis partes illæ alimentum trahunt, & à ventriculo communi receptaculo venæ, ubi si humidi fuerit defectus, ex suctionis sensu excitatur animalis appetitus humidi, qui sitis; sin defectus sicci fuerit, ex sensu suctionis oritur appetitus qui fames vocatur.

Causa naturalis sitis & famis.

1. Concoctio. Imperfectissimus primusquè omnium coctionum gradus in ventriculo est χύλωσις. Fit autem chylificatio, ubi alimentum per os assumptum, præparatum, & in ventriculum commune receptaculum, per œsophagum attractum, vi insita ipsius ventriculi se undique constringentis, ac suo vicinorumquè calore alterantis, in succum cremori ptisanæ non absimilem convertitur. Peracta concoctione segregationem per inferiora molitur. Verùm dum aperto pyloro in intestina protruditur, melior portio per venas mesaraicas attrahitur, impuriori parte, sive fecibus ad crassiora intestina dimissis, ubi tandem reservantur, donec recluso musculo

sculo rectum intestinum ambiente universim egeratur. Οἰσόφαγος Latinis gula & stomachus, per quem cibus dentibus effractus, & in ore præparatus in ventriculum recipitur. Exoritur à faucibus sub capite asperæ arteriæ, & secũdum thoracis vertebras descendens, & diaphragma penetrãs implantatur in superius & sinistrum os ventriculi; quod veteres Græci καρδίαν vocarunt, ubi ob exquisitum sensum sedes est animalis appetentiæ cibi & potus, sive famis & sitis. Ventriculus autem ut gula ex duabus propriis tunicis distendi contrahiquè idoneis in rotundam oblongam figuram formatus est, cum multis venis, arteriis & nervis intertextis, quibus accedit tertium involucrum à peritonæo; situs est immediatè sub diaphragmate, inter lienem & jecur, secundum transversum oblongus, ac in sinistra superiorique parte amplior quàm in dextra imaq;, ubi à jecore tegitur; posterior pars tota spinæ incidit, in dextra parte, ubi sub jecore se abdidit, est infimum orificium pylorus dictus, quod quasi janitor alimenta prolabentia à ventriculo cohibeat; in quem usum assistunt ei duo glandulosa corpora. Ab hoc orificio incipiunt intestina corpora teretia cõstructa, ut ventriculus, ex duabus propriis tunicis, & tertia à peritonæo, quæ tortuoso ductu variisque gyris ad podicem usque continuantur. Dividuntur intestina primùm in gracilia & crassa, & utraquè vicissim in tres partes. Nam ut à ventriculo oriuntur, primùm ex gracilibus est duodenum duodecim digitis longum, secundum posteriora ventriculi ad dorsum reflexum, cui implantatur vas, quo bilis ex vesicula expurgatur: Huic continuatur jejunum ita dictum, quod ob bilis affluentis acrimoniam inane semper sit. Tertiò Ileum omnium longissimum & tenuissimum est, & multis variisq; gyris

Instrumenta primæ concoctionis.

οἰσόφαγος.

Ventriculus.

Intestina.

ris

ris Ilia partemquè circa ventriculum implet. Ilio, continuantur crassa intestina, & primum appendiculum quoddam uno ore donatum sive egressui introitum adversum habens, unde Cœcum dicitur. Deinde Colon, quod multis circumductionibus omnia ferè tenuia intestina cingit. Nam à dextri renis sede, ad jecoris cava ascendit, & hinc secundum ventriculi fundum ad lienis & sinistri renis sedem proreptens non longè ab ossis sacri initio devolvitur, ubi incipit ultimum intestinum rectum, quod rectà ad anum pergat, cujus inferior pars orbiculatim ambit & claudit musculus sphincter dictus, ne nobis invitis excrementa exeant. Intestina autem continent dorsoquè alligant duæ membranæ multa pinguedine & glandulis refertæ, quæ Mesenteriũ constituunt, inter quas præter arterias & nervos, consertæ sunt multæ venæ ab intestinis ad jecur directæ, nimirum propagines venæ portæ, quæ à cavo jecoris exoritur. Nam ubi vena portæ è substantia jecoris quatuor surculos emisit, truncus ejus in duos ramos primum dividitur, quorum propagines & surculi variè distribuuntur in ventriculum, intestina, lienem & omentum. Propagines verò quæ ventriculo & intestinis tenuibus implantantur, ex chylo id quod optimum est, & sanguini efficiendo idoneum exagunt, ac ad jecur deferunt: unde oritur secunda concoctio, quæ αἱμάτωσις Latinis sanguificatio dicitur. Perficitur hæc concoctio in hepate, ubi illa optima chyli portio à ventriculo tenuibusquè intestinis attracta & præparata, ad portæ truncum & hinc ad trunci radices per jecoris substantiam numerosa serie sparsas defertur, ibiq; elaboratur, & insita jecoris proprietate in sanguinem transmutatur: qui aut per diapedesin aut anastomosin primùm in radices venæ cavæ attrahitur; Deinde in ejus truncum, tandemquè per ramos in totum corpus

Secunda concoctio sive sanguificatio, eiusq; instrumẽta.

corpus ſingulaſquè partes diſtribuitur gratia nutritionis ut alimentum elaboratum toti commune. Situm autem eſt hepar ſub ſepto tranſverſo, cui validiſſimo ventriculo alligatur in dextra abdominis ſede, licet ventriculo magna ex parte incumbat: ſupra cavum, infra gibbum eſt; ſubſtantia ejus Græcis παρέγχυμα dicitur, quia nil aliud videtur quam ſanguis concretus compluribus venis, & nonnullis arteriis intertextus. Nam componitur ex multarum venarum implexu, quibus circumfuſa eſt caro concreto ſanguini ſimilis. Cōtectum autem eſt tenuiſſima membrana, quæ nervulum à ſexto pari ſuſcipit. Venarum autē illarum quæ per ſubſtātiā jecoris diſperſæ ſunt, duplex eſt ſeries; una ad jecoris cavū pertinet, quæ caudicem venæ portæ conſtituunt: altera ad gibbū tendit; quæ radices ſunt trunci ipſius venæ cavæ; ab hoc trunco in omnes partes corporis rami tāquā canales diſſeminantur, ut ſanguinem à jecore gratia nutritionis diſtribuant. In hac cōcoctione ſanguiniſq; generatione & diſtributione, tria excrementorum genera redundant, quæ à natura ad certa membra religantur, ut ſanguis eò purior relinquatur pro corpore alendo: Quorum duo in jecore ex ſanguinis elaboratione propriè oriuntur, dum materia ebullit, & concoquitur, nō aliter ferè quàm in vino. Nam unum leve tenuequè eſt quaſi flos vini, nimirum bilis flava, quam veſicula fellis attrahit; Deinde ad duodenum inteſtinum tranſmittit, ubi feces ſuo colore tingit, & inteſtina ad excretionem ſtimulat: Alterum grave feculentumquè eſt, fecibus vini correſpondens, quod melancholia dicitur, quam lien ex jecore per ramum venæ portæ allicit, ut concoquat eoquè nutriatur, & partem, quam ſibi aptare nequit, aut ad ventriculum tranſmittat pro appetitu excitando, aut ad inteſtina aliaſquè vias expellat. Tertium excrementum à prima cōcoctione

Hepar.

Vena quæ radicātur in iecore, ut vena porta.

Vena cava.

nè

ne initium aliquod ſuæ generationis ſuſcipit, licèt in tertia ſeparetur, nimirum ſerum vehiculum ſanguinis, quod à renibus attrahitur, & excolatur, ac à quibus per ureteres in veſicam delabitur, ibiq; ſenſim colligitur, donec copia aut qualitate moleſtãs, recluſo muſculo cervicẽ veſicæ ambiente, foras excernatur, in maribus per penem; in feminis per cervicem uteri. Veſicula illa fellis jecori adnata eſt, & à cava dexteraq; parte ejus propendet, conſtat ſimplici tunica, ac duos meatus proprios habet; unum à jecore, qui ſurculus eſt venæ portæ, quo bilem allicit; alterum ad duodenum inteſtinum, quo bilem redundantem detrudit. Deindè lien, qui fecem ſanguinis redundantem ſuſcipit, ſitus eſt in ſiniſtro hypochondrio ex adverſo jecoris, oblongus linguæ craſſioris imaginem referens, cujus pars cava ventriculum reſpicit. Conſtat ut jecur ex multis venis & arteriis, quibus melancholicum ſanguinem allicit, quem ope arteriarum in ſuam ſubſtantiam convertit, reliquum aut per eaſdem venas ad inteſtina & hæmorrhoidas expellit, aut per vas breve ad ventriculi fundum, aut per arterias ad renes deducitur. Sanguis ab his duobus propriis excrementis repurgatus, ut à portæ venis in anguſtiſſimas cavæ radices deduceretur, aqueo ſive ſeroſo excremento vehiculi loco utitur, quod poſtea quia naturæ utile non eſt, à renibus attrahitur & excolatur: Renes autem utrinque ſinguli ſunt in lumbis ſub jecore, nothiſquè coſtis ad latera venæ cavæ, & arteriæ magnæ, quibus incumbunt muſculi crura moventes, quos ψύας vocant. Horum figura Phaſeoli ſpeciem imitatur, ac verſus ſpinam gibbi ſunt, verſus viſcera cavi. Subſtantia renum dura denſaquè eſt cordis ſimilima, in cujus anteriore parte Veſalius ponit duos ſinus membrana ſuccinctos cum multis carunculis, Laurentius verò in homi-

Veſicula fellis. *Lien.* *Renes.*

homine nullum ſinum eſſe arbitratur, ſed carunculam tantum mammillarum papillis ſimilimam; quâ ſerum à ſanguine excolatur.

Vreteres. Inſeruntur verò renibus primùm venæ & arteriæ emulgentes, quæ ſeroſum ſanguinem ad renes alliciunt. Deinde Ureteres vaſa alba craſſa, quæ à renibus deorſum progrediuntur, & lateribus veſicæ ſinuoſo reflexu implantantur: ut ſerum excolatum deferant. *Veſica.* Veſica verò in imo abdominis ſita eſt ſub oſſe pectinis, in coxarum antro, in viris recto inteſtino affixa: figura ejus rotunda oblonga; ſubſtantia nervoſa craſſa excepta cervice, quæ penè carnea eſt, ſimulquè anguſta, quam cingit muſculus σφιγκτὴρ dictus, qui urinam continet, ne nobis invitis exeat. De ipſa maſſa ſanguinis & humoribus tàm alimentariis, quàm excrementitiis ſequenti capite dicetur.

Tertia coctio. Supremus concoctionis gradus, cui communes illæ duæ, ut præparationes inſerviunt, eſt in ſubſtantia ſolidarum partium, & ὁμοίωσις appellatur, ac nutritio quoque interdum dicitur. Ea fit, dum partes ſingulæ primùm ex venis alimentum debitum attrahunt, & ſub roris ſpecie apponunt, deindè ſibi agglutinant & uniunt, tandemque perfectè aſſimilant, ſive in ſuam ſubſtantiam omninò alterant: Nam ad perfectam nutritionem tria neceſſaria ſunt, 1. alimenti appoſitio, deindè agglutinatio, tertiò aſſimilatio, ſive alteratio alimenti in perfectam ſubſtantiam partis. *Tria requiſita in nutritionē* Sub aſſimilatione iſta comprehendi poterit, quæ tertia & quarta concoctio à Galen. *3. de Sympt. om. cauſis capit. 2.* dicitur, nam tertia quæ fit in partibus, qua ſanguis, qui apponitur, alteratur, gradus quidam aut via ad quartam putatur; nimirum ad perfectam alimẽti aſſimilationem, quæ à nutritione re ipſa fine & opere

opere non distinguitur. Quare assimilatio quæ fit alteratione alimenti in substantiam nutriti, dum omni ex parte nutrito affigitur, nutritio propriè vocatur, ut ex definitione nutritionis constat. Hujus concoctionis excrementa propria sunt, insensibilis transpiratio, & quod sordium specie cuti extrinsecus adhæreſcit, minus propria & non necessaria, sudores. Quia verò calor cunctis partibus insitus calore à corde infuso perpetuò fovetur & exsuscitatur, in nutritione necessariò cordis actio requiritur, nam cor cum calore præcipuum alimentum per arterias exhibet, quod sanguinem venarum in actum deducit. Proinde authore Averrhoë sanguis arteriarum ad sanguinem venarum formæ rationem habet; deinde cum venis arteriæ per totum corpus disperguntur, & continuantur, ac utroque sanguine certa quadam proportione partes nutriri videntur.

De Accretione.

Quæ in corpore nutriuntur propriè sunt partes solidæ, in quibus resident facultates & à quibus functio: Impropriè verò spiritus & humores. Illæ si copiosiori alimento restauratæ fuerint, quàm quod defluxu naturali deperditum est, non modò animatum nutritur, sed simul quoque augetur. In omni augmentatione nutritio requiritur, sed non contra, verum à nutritione, ratione & tempore discernitur. Nam nutritio per totam vitam fit, & substantiam numero unam conservat. Per accretionem verò auctis in omnem dimensionem primùm similaribus, deinde dissimilaribus totum animatum augetur & ad determinatum vitæ tempus solum, quæ consistentia dicitur, perducitur.

Definitio accretionis.

Quare erit accretio insitæ magnitudinis accessio, in singulis corporis animati partibus à facultate auctrice, per extensionem ex alimento in substantiam converso, gratia termini à natura præfixi.

Igitur

Igitur in accretione tria præcipuè erunt, primum corpus animatum, unum idemquè numero manens, cui secundum omnes illius partes, sed primùm spermaticas, fit accessio, deinde alimenti copiosioris in illis partibus restitutio, tertiò facultas auctrix, quæ calorem insitum dirigit, & ad convenientem illi animato corpori terminum & quantitatem, quæ ἀκμὴ & consistentia dicitur, promovet. Proinde accretio mutatione aliqua animæ altricis non existit, sed corporis tantum animati, ratione insiti caloris, humidum depascentis, à quo progressu temporis cum humido subinde diminuitur, unde corpus siccius, & ad extensionem ac incrementum ineptius efficitur. Nam prima ætate ob caloris nativi vehementiam, partes animati plurimum alimenti transmutant, & ob humidi copiam, quoquo versum extendendo in sui substantiam facilimè convertunt, & incrementum celerrimè assumunt. Verùm humido progressu temporis diminuto, ultra naturalis defluxus restitutionem, subinde minus minusquè partibus ad ἀκμὴν usque adjicitur, residuo alimenti aut in semen, aliaquè ejus generis transmutato, aut acri illius ætatis calore dissipato. Tandem verò paulatim ex defectu humidi tabescente calore, senium introducitur, unde functionibus omnibus labefactatis, cum squalore partium omnium, mors naturalis necessariò sequitur. Omnibus quidem animatis vita & mors communis est, propter duplicia contraria, nimirum ex quibus constant, elementa, & quæ gignunt, excrementa. Omnium tamen similis ætatum decursus non est, nec vitæ ratio, sed ea longioris vitæ sunt, quæ calidum innatum, in quo vita consistit, quantitate copiosum, & qualitate temperatum magis habent; Deinde quæ excrementis paucioribus

Accretionis tria requisita.

De longitudine vitæ.

bus abundant, ac breviter quibus calidum minus κατὰ μάρανσιν dissipatur, aut κατὰ σβέσιν opprimitur & suffocatur.

DE HUMORIBUS.

Caput VIII.

Humor communiter dictus

HUmor Græcis ὑγρὸν, non uno eodemquè modo semper accipitur: Communiter enim omne corpus liquidum & perfluens, non sua, sed aliena superficie contentum, humor vocatur: Hac significatione omnes succi & liquores, humores dici poterunt, ac quoque in humano corpore, præter solidas continentesquè partes, & spiritus impetum facientes, omnia liquida cavitatibus aut solidis partibus contenta. Talia unius generis non sunt, & non solùm materia, sed etiam efficiente & fine distinguuntur. Nam nonnulla contenta naturæ sunt utilia, nõnulla supervacanea aut planè noxia: Deinde aliqua ex prima concoctione gignuntur in vẽtriculo, ut chylus & feces, cum viscido humore oblinente intestina: Quædam ex secunda concoctione in jecore, ut chymus, massa scilicet sanguinis cum tribus excrementorum generibus: aliqua ex tertia concoctione in partibus dum nutriuntur: præterea præter humores illos nutritioni accommodatos & excremẽtitios, superfluitates quædam in certis partibus gignuntur, aliis usibus necessariæ, quales sunt lac, semen, &c. quæ omnia humores cõmuniter dicũtur.

Humor medicis quid?

Humoris vocabulum secundum prius & posterius à Medicis sumitur: verùm à numero humorum removentur primum quæ in prima concoctione generantur, ut chylus & feces. Deindè utiles nonnullæ superfluitates quæ in partibus quibusdam

in tertia concoctione redundant ut lac & semen. Ac communi nomine humores plerunquè vocātur corpora liquida, quæ in secunda concoctione ex chylo, in tertia ex sanguine oriuntur: unde dividūt plerique humores in alimentarios & excrementitios. Alimentarios autem qui in corporis substantiam transmutantur: in primos; corpora ex quibus massa sanguinis componitur: & secundarios, qui in partium nutritione ex primis generantur: Excrementitios verò qui separantur à sanguine & à corpore expelluntur, in naturales, qui instituto naturæ fiunt, & non naturales, qui à caussis præter naturam in corpore gignuntur.

Humor propriissimè dictus

Verùm propriissimè nomen humoris competit 4. succis alimentariis ex quibus chymus sive massa sanguinis componitur, qui corpori alendo inservit: secundariò illis succis qui ex primis oriuntur, & in partium nutritione considerantur, licèt humiditates potius quàm humores dici mereantur: Deinde humoribus excrementitiis naturalibus, quatenus alimentariis primis correspondent: tandem excrementitiis non naturalibus. De singulis ordine dicemus, & primùm de humoribus propriissimè dictis, id est, alimentariis primis, deinde de alimentariis secundis, tertiò de generatione & alimentariorum & excrementitiorum, tandem de singulis humoribus, ut à naturæ modo recedunt.

Definitio Humoris propriissimè dicti.

Ac primùm humores propriissimè sunt corpora liquida in quæ chylus vi jecoris pro corpore alendo transmutatur, Dico corpus liquidum, nam necesse est alimentum fluxile esse & liquidum, si per meatus à natura destinatos ad partes nutriendas deferri debeat. Verùm non omne liquidum tale est, nec omne in quod alimentum cōvertitur, sed quod corpori alendo & conservando idoneum est. Nam alimentum, ubi primùm ingeritur, in chylū primò

permutatur; at chylus nisi in chymum & massam sanguinis convertatur, inutilibus separatis, idoneus non est, ut corpus nutriat. Quare nec excrementa, nec chylus humor proprie erit, sed chymus & succus, qui alendo & conservando corpori inservit. Licèt his omnibus vocabulum humoris tribui soleat. Quia autem corpus iisdem generatur, quibus conservatur, Galenus humores proxima animalium sanguine præditorum elementa vocavit & Hippocrates ipsam naturam humani corporis. Nam ex humoribus corpus humanum proximè gignitur & nutritur: Deinde à συμμετρία humorum, sanitas; ab ἀμετρία morbi dependent. Correspondent enim quatuor humores quatuor elementis, ut post apparebit, ac singuli humores ex singulorum elementorum qualitate constant.

Opiniones de numero humorum alimentariorum.

Verùm de numero humorum non consentiunt artifices. Nam ut testatur Hippocrates *libr. de Nat. hum.* nonnulli ex unico solum humore, corpus humanum fieri dixerunt, & cum Aristotele Averrhoës statuit, partes puro tantum sanguine nutriri: cætera liquida excrementa solum esse. Plerique medici cum Hippocrate & Galeno quatuor humores alimentarios primos numerant, sanguinem nimirum pituitam, bilem flavam & melancholiam, ac ex his massam sanguinis oriri, quæ à potiori parte, sanguis dicitur, & hos quatuor humores, quatuor elementis correspondere, ex quibus generatur & nutritur corpus. Sunt nonnulli qui sanguinem non materia, sed forma à cæteris tribus distinguunt, ac tres solum distinctos humores esse putant, (ut in lacte est caseus butyrum & serum) sanguinis verò formam, illorum trium mixtioni supervenire. Aliqui quatuor illis humoribus quintum, serum nimirum, addunt.

De

De Paracelsistarum opinionibus suo loco dicemus.

Verùm cum serum propriè non nutriat, humoribus propriè dictis, sive alimentariis succis annumerari non poterit: Deinde si ex tribus distinctis humoribus, pituita scil. melancholia & cholera sanguis propriè componitur, colore rubro non erit, nec qualitate temperatus, sed frigidus: Nam frigus pituitæ & melancholiæ unius choleræ calorem vinceret; præterea ex his tribus mixtio perfecta nunquam erit, nec tres humores quatuor Elementis correspondere poterunt. Quod si animalium sanguine præditorum partes ex solo sanguine constructæ forent, solus sanguis humor propriè dici mereretur, & ad nutriendum sufficeret; cum nihil nisi à simili proximè nutriatur. Nihilominus deprehensum est, secta vena non purum sanguinẽ, sed aliis tribus permixtum exire. Deinde ratio ostendit alias partes crassiore, alias tenuiore, alias frigidiore, aut calidiore alimento uti. Quare apparet, 4. humores alimentarios esse, ex quibus massa sanguinis cõponitur. Alii cõtra ex solo sanguine corpus nutriri putãt, quod sanguis naturæ maximè familiaris sit, & omniũ ultimo purgatione separetur. Deinde singulas partes similem earum substantiis alimoniã attrahere, alias tenuiorẽ aut crassiorem, alias frigidiorem aut sicciorem sanguinis portionem. Quare horum sentẽtiam ipse etiam Gal. *2. de Elem. cap. 5.* (ut qui rationabilia senserint) commendat; sed naturæ magis cõsentaneam esse dicit Hippocratis opinionem. Existimat enim Hippocrates, tantam in sanis secũdum formam corporis varietatem contingere non potuisse, si unus esset humor Elementaris omnium hominum. Deinde partium naturas longè differentes, in uno eodemquè homine, neque initio ex eadem substantia fieri potuisse, neque uno specie ali-

Examinãtur Opiniones de numero humorũ.

mento uti: Quæ ratio necessaria videretur, si à sola materia generationis & nutritionis necessitas dependeret, & non ab efficiente quoque & fine.

Quomodo sanguinis massa ex quatuor humoribus componatur?

Nihilominus rationi consentaneum est, massam illam sanguinis, qua nutriuntur omnia in corpore, partes discrepantes habere, quæ quatuor Elementis correspondent, unde humores elementarii ac alimentarii dici poterunt. Nam bilis succus substantiæ tenuis, calidus siccus, igni correspondet; sanguis calidus humidus, aëri, pituita frigidus humidus, aquæ, melancholia humor frigidus siccus substantiæ crassæ, terræ. Verùm in illa massa humores, qualitates suas non planè servant, nec actu absoluto permanent, sed ut ex qualitatum elemẽtarium proportione κρᾶσις oritur, ita ex justa temperie quatuor humorum, oritur qualitas naturæ conveniens, cujus ratione totus sanguis in sanis dicitur, temperatissimus, & nutritioni idoneus: Cæterum in massa sanguinis hominis sani plurimum est puri sanguinis, minus pituitæ, minimum melancholiæ & bilis flavæ: In non sanis plerumque hæc proportio violatur. Serum autem pars massæ sanguinis non est, sed vehiculum & excrementum omnibus ejus partibus cõmune. Nam tot species sunt serosi humoris, quot species succorum in venis; & quilibet succus suum serum habet, à quibus urina variè coloratur. Nam à sanguine prodit serum coloris rubri, à pituita albi, à cholera flavi, à melancholia subfusci, ut docet Gal. *4. de Sanitate Tuend. c. 4 & com. 2. lib. 6. Epid. text. 38.*

Propertio humorum in massa sanguinis.

Dividit Avicenna humores omnes, in primos & secundos: primi sunt illi quatuor qui alimentarii dicuntur toti corpori communes, ex quibus massa sanguinis, de quibus jam dictum est, & infrà latius in specie dicemus: secundi verò sunt qui primos consequuntur, & ex primis immediatè oriuntur: hi singulis partibus propriè destinati sunt nutritio-

nis

nis & conservationis gratia, quatenus alimentum suum præparant, & per gradus alterant, qui magis humiditates quàm humores dici merentur.

Humores secũdarii secundum Avicennam.

Galen. *7. Meth. cap. 6.* quatuor siccitates partium enumerat, quibus totidem humiditates opponuntur: Prima humiditas in extremitatibus exilium venarum continetur, quæ à sanguine parum aut nihil differt; Secunda ad roris speciem sparsa est, in spatiis similarium intermediis, ex qua proximè nutriuntur, unde ros aut rorida humiditas appellatur; tertia carnosa aut adiposa species & humiditas, quæ fibris circumfusa est ex sanguine agglutinato & assimilato: quarta fibrosa aut membranosa partes spermaticas continens ex semine genita in utero ab ortu. Quare duæ posteriores humiditates absolutè de substantia partium sunt, ac rorida humiditas media quædam dispositio videtur inter substantiam partium, & sanguinis ad naturam partium potissimum inclinans, ut quæ in extremitatibus exilium venarum continetur ad naturam sanguinis. Avicenna loco quatuor humiditatum quatuor humores secundarios ponit. Verùm Fernelius & alii nonnulli quatuor secundarios humores aut humiditates ad tertiam concoctionem sive ad nutritionem in partibus referunt. Prima autem humiditas omnium consensu est in extremitatibus exilium venarum & arteriarum, quæ singulis partibus appropriatæ sunt, easque irrigant. Ea oritur ex sanguine levem aliquam mutationem suscipiente à partibus circumstantibus: hæc proprio nomine caret, sed sanguineus humor nonnullis dicitur. Altera ex priori gignitur, dum in vacua membrorum spacia roris modo diffunditur, & singulis membrorum partibus apponitur, unde à similitudine ros appellatur. Nutrimentum ubi partibus appositum fuerit,

insito calore cogitur, & concoctione primum ipsis partibus agglutinatur & affigitur. Deinde absolutè & usquequaque assimilatur, sive in substantiam partis convertitur. Ex hac duplici operatione, duas posteriores humiditates colligit Fernelius. Verùm Avicennas secundam humiditatem, rorem nimirũ, inservire solum putat, ut in nutrimentum promptè convertatur, quando corpus sufficienti nutrimento caret, & ut membra humectet, cum violens caussa ea exsiccarit. Quod si corpus sufficienti alimento abundarit, ex primo humore tertium immediatè fieri existimat: sin defecerit, à caussa aliqua exsiccante, tum demum ex secundo tertium gigni. Opinatur enim ex concoctione primi humoris in tertium elici subtile quoddam & roridum, quod natura provida indigentiæ caussa, quasi promptuarium quoddam in membris simplicib⁹ recondit. Tertius igitur humor Avicennæ est, verum nutrimentum, conversum in substantiam membrorum, ex parte complexionis, sed nondum ex parte essentiæ completæ & similitudinis, atque hunc humorem, quia parum congelatus est, Cambium interpretes vocarunt. Quartus humor, juxta Avicennam, ex semine oritur, partibusquè simplicibus innascitur in primo ortu, ut eas contineat, uniat & conservet, unde Gluten dicitur. Verùm an hæ humiditates peculiares humorum species dici mereantur, dubitatur. Nam quod gluten vocatur, quia ad constitutionem partium necessariò requiritur, partis substãtia est; sicut quoque & Cambium: Nam nihil temperamentum membri habet, nisi pars ejusdem fuerit. Præterea ut Galenus *1. de Semine* testatur, alimẽtum exhalationis modo in membra transit.

Humores secũdarii Fernelio. Deinde qui à Fernelio humores secundarii vocantur, mediæ dispositiones videntur inter partes & sanguinem: sed quod partibus assimilatur, ad natu-

naturam partis propriè accedit: deinde quod agglutinatur; quod verò in capillaribus venis eſt, adhuc naturam ſanguinis retinet.

Humores excremẽtitii. Superfluitates verò & excrementitii humores illi dicuntur qui in corpore abundant, & à corpore expelli & ſeparari debent. Hi multis modis variantur: alii enim partim naturæ utiles ſunt, ut fel ad alvum irritandam & detergendos humores craſſos ab inteſtinis; melancholia ad excitandum appetitum: Alii inutiles vel ſimpliciter ut ſtercus, lotium, ſudores, quæ impropriè humores dicuntur: vel planè noxii qui præternaturales vocantur, quorum nonnulli ſolo nomine ob ſimilitudinem interdum conveniunt, qui tota eſſentia differunt, ut ex cauſis & differentiis eorum apparebit, de quibus nunc ordine dicemus.

Cauſſæ humorũ alimentariorũ & excrementitiorum. Manifeſtum primum eſt in primâ concoctione ex alimentis chylum in ventriculo oriri, quem Galenus recenti muſto comparat, cujus dum in inteſtina protruditur, pars utiliſſima ad jecur per venas meſaraicas deducitur, ubi formam ſanguinis recipit, qui quatuor illos humores alimentarios continet Nam ut ex muſto, dum defervęſcit, quatuor emergunt, ita ex chylo quodammodo, dum in jecore concoquitur, quatuor humores oriuntur, quorum unus præcipuus eſt, & puriſſimo vino aſſimilatur, ut ſanguis ſincerus; alter fecibus, ut melancholia: tertius floribus comparatur, ut bilis flava: quartus crudis & inconcoctis in vino partibus, ut pituita. Oriuntur hi quatuor in jecore naturaliter, ab uno eodemquè calore, pro materiæ diſpoſitione. Dum enim jecur calore inſito in chylum agit, mediocres partes in ſanguinem, tenuiores calidiores in bilem, ſicciores frigidiores in melancholiam, frigidiores humidiores in pituitam commutat. Verùm ut flores à vino, ita cholera & melancholia à

ſanguine non planè ſeparatur, ſed utriuſque pars utiliſſima cum ſanguine & pituita vi jecoris debitè permiſcetur, ac in maſſam ſanguinis coit, quæ poſtea vehiculo ſeroſi humoris pellente jecore, ac trahentibus primo partibus, deinde venis, in totum corpus diſtribuitur. Reliqua verò pars bilis & melancholiæ redundans, ad veſiculam fellis & lienem relegatur. Quare bilis illa, quæ in venis reperitur, ſincera non eſt, nec cæteris permixta eas qualitates, in ſanis potiſſimum, actu retinet, quas excrementitia in veſicula fellis. Eadem ratio eſt melancholiæ excrementitiæ.

Naturalis ſanguinis nota.

Hi humores omnes, & ſeorſim ſinguli in corpore, vel naturaliter ſe habent, vel à naturali conſtitutione diſcedunt. Ac primum ſanguis ex quatuor humoribus commixtus naturaliter ſe habet, ſi ex debita proportione quatuor humorum componatur, deinde ſi temperatus ſit, & ſubſtantiæ mediocris: verùm ipſe ſanguis purus & per ſe naturalis judicatur, ſi calidus & humidus, ſapore dulcis, & extra vaſa facilimè concreſcat vi fibrarum, quas à venoſo genere accepit: nihilominus qui in arteriis cõtinetur magis formæ rationem obtinet, cordis quia calore abſolvitur, unde calidior, ſubtilior, clarior & flavior efficitur: Qui verò in venis, coloris rubri & ſubſtantiæ craſſioris eſt.

Sanguis non naturalis.

Non naturalis ſanguis ab his naturæ legibus diſcedit, vel quantitate, ſi vires premat, aut vaſa diſtendat, unde oritur plenitudo quo ad vires & vaſa: vel qualitate, ſi calidior, frigidior, ſiccior aut humidior reddatur, vel alieno humore copioſè perfundatur, quæ cacochymia dicitur: aut corrumpatur & putreſcat.

Bilis naturalis.

Secundò gignitur bilis ex calidiſſima & ſubtiliſſima chyli parte, unde naturæ igneæ eſt, ſubſtantiæ tenuiſſimæ & ſubtiliſſimæ, ac per ſe ſaporis ama-

amari, coloris flavi, nisi seroso humore permisceatur, à quo pallida efficitur. Hujus portio utilissima vi jecoris cum sanguine permiscetur, ut cum sanguine membra calidiora alat, & humores frigidos calefaciat & extenuet. Reliqua pars ad vesiculam fellis, ac tandem ad duodenum relegatur, ut excretionem adjuvet, & intestina à crassis viscosis humoribus repurget.

Alimentaria.

Excrementitia.

Non naturalis bilis quadruplex est: prima vitellina, ovi vitello similis, quam Avicenna ex commistione bilis flavæ & pituitæ fieri putavit, & bilem majoris famæ vocavit; sicut quæ ex melancholia bili permista, minoris famæ: Verùm illa pituitæ permixtione, ad colorem vitellinum bilis pervenire non poterit, sed pallida potius erit. Oritur autem vitellina bilis ex flava bile, à calore præternaturali, tenues partes dissipante & incrassante, ad consistentiam & colorem vitellorum crudorum ovorum. Cæteræ tres species bilis non naturalis aliquo modo ad viridem colorem inclinant, & ex calidorum ciborum corruptione extra venas, aut à calido ventriculo potissimùm gignitur, rarissimè intra venas ex bile vitellina. Veluti bilis πρασοειδὴς porro similis, deinde ἰώδης æruginem referens: postremò ἰσατώδης, glastea, Isatidis colorem referens, sub qua cærulea quoque continetur. Hæc ex vehementiori adustione oritur, quàm æruginosa; & æruginosa quàm porracea.

Bilis non naturalis species quadruplex.

Melancholia naturalis ea est, quæ à Medicis plerumq; μελαγχολικὸς χυμὸς, id est, ater succus vocatur, & non atra bilis. Hæc in jecore cum aliis humoribus gignitur, per residentiam quasi, ut fex in vino, ex maximè terrestri chyli portione, ejusquè pars utilissima & benignissima cum sanguine miscetur, & per venas distribuitur, ad corporis nutri-

Melāncholia naturalis alimentaria & excrementitia.

nutritionem; imprimis verò partium crassarum, siccarum, frigidarum. Supervacanea verò & inutilissima pars, quæ acerba magis & acida est, ad lienem propriam sedem præcipue relegatur. Portio verò ad ventriculum mittitur, ut ventriculum constringat, famemquè excitet. Nam quo jecur & sanguis à redundanti melancholia expurgetur, inservit lien: quare si lien min⁹ quàm oporteat, ad se trahat, corpus melancholico humore redundabit, & decolor erit. Attrahit autem lien melancholiam, ut ea mutata & confecta perfruatur, unde quasi alterum sive sinistrum jecur ab Aristotele vocatur: quod verò in liene deinde redundat per ventrem naturaliter expurgatur. Præter naturam melancholia naturæ noxia & inutilis oritur, ex primis humoribus per adustionem, vel putredinem in cinerem quasi conversis, & non tàm acida quàm acris est. Oritur hoc modo: Primum ex melancholico succo, deinde ex cholera adusta. Nam bilis vitellina, quando aduritur, primùm in porraceam, deindè in æruginosam & glasteam, tandemquè in atram convertitur. Verùm quæ ex cholera, acrior multò est, quàm prior: tantoquè malignior, quanto bilis, ex qua gignitur, efficacior: Unde bilis atra exquisitissima dicitur. Nam saporem aceto acerrimo similem habet, quæ partes rodit, & gravissimè affligit, ac in ipsam etiam terram effusa eam fermentat. Fit quidem melancholia ex sanguinis adustione, quando pars tenuior in flavam bilem; crassior, in melancholiam transit; sed hæc à superioribus diversa non est. Ex pituita dulci, acida, vel vitrea melancholia immediatè non oritur: ex salsa verò, quæ caloris non naturalis particeps est, fieri interdum judicatur: sed an mediatè, & prius in bilem convertatur (ut Galen. *42. Aph.7.* innuere videtur:) an immediatè per adustionem aut putrefactionem tãtùm dubitatione aliqua carere non videtur.

Restat

Restat quartus humor, qui aquæ comparatur, & à cæteris Græcis, excepto Prodico, phlegma vocatur, à Latinis omnibus pituita. Hæc naturaliter humor alimentarius est, & in massa sanguinis portio crudior, quæ sanguis ex dimidio coctus vocari solet, ac per venas in totum corpus distribuitur, ut partes frigidiores humidiores, qualis est cerebrum, alat. Per se separatim frigida & humida est, colore alba, saporis expers, sed si à calore naturali nonnihil alteretur, dulcis aliquo modo redditur. Verùm pituita alimentaris non est propriè illa superfluitas primæ concoctionis in ventriculo redundans, aut viscosus humor, qui intestina oblinit: neque etiam in ventriculo ex prima concoctione perfectè generatur, licet à ventriculo initium aliquo modo sumat. Nam chylus ad omnes humores dispositionem quandam habet, sed peculiariter ad pituitam, unde Galen. *lib. de Atra bile* & alibi, pituitosum humorem in ventriculo fieri dicit: nihilominus ut alimentaris fiat, necesse erit ut in jecore prius concoquatur, perficiatur & absolvatur, qua concoctione pars in sanguinem mutatur, reliqua sanguini cæterisquè humoribus miscetur. Quare pituita redundans nullum peculiare membrum habet, quo à sanguine separetur, sed illa superfluitas primæ concoctionis, quæ intestina oblinit, à bile per duodenum intestinum expurgatur.

Pituita naturalis alimetaria & excrementitia.

Pituita non naturalis variè sumitur. Nam quod screatu rejicitur: Deinde tenuis ille humor, ac quoque viscosus (mucus nimirum) qui à capite in nares & os defluit, pituita plerumque vocatur, sed minus proprio nomine, ut Galenus *2. de Natur. fac. cap. ult.* statuere videtur. Præterea in articulis, in oculorum palpebris & pulmonibus concrescit interdum materia, quæ gypsea pituita nominatur, sed ea tophus aut grando potius dicenda

Non naturalis pituita.

quàm

quàm pituita. Pituitæ autem excrementitiæ tres præcipuæ ſunt ſpecies. Una acida pituita, naturali multò frigidior & crudior. Nam præter primam in ventriculo confectionem, in jecore & venis vix ullam alterationem & perfectionem accipit, unde ob defectum coloris extremè aceſcit. Secunda quia vitro fuſo colore & ſubſtantia ſimilis eſt, à Praxagora vitrea pituita primum dicta fuit, ab aliquibus ſimpliciter crudus humor. Nam multò crudior, frigidior, viſcidior & craſſior eſt, quàm acida & partibus adhæreſcens, ut inteſtinis, dolores colicos & cruciatus graviſſimos excitare ſolet. Tertia ſalſa pituita vocatur, à cæteris viribus & materia diverſa. Nam ut cæteræ, frigida non eſt, ſed calida & ſicca. Oritur hæc non ex pituita naturali permixta cum bile amara, ut Avicenna opinatur, ſed aut mixtione ſalſi ſeroſi excrementi, aut à putredine pituitæ naturalis. Hi ſunt humores alimentarii & excrementitii, ex quibus corpus humanum nutritur, in ſe variè diſponitur & afficitur, quæ varietas pro ſingulorum humorum diverſitate, & conſtitutione evenire ſolet, quatenus in corpore vel augentur, vel minuuntur. Augentur autem vel minuuntur pro temperamento, natura & conſtitutione corporis, pro ætate, diæta, anni tempore, regione & ſimilibus.

Refutatio Paracelſiſtarum.

Paracelſiſtæ, ut alia pleraque veterum, ita humorum doctrinam rejiciunt, & Dogmaticos inani titulo, ut ipſis videtur, cui res nulla ſubſit, humoriſtas appellant: negant enim non ſolùm humores alimenta & nutrimenta corporis humani eſſe, ſed etiam excrementa & morborum cauſſas, aliaque principia & cauſſas ſubſtituunt, ut ex eorum paradoxis apparet. Concedimus quidem in omnibus alimentis aliquid eſſe oportere nobis familiare, quod illi Balſamum fortaſsè appellant, ſed primum

à ra-

á ratione alienum esse putamus in alimentis illa omnia actu esse quæ ex alimentis oriuntur, & non per transmutationem substantiæ gigni, sed tantum actione caloris nativi separari & manifestari: ita necesse erit cum Anaxagora confiteri, omnia in omnibus esse, & secretione res nasci, confusione interire, ac proinde nullam simplicem generationem aut corruptionem esse, quæ omnia non solùm ab Aristotele aliisquè abundè refutata sunt, sed etiam cum experientia & sensu manifestè pugnant. Nam ut alia omittam, si ista secretio locum haberet, necesse foret idem alimentum omnibus sine discrimine, nimirùm pueris, juvenibus, decrepitis, ægris & sanis eundem succum eademquè excrementa suppeditare: at constat experientia eundem cibum aliis in bilem, aliis in pituitam aut melancholiam, aliis in bonum sanguinem converti, atque eundem cibum in eodem homine sano & ægro eundem succum & excrementa non gignere, ac multa dulcia nimia concoctione primum salsa, deinde amara reddi, &c. Deinde nituntur falsis & absurdis principiis, nam impossibile est illa naturæ opera ut caro, ossa & similia, ignis ministerio fieri: absurdum ex artis operibus naturæ principia & caussas æstimare: ridiculum hominem microcosmum vocare, quia actu in se omnia illa complectitur, quæ in toto mundo continentur, omnesquè illorum mutationes eodem modo sustineat. Concedimus quidem multas separationes Medico utiles arte perfici, & chymicos corpora dissolvere, & vi ignis nonnulla homogenea in unum cogere, quæ ab iis Sal, Sulphur, & Mercurius vocantur; verùm negamus has resolutiones naturales esse, aut quod in his operibus ars naturam imitetur, aut natura artem, deinde ex omnibus alimentis artem Chymicam unam guttam sanguinis aut parti-

particulam carnis elicere posse, ut Paracelsus statuit, proinde ars naturam non adæquat, sed simia tantum naturæ est, & in aliquibus naturæ subseruit, in plerisq; ea efficit, quæ actionibus naturæ nullo modo correspondent. Quare cum generationis & nutritionis nostræ elementa excrementa sensibus sint manifesta, amentis erit ex umbra illa artis naturæ opera & effect⁹ æstimare, & manifestis relictis scrutari, quæ nemo unquam actu in corporibus nostris ostendere potuit. Nam nemini obscurum est ex alimentis sanguinem gigni, eoque corpus nutriri: deinde in sanguinis generatione, quæ ob copiam aut qualitatem aptè cum eo commisceri nequeunt separari, & excrementa fieri: unde ipse Paracelsus in Archidoxis & alibi concedit quatuor humores in humano corpore, & medicamenta præscribit, quibus utraque bilis & pituita expurgari queat. Dicuntur quidem à Medicis humores nonnulli æruginosi, glastii, porracei, non quia actu æruginem, porrum aut Isatidem continent, sed quia colorem eorum referunt: Ita à sapore non à substantia humores salsi, amari, acidi &c. vocantur. Cætera de humoribus suo loco explicabuntur, & peculiariter in Pathologicis, qua ratione humores morborum caussæ dici debeant.

DE GENERATIONE HOMINIS.

CAPUT IX.



UM animata omnia connatas interitus sui causas habeant, ut *lib. 1. de San. Tuen.* Galen. demonstrat, & tamen divino quasi instinctu esse perpetuò appetant: præter altricem & auctricem tertia aliqua facultas naturalis

turalis illis insita erit, nimirum generatrix, sive procreatrix, cujus beneficio quod ex se, & in individuo habere nequeunt, aliud sibi simile reponendo in eadem specie consequuntur. Hæc omnium facultatum naturalium divinissima, maximequè natnralis est. Nam speciem ipsam & formam quæ natura magis, magisquè divina est, quam materia ab interitu vindicat, eamquè perpetuitatem animatis quam consequi possunt, attribuit.

Definitio facultatis generatricis.

Est autem facultas procreatrix propriè ea vegetantis animæ vis, qua quodlibet animatum in suo genere unum & perfectum, ex alimento redundante pro partium nutritione, quod semen vocatur, aliud sibi simile gignere potest. Dico unum & perfectum. Nam imperfecta in suo genere & quæ ex variarum specierum commixtione (ut muli & similia) ac quoque quæ ex putredine oriuntur, ista facultate plerumq; destituuntur, & si quid gignunt, dissimilis naturæ, & sterile ferè semper existit. Deindè dico, sibi simile gignere potest: quod generatio communiter duplex sit, una propriissimè dicta univoca nimirùm & homogenea, qua animatum aliud sibi simile iisdemquè facultatibus præditum gignit, qualis est hominis generatio: alia æquivoca qua dissimilis naturæ animatum, vel ex dissimilium specierum commixtione gignitur: vel ex putredine solum oritur. De illa, dequè hominis generatione hîc propriè agemus.

Generatio communiter quinque actiones sub se continet.

Vocabulum generationis sive procreationis in homine interdum communiter, interdum propriè sumitur. Cōmuniter autem procreatio sub se omnes illas actiones comprehendit, quæ requiruntur, ut infans non solùm generetur; sed etiam in lucem naturaliter producatur, nimirum primùm, coitum sive congressum maris & fœminæ, qui perficitur seminis emissione & tractione in uterum.

Definitio generationis propriissimè dicta.

Secundò conceptionem, vivificationem fœcundi seminis vi uteri pro formatione fœtus. Tertiò generationem propriissimè dictam, ipsam nimirùm fœtus formationem, quæ est functio facultatis generantis, residentis in spirituosa seminis portione, corpus seminis unà cum utilissima sanguinis materni portione in utero alterantis, & transformantis in substantiam partium & exactam formam totius corporis humani. Quartò perfectionem omnium partium fœtus necessariam ad robur & actiones, quæ post conformationem requiritur, ut fœtus moveri & extra uterum per os nutriri queat. Postremò partum sive infantis exclusionem ex utero. De singulis ordine dicemus.

Prima principia generationis mas & fœmina.

Ac primum generationis principia prima, quæ organa, instrumenta, materiam, & facultates necessarias conferunt, sunt duo; quorum unum formæ & propter δύναμιν efficientis causæ rationem habet: mas, qui facultate sua in alio gignit: alterum subjecti & propter ἀδυναμίαν materiæ rationem magis sortitur, fœmina quæ in se ipsa gignit. Hæc duo subjecto in plantis plerumque distincta non sunt, sed quod utriusque congressu in animalibus efficitur, in plantis plerumque miscetur. Ut igitur mas in alio, fœmina in seipsa gignat, natura utrique membra & instrumenta ordinavit: mari testes, vasa seminaria, præparantia & deferentia, ac colem: fœminæ vasa seminaria, testes & uterum: quæ hac re potissimum differunt, quod maris à natura disposita ita sint, ut semen proximum generationis instrumentum, in aliud ritè transfundant; fœminæ verò ut in se recipiat, foveat, & in actum deducat. Correspondet enim uterus, scroto; & in principio con-

Organa generationis.

for-

formationis consentiunt, licet absoluto fœtu forma, magnitudine & situ differant. Nam membra illa genitalia quæ in maribus excluduntur, in fœminis intus conversa reperiuntur. Unde fœmina mas orbatus & occasionatus dicitur. Nam in procreatione ut mas in alio, fœmina in seipsa gignat, necessarius est venereus complexus, quo concurrant, singuliq; suas partes impleant, nimirum ut mas semen prolificum transfundat; fœmina suscipiat, & ex suscepto semine concipiat, fœtumquè in lucem producat. Quo verò singuli partes suas impleant natura idonea instrumenta unicuiq; attribuit. Nam in maribus primum ut semen prolificum elaboretur & conficiatur, requiruntur testes, deinde vasa præparantia, quæ materiam pro semine conficiendo ad testes deferunt; tertiò vasa, quæ semen confectum suscipiunt, & ad penem deferunt, tandemq; penis per quam in complexu venereo (ubi incitante appetitu à spiritu erigitur) ex vasis semen in cervicem uteri transfunditur & detruditur. In fœminis vicissim ut ex suscepto maris semine in se gignant, æqualis ferè partium numerus est. Nam & fœminæ quoque semen habent, sed imperfectum, crudumquè, ut infra dicemus, & ad semen conficiendum testes exigunt. Deinde vasa præparantia, ac etiam in complexu venereo semen deferentia, sed non ut in viris extra corpus, sed in proprium uterum, ubi cum semine maris miscetur. Nam ut fœmina in se gignat necessarius est arvus fœcundus, sive locus semini excipiendo, fovendo & nutriendo idoneus; qualis est uterus, sive matrix, qui non tantum semen attractum suo sinu & complexu fovet, undè conceptio oritur, sed etiam per venas & arterias in proprium sinum terminando, sanguinem suppeditat, quo fœtus ex parte formatur, ac toto tempore, quo in utero est, nutritur & augetur. Deinde quia uterus

intus reconditus est, requiritur via, per quam mas in complexu venereo semen detrudat, quæ sinus pudoris, aliquando cervix uteri dicitur. Testes autem duos uterque sexus adipiscitur, qui in viris eminent, pendentquè ab inguinibus, proprio involucro conclusi ex cute & nervosa membrana: In fœminis unus utrinque utero assidet: substantia eorum mollis, rotunda, rara, glandulis similis in viris potissimum, in fœminis minores minusquè rotundi & molliores sunt; pluribus tunicis integuntur, sed paucioribus in fœminis illaquè sola, quæ epididymis dicitur cum parte peritonæi. Vasa autem spermatica duplicia sunt, quorum alia præparantia, alia semen deferentia & ejaculatoria vocantur. Præparantia quatuor sunt, duæ venæ, totidemquè arteriæ. Vena dextra à trunco venæ cavæ sub emulgente exoritur; sinistra ab emulgente; Arteriæ ambæ à magnæ arteriæ trunco sub emulgente: hæc vasa in viris primùm ad latera deflectuntur, deinde dúm descendunt in scrotum per peritonæi productionem comitante musculo cremastere, dextera vena dexteræ arteriæ, & sinistra sinistræ unitur, tandemq; mirabili implicatione capreolorum vitis instar, in corpus varicosum oblongum album degenerant, ubi materia præparatur à testib⁹ ac demũ in semen transmutatur. Semen elaboratum ab utroque teste suscipiunt vasa deferentia sive ejaculatoria, quæ in exortu crassa & anfractuosa sunt, & ad posteriorem testis sedem reflexa. Deindè in viris sursum ea via in abdominis cavitatem ascendunt, quo descenderunt vasa præparantia, hinc reflectuntur, & sub vesica feruntur, amplificantur, & dextrum vas sinistro unitur, varieque contorquentur & complicantur donec in glandulosas parastatas, quæ ad penis & vesicæ fines collocantur, implantantur, ubi communis meatus per penem pro urinæ seminisq; excre-

Organa autem generationis in viris.

excretione. Penis autem constat ex duobus nervosis oblongis cavisquè corporibus, ortis ab infima ossis pubis parte, in quorum medio est meatus ille communis; substantia penis interior rara, fungosa, ut à spiritu replente erigi, rursumquè flaccescere queat, ac in superiore parte, ubi ab illa cute tegitur & retegitur, quæ præputium dicitur, glandis modo tumet: accedunt his præter venas, arterias, & nervos, quatuor musculi, quorum duo erectioni penis, duo excretioni seminis servire putantur. Uterus sive matrix, alterum instrumētum procreationis, intus reconditus est in ampla coxarum cavitate, medio loco inter vesicam & rectum intestinum, quibus alligatur: figura ejus rotunda oblonga est pyro similis, in angustum os desinens, fundi forma anterius & posterius nonnihil depressa, superius obtusa angulos ostendens similis fronti vitulorum, quæ cornua productura est, potissimum in brutis, unde cornua vocantur. Substantia uteri membranea est, ut ad fœtus incrementum dilatari rursusquè contrahi queat, ac proinde in virginibus & sterilibus uterus exiguus est. Cōstat simplici tunica satis crassa densaquè, cui alia à peritonæo initium sumens obducitur. Utero utrinque accumbit unus testis ad quos vasa præparantia, ac etiam semen deferentia eodem modo, ut in viris, pertingunt, sed breviora, tenuioraquè. Deinde vas semen deferens juxta cornua in latus uteri inseritur, & per corpus uteri ad os ejus usque disseminatur. Via à pudendo ad os uteri, quæ cervix uteri & sinus pudoris vocatur, corpus oblongum est, canalis aut vaginæ instar, & etiam membranosum & rugosum; ab anteriore superiorequè parte vesicæ insertionem excipit; supra hanc insertionem à lateribus sunt duo processus nervei, quos κλειτορίδα Fallopius appellat: infra quatuor carunculæ membranosæ, quas nonnulli nymphas

Organa generationis in fœminis.

vocant, cæteraeq; pudendi partes. Hæc ſunt organa, quibus perficitur generatio, & in quibus gignuntur & continentur proxima generationis noſtræ principia, ſemen & menſtruus ſanguis. Semen autem ut ipſe Gal admonet *lib. 1. Prognoſt. com. ult.* æquivocè ſumitur: & apud Ariſtotelem duo quoque ſignificare videtur: primò id quod Medici θορώδη ὑγρότητος vocant, Ariſtoteles σῶμα σπέρματος & ὄγκον ac περίττωμα σπερματικὸν, nimirum humorem illum qui ex vaſis ſpermaticis excernitur. Hac ſignificatione tàm fœminis quàm maribus ſemen tribuitur. Deinde propriè Ariſtoteli ſignificat γόνην ſive δύναμιν γεννητικὴν & λόγον σπερματικόν. Hæc generandi vis à generante procedit, participatione nativi caloris, & in illo ſeminis corpore continetur, proximumq; procreationis inſtrumentum dicitur: ac ad corpus naſcentis fœtus ſe habet, ut ad domum faber, ac lac coagulum. Hac poſteriori ſignificatione ſemen ab Ariſtotele accipitur, & fœminis denegatur, ut pòſt apparebit. Nam vis gignendi primò & propriiſſimè ſemini maris, ſecundariò fœminæ tribuitur, quatenus à maris ſemine movetur. Itaq; ex utroque compoſitum corpus ſcilicet, quod à generãte procedit, in quo vis generatrix continetur, ſemen propriè dicitur; ſecundariò quod ex vaſis ſpermaticis fœminarum excitatur. Præterea κύημα, quod ex utroque ſemine maris & fœminæ primum oritur, ſemen interdum vocatur, quod plantarum ſeminibus correſpondet, in quibus ſexus diſtinctus non eſt. Ad generationem ſeminis illius in homine quod attinet; Demonſtrat Ariſtoteles *lib. 1. de Gen. animalium c. 16.* ſemen propriè non eſſe σύντηγμα, ſive aliquid ex partiũ colliquatione; nec partem aliquã animati corporis, neque etiam ipſum alimentum propriè, ſed quidquam in

Materia proximaq; principia generationis.

Semẽ quã variè ſumatur & quid propriè ſit.

in partium nutritione redundans, ſive περίττωμα χρησίμης τροφῆς καὶ τῆς ἐσχάτης inchoatum longa concoctione in capillaribus venis.

Modus generationis ſeminis.

Illa redundantia quia (authore Ariſtotele) eſt ὑπόλημμα τὸν πεφυκὸς προσιέναι πρὸς τὸ ἁπᾶν, & non quod à toto omnibuſquè partibus abſcedit, ne partes colliquari dicamus; ad omnes partes proportionem quandam habebit. Unde à toto corpore omnibuſquè partibus deciſum dicitur, non quidem ſecundum numerum, ut quidam voluerunt, ſed ſecundum ſpeciem & facultatem; præcipuè verò materia ſeminis à tribus principiis, jecore, corde, & cerebro oritur, in quibus ſpirituum maxima copia coquitur. Hanc poſtea ut excrementum non natura & qualitate, ſed quantitate ſolum redundans, partes à ſe tranſmittunt, & teſtes unà cum vaſis ſpermaticis attrahunt & perficiunt, ac ſpiritibus à toto corpore permiſtis in ſemen, (corpus album & ſpumoſum) tranſmutant, adeò ut ſemen illius animati corporis omnibus viribus ornatum, aptum ſit ut ſimilis naturæ animatum producat.

Definitio ſeminis.

Quare ſemen erit corpus album & ſpumoſum, calidum & humidum in teſtibus, elaboratum ex reſiduis ultimi alimenti pro partium nutritione permixtis ſpiritibus influentibus, ut animal perfectum in utero generetur.

Menſtruus ſanguis

Deindè menſtruus ſanguis non eſt omnis per muliebria effluens, ſed naturæ ſuperfluus, & ob defectum caloris non perfectè digerentis redundans, ſingulis penè menſibus à natura excretus, (niſi ætas aut morbus impediat) ſine ullo ſymptomate. Hic ſanguis licet crudus videatur, peſtilens tamen & venenatus naturaliter non eſt, eoquè natura melioris gratia in generatione utitur ut materia.

Facultas generatrix duas sub se continet.

His propositis restat, ut facultates illas proponamus à quibus generatio, deinde unde originem primo habeant. Ac primum ipsa generatio non est simplex actio, sed composita ab alteratione & formatione, cui etiam nutritio auctioquè subseruit. Nam sub generatrice facultate duæ propriè continentur, alteratrix sive immutatrix, & διαπλαστική formatrix.

Quid alteratrix facultas?

Alteratrix autem facultas materiam generationis immutat, & singula aptè commiscet ac substantiam omnium similarium partium constituit: proinde à Galeno tot dicuntur alteratrices facultates, quot similaria corpora.

Quid facultas formatrix?

Formatrix verò partes illas efformat, & inter se aptè componit, nimirùm unit, distinguit, separat, variisquè modis disponit, & exornat, atque nihil otiosum & inutile in fœtus formatione relinquit.

Quid generatrix?

Ipsa vis generatrix quæ ab Aristotele (communi nomine) Plastica dicitur, nihil aliud est quàm virtus divina benedictione animatis insita, deindè semini proprio gignentium instrumento communicata, ut illa impressa motione, sine qua semen potentia tantum est, simile animatum gignat & producat. Hæc actio dispensatur & promovetur vi cœlestium corporum, à quibus dependent generationes rerum naturalium, unde illud Aristotelis, Sol & homo generant hominem.

Instrumẽtũ facult. generatricis, calor plasticus.

Fit autem generatio, ut infra dicemus, quando à matrice facultas generatrix in semine exuscitatur, & ad materiam alterandam insurgit, quod sine instrumento fieri nequit. Instrumentum commune est calor plasticus, non igneus corrumpens, sed proportione correspondens virtuti cœlesti, consistens in tenuiori seminis virilis portione, unde spiritus dicitur, à quo prima operatio quæ ebullitio & spumifi-

mificatio vocatur. Hæc vis si consisteret in semine mulieris, nihil prohiberet, quo minus hanc alterationem, ac proindè conceptionem & procreationem ex seipsa efficere posset. Quare humor ille qui è fœminarũ testibus defluit, γόνη per se propriè non est, ut ab Aristotele sumitur, nec eodem modo semen dicitur, ut maris.

Vis generãs & calor plasticus in maris semine propriè cõtinetur.

Nam necesse est primum, aut utrumque semen in conceptione efficientis rationem habere, aut alterum solum. Utrumque probabile non videtur, neque enim aliud à virili semine, aliud à muliebri seorsim constituitur, cum unum vitæ principium sit, & omnia in uno consistant, neque ab utroque primum commixto & contemperato, & ad communem formam redacto, vis generandi primũ oritur. Nam illa mutua contemperatione nova generandi facultas non excitatur, nec ex duabus una oritur, sed potius materia præparatur, & idonea actioni unius generatricis principalis in semine efficitur. Quemadmodum enim (autore Galeno *lib. 2. de Nat. facult. c. 3.*) Phydias ante facultates artis habuit, quàm materiam attigit, usus autem est ipsis in materia; nam sine materia competenti omnis facultas ociosa est: Ita maris semen facultates in seipso possidet: actionem non didicit à materia, sed circa hanc obit si competens sit, & nec plus nec minus quàm indiget, affluat. Quare consentaneum videtur, in ipsa conceptione primùm, maris semen efficientis causæ vices implere: quòd verò in fœminis semen dicitur, unà cum menstruo sanguine (qui ab Aristotele imperfectum quoq; semen vocatur) materiæ magis rationem habere, & causæ sine qua non. Peculiariter tamen inseruit semen fœmineum non solùm ad recipiendum & distribuendũ semen virile in uterum: sed etiam ut cum semine maris fœtum constituat: & quia natura humidius

& frigidius est, ut sit quasi quoddã alimentum virili semini crassiori & calidiori accommodatum, ac redundantem calorem seminis virilis contemperet, quemadmodum Galenus *2. de Sem. cap. 4.* statuit. Nam ubi fit conceptus, semen fœmina cum voluptate & magna vehementia ejaculatur (licet ob impuritatem matricis non semper sentiatur) ut cum semine maris permisceatur, ne alterutrum corrumpatur: cum alterum sine altero non subsistat, nec efficax sit, & maris scintillæ, fœminæ fomitis rationem habeat.

Quomodo utrumque semen rationes habeat efficientis & materiæ.

In procreatione quidem maris semen efficientis vices implet, à quo prima operatio, quæ ebullitio dicitur, & fœmina materiam præcipuè suppeditat, verùm nihil impedit in compositione & formatione partium fœminam, fœmineumquè semen, actione sua aliquid conferre, & semen maris aliquam materiæ rationem habere. Nam ut gallinæ per se facultatem habent gignendi ova subventanea; ita fœmina facultatem producendi formas inferiores, alteri subordinatas & subservientes, nimirum mixti alicujus similaris vel dissimilaris. Atque hæc efficacia in iis animalibus maximè elucet, quæ ex specierum diversarum commixtione oriuntur. Deinde ingreditur semen maris fœtus constitutionem, ut impressivum motus principium, à quo authore Aristotele *2. de Gener. animal. cap. 14.* anima sensitiva, per quam animal, sed producto fœtu non evanescit, licèt plasticam vim non exerat; verùm utilissima ejus pars in spiritus dissoluta materiæ embryonis commiscetur, omnibusquè fœtus partibus innascitur: reliquum præter id quod vi caloris in auras evanescit, cum fœmineo semine aliis usibus destinatur, & partium constitutionem ingreditur: sed magis virtute quàm mole.

Ex

Ex his manifestum est, quæ propriè requisita sunt in procreatione hominis, ac procreationem fieri in utero à facultate generatrice per suam alteratricem & formatricem, ac residere potissimum in semine maris. His facultatibus ministrant propriè nonnullæ ante actum generationis aliquæ in actu & post conformationem partium. Ante generationem primum vis generandi seminis in testibus; & in maribus vis per coitum seminis, ejiciendi in uterum; In fœminis vis attrahendi seminis primum in uterum; Deinde comprehendendi, commiscendi & exsuscitandi, sive vivificandi, quæ actio conceptio dicitur. In ipso autem actu generationis, inserviunt attractiva vis menstrui & expultrix sudoris & urinæ, quæ etiam post conformationem requiruntur, quandiu fœtus in utero est, ac præterea omnes facultates naturales ipsaque vis altrix & auctrix. Ad formam modumquè totius generationis quod attinet, In coitu maris & fœminæ, cum mas & fæmina simul semina effundunt, uterus naturali desiderio flagrans ea attrahit, & in sinus uteri recondit, ubi exquisitè permiscentur, quibus permixtis uterus sese contrahens vim generatricem latentem in semine suscitat, unde conceptio propriè dicta oritur, quæ à Galen. *1. de Semin.* definitur vivificatio seminis ad formandum fœtum orta à proprietate uteri.

Ministrãtes facultates.

Incipit igitur conceptus sive κύημα (ut testatur ipse Aristoteles *10. de Histor. animal. c. 7. & 9. & lib. 2. de Gener. animal. c. 4.*) quando utrumq; semen prolificum maris scilicet & fœminæ in unum locum emissum, in uterum attrahitur, retinetur, & fovetur. Attractum autem & retentum esse constat, teste Hippocrate, si locus deinde exsiccetur, quod certissimum conceptus signum judicatur; si horror aliquis ob uteri contractionẽ simul incutiatur: quẽ tamen

Quid conceptio, & quãdo incipiat?

tamen ob impuritatem aliquam uteri nonnullæ minus experiuntur. Fovetur verò quando calore uteri ad munus suum obeundum exsuscitatur, & ad actionem deducitur. Exsuscitata facultate latente in semine incipit generatio propriè dicta, partiumquè delineatio & conformatio, quæ à nonnullis sub se comprehendit quinque tempora & gradus, nimirum ebullitionem sive spumificationem, primam seminis actionem, 2. partium delineationem, 3. delineationis repletionem, 4. carnificationem, tandem absolutam perfectamquè omnium conformationem. Galenus verò *1. de Semin.* hæc eadem opera generationis quatuor temporibus distinxit, sub quibus conceptionem simul comprehendere videtur. Primum opus γονὴ ab eo vocatur, dum species seminis in utero præpollet, tantumquè semen nonnihil coagulatum apparet. Secundum κύημα, quando nulla certa apparet delineatio, sed quasi massa informis. Tertium opus ἔμβρυον, in quo continetur delineatio. Quartum infans, in quo perfecta partium descriptio & conformatio animadvertitur, unde dignoscimus an puer, an puella, &c. & quod fœtus tum vitalis sit.

Ordo modusq; generationis.

Munus autem primum facultatis generatricis in semine, est ebullitio, nimirum ut in illa seminis materia, spiritus instrumentum facultatis alteratricis & formatricis consocientur, deindè ut hoc instrumento vi alteratricis facultatis partes illius materiæ συγγενεῖς consocientur; crassiores & inutiliores extra ad membranarum, quibus fœtus involvitur, generationem, puriores verò & spiritus magis participes intra ad fœtus ipsius constitutionem, atque hinc partium delineatio incipit. Membranæ tres sunt; una quæ fœtum immediatè involvit ἄμνιος; altera à mucronata cartilagine ad ilia usq;

cingit

cingit zonæ instar, quæ à farciminis figura ἀλλαντοειδὴς dicitur; tertia vasa umbilicalia fulcit, eorumquè interventu tota utero adhærescit, quæ quia circuli instar fœtum ambit, aut continet, χόριον vocatur. Dum autem ex puriore sanguine partes omnes adumbrantur, spiritus ille ad totius nutritionem & augmentationem, ac ad caloris contemperationem viam ad uterum, uteriquè vasa pro arteriis & venis umbilicalibus facit; quibus formatis per venas illas alimentum ex sanguine materno attrahitur, quo partes aliæ nutriuntur & augentur, aliæ affuso sanguine investiuntur; per arterias verò calidus spiritus foràs exit, & frigidus à matrice cum tenui sanguine & spiritu inspiratur. Nutritur enim & augetur fœtus maternus, sanguine ex acetabulis sive orificiis vasorum uteri, per venas & arterias umbilicales quæ chorio fulciuntur. Quare cibum per os non capit, neque prima aut secunda concoctione indiget, nec etiam alvum reddit; lotium tamen vehiculum sanguinis per οὔραχον in ἀλλαντοειδῆ deponit, ne fœtus lædatur, aut uterus ad excretionem irritetur, sudorem verò amnios excipit. In procreatione autem non solùm quatuor ministræ facultates subserviunt, sed etiam altrix & auctrix. Ac sine his quod jam in utero adumbratum est à facultate generatrice, perfici & conservari nequit. Dum enim in conformatione omnium partium alteratrix & formatrix sedulò incumbunt, altrix & auctrix actiones & opera sua conferunt.

Tempora generationis. Ab initio conceptionis ad septimum usque diem ebullitio spumificatioquè absolvitur, deindè partes adumbrantur & efformantur. Sed quemadmodum pictores rudioribus lineamentis imagines primum adumbrant, deindè vario pigmentorum genere illustrant & absolvũt; ita generatrix facultas

peracta

peracta spumificatione post sextum diem partes primum delineat; hinc lineamenta replet,& carnem gignit, tandemque perfectè singula efformat ad 30. aut 45.diem, quod longissimum formationis tempus à nonnullis putatur, quo fœtus vim vitalem exerit, & infans esse incipit, unde ad summum spumificationi sex dies tribuunt; Delineationi 4;delineationis repletioni 8; carnis generationi 14; Conformationi 13. alii tamen longissimum tempus formationis assignant diem 50. Atque hæc tota fœtus fabrica, temporibus quatuor à Galeno *1. de Semin. cap.9.* dividitur, ut supra dictum est. Post hanc partium formationem & constitutionem, reliquo tempore ad justam magnitudinem fœtum producit, dearticulata membra exsiccat & firmat, singulaque ordine absolvit. Sensoriis autem perfectis sentire incipit, deindè firmatis ossibus moveri, mas citius, ob caloris copiam, & ut plurimum tertio mense: fœmina tardius movetur, & plerumq; quarto mense. Nam nec formationis nec motus certum & definitum tempus est.

Tempus motus infantis in utero.

De Partu.

Tamdiu verò fœtus in utero nutritur & conservatur, quousque robur acquirat, & per os nutriri queat, ac majori loco, majoriquè aëris attractione indigeat;& tùm calcitrando membranas & involucra rumpit: deindè suo impetu dilatante se utero cum vicinis partibus, & matre viribus suis connitente, maximè naturaliter in caput deorsum ruit,& primum caput foràs prodit; deinde cætera membra sine periculo facilimè consequuntur. Aliæ figuræ partus periculo non carent;nam si pedibus primum exeat,periculum est, ne brachia disrumpantur, unde qui sic nascuntur à veteribus Agrippæ vocati sunt,quasi ægrè pariantur. Similiter si in manus exeat, aut obliquus partus fiat,matri & infanti varia pericula minatur.

Modus pariendi.

Homi-

CAP. IX. *Tempus partus naturalis & vitalis eiusquè diversitatis caussa.*

Homini præ cæteris animalibus incertum pariendi tempus datum est: nihilominus certum videtur tempus ultra quod partus naturalis non est, & ante quod vitalis esse non judicatur. Nam cum Hippocrate & Aristotele Galenus existimat, ante medietatem anni solaris, partum vitalem non esse. Si post hoc tempus fœtus satis robustus sit, septimo mense vitalem prodire; sin non, naturam in mensem nonum, aut decimum, aliquando ad initium undecimi retinere: sin octavo nascatur mori, (nisi in Ægypto, aliisquè paucis regionibus) quia septimo mense imbecillis redditur, ob conatum exeundi frustratum. Verùm maximè naturale tempus partus humani videtur, à decimoquinto die noni mensis, ad decimumquintum decimi, quo tempore plures nascuntur. An verò duodecimo mense infans naturaliter in lucem prodeat, dubitatur. Nonnulli ex tempore formationis tempus motus, & ex motus, tempus partus æstimant, ut scilicet tempus formationis, sit duplum motus, & tempus motus, triplum partus, quod Hippocrates 6. *Epidem.* innuere videtur. Verùm hinc non intelligitur, cur ante medietatem anni partus vitalis non sit, deindè cur qui septimo mense prodit, sit vitalis, qui octavo, non. Quare aliqui hujus rei rationem ab Astrologis petunt, qui primum mensem sub dominio Saturni, septimum sub Lunæ, nonum sub Jovis collocant, qui duo vires & vitam impertiunt. Præterea ex positu & motu Lunæ moram nati in utero æstimant. Mulieres ex numero purgationum intermissarum mensium numerum plerumque colligunt, & veteres qui in hanc considerationem diligenter incubuerunt, mensibus lunaribus synodicis usi sunt. Manifestum enim est, eundem mensem lunarem & purgationis muliebris, sed in partu, numerandi ratio à tempore conceptus inchoari debet quo-

quocunque die post purgationem ceperit. Nam aliæ pluribus, aliæ paucioribus diebus purgantur, & quædam citius, quædam tardius concipiunt; at septimestris partus mulieribus plerumque videtur cum sex menstrnis purgationibus caruerit, octimestris cum septem: nonimestris cum octo, &c. Si igitur mulier conceperit in medio mensis pro 162. diebus, octo horis, sex retentiones menstruorum numerabit. Quare mulieri fœtus septimestris videbitur, sed si tum nascatur, vitalis non erit, aut partus septimestris: quia perfectionem assecutus non est, nec assequetur, nisi edatur post medium mensis, in quo solebat mulier purgationes habere, exactis 20. diebus, complemẽto scilicet medietatis anni, & tamen revera medietas illa anni est quintus dies septimi mensis cum paucis horis. Ut Hip. *lib. de Septimest.* voluit. Pari modo ubi mulier 15. die post purgationem concepit; 266. die à conceptu, tempus novem purgationum præteriit, cum diebus 15. Quare si 280. die pariat, videbitur partus undecimestris, cum sit revera decimestris & 15. dies, 10. mensis. Unde illud Hippocratis *libr. de Octimestr.* decimestris & undecimestris partus ex septem quadragenariis eodem modo fiunt quo ex dimidio anno septimestres.

Accidentia consequẽtia generationẽ

Omnis partus secundum naturam est maris aut fœminæ, generis & speciei ejusdem. At præter naturam, errore formatricis, quatenus inordinatè movetur, & materiæ non ritè dominatur, aut ob materiæ excessum defectum vel motum, oritur monstrum, vel ex diversis naturæ partibus, vel cum partium excessu aut defectu, vel denique cum non naturali forma, situ, & connexione.

Præternaturalia ut mõstrum.

Mola.

Quod si post primam conceptionem nõ competens materia affluat, quæ primam delineationem perturbat, facultas licèt debilitata, suo tamen mu-

nere

nere aliquo modo fungens, cum nequit veram effigiem imprimere, præter naturam molam efformat.

Accidentia naturalia.

I. generatio gemellorum.

II. Superfœtatio.

At non præter naturam ob copiam & divisionem materiæ in utero accidit plurium eo tempore generatio; deinde ex peculiari uteri dispositione ad novum conceptum recipiendum, interdum, sed rarissimè superfœtatio.

III. Similitudo nati triplex.

I. speciei similitudo.

Postremò nati similitudo triplex dicitur, in specie, sexu & effigie. Similitudo speciei à facultate generatrice in semine propriè oritur, quæ tamen pro dispositione materiæ effectus interdum variat, ut ex supra dictis constat.

II. generatio maris & fœminæ.

Deindè sexus à vi movente ratione materiæ provenit. Est autem materia in generatione maris calidior sicciorquè, & virtus movendi efficacior. Nam quando principium movens, vi caloris materiæ dominatur, partes exactè perficiens, membra genitalia foràs excludit, unde oritur mas: at si non dominetur, defectum quendam committit, & ad perfectionem illam fœtum non perducit, sed membra genitalia intus relinquit, ac necessitate finis fœminam gignit, cum facultate appropriata.

III. Causa similitudinis in effigie & externis lineamẽtis.

Tertiò ad effigiem quod attinet, insunt in semine facultates, & gignentium, & majorum, quibus nati non solùm similes parentibus, sed etiam avis, proavis & atavis efficiuntur. Nam ubi motus facultatis illius, quæ conatur patri vel matri similem reddere natum, robustior est & prævalet, patrem aut matrem refert; sin languidior, exsolvitur interdum, & motus alterius introducitur, nimirum avi, proavi, aut atavi. Eadem quoque ratio partium in toto. Nam insunt & motus quoque partium, undè calvi calvos gignunt, & ob defectum, ex mancis manca aliquando proveniunt. Verùm si motus parentum aut majorum obliterentur aut

confundantur, fit ut nulli parentum aut majorum natus similis sit, sed alteri alicui interdum, quod à vigore imaginationis ipsius prægnantis evenire videtur, quæ spiritum & sanguinem quo nutritur fœtus, hac imaginatione signat, & movet, ac talē effigiem fœtui imprimit. Cæteræ verò diversitates in colore, duritie, mollitie, forma & similibus partim à materia & temperamento, partim à fœtus situ in utero, aut externo errore, ac à causis etiam superioribus proveniunt; Nam communissima harum omnium vicissitudinum causa à cœlo dependet, unde generationes rerum naturalium; quod pro diversa siderum constitutione nascentium corpora variè afficit, tantamquè nascentium dissimilitudinem affert. Porrò cum de matre fœtus in utero vivat, non solùm qua mater est valetudine, ea in utero vivit, sed etiam partium sanguinisquè materni vitia in natum plerumque transmittit, deindè quam à partium gignentium dispositione labem ipsum semen accepit, eam in fœtum quoque derivat. Unde ut bonorum paternorum & maternorum, ita quoque morborum hæredes nati fiunt.

DE FACULTATE VITALI ET FUNCTIONIBUS ei inservientibus.

Caput X.

Sub facultate naturali, Gal. *lib. de Differen. Symptom.* vitalem comprehendit, quæ θυμοειδὴς à Platone vocatur, cujus sedes est cor, fons caloris nativi, quod situm est in thorace, medio loco inter jecur & cerebrum, quēadmodum ipsa facultas media est inter concupiscibilem, quæ beluinis voluptatibus delectatur, & ratio-

tionalem, quæ divinis honestisquè studiis afficitur. Veteres in corpore humano duos solùm ventres numerarunt inferiorem & superiorem; *Hip. 7. Aph. 58.* & alibi teste Galeno: per ventrem superiorem thoracem intelligit, regionem vitalis facultatis, quæ à jugulis ad diaphragma & mucronatam cartilaginem extenditur. Hic venter ut inferior in partes continentes & contentas dividitur. Continẽtes autem communes sunt, cutis & nervosa membrana, sub quibus continentur mammæ glandulosa corpora; quæ incumbunt musculis, qui ad anteriora brachia movent; à posteriore parte sunt musculi, brachium retrorsum moventes, & thoracem dilatantes: Sequuntur costæ, quæ ab anteriore parte per cartilagines ossi pectoris copulãtur, à posteriore parte singulæ singulis vertebris thoracis. Intra costas sunt musculi, qui intercostales dicũtur, ut Laurentius arbitratur numero 64. quorum 32. pectoris dilatationi, totidem constrictioni inserviunt; hi unà cum costis utrinque membrana teguntur. Interior autem membrana, quæ Pleura dicitur, totam interiorem pectoris regionem investit, & ubi ad medium thoracis devenit, hinc inde duplicatur, & à spina ad sternum fertur inter jugulum & diaphragma, totum capacitatem thoracis in dextram & sinistram partem dirimens: unde Mediastinum dicitur. Ab inferiore parte thoracis est diaphragma, quod non solùm quasi rotundum quoddam septum discernit thoracem ab inferiore ventre; verùm etiam primarium instrumentum respirationis est, musculique naturam obtinens, Thoracem liberè dilatans & constringens, ac etiam fecium expulsioni opitulans: cujus musculi caput in medio est, quò tendunt omnes fibræ, & in quod inseruntur nervi à spina. Partes contentæ in thorace sunt, primum cor, deinde pulmo cum aspera arteria cœterisque vasis &

Sedes facultatis vitalis thorax.

Partes thoracis cõtinentes.

Partes contenta.

Cor.

œsophago. Cor autem vitalis facultatis domicilium est, fons vitæ, calorisquè nativi, quo languescente aut deficiente omnia languescunt, aut deficiunt, cujus etiam gratia conditi sunt pulmones, qui tanquam flabellum sunt, quo cordis calor refrigerari, & in sua naturali temperie conservari queat. Cor autem figuræ pyramidalis est instar nucis pineæ; cujus basis medium ferè thoracis occupat; mucro sensim ad sinistrum lat⁹ inclinat infra levam papillam. Deinde membrana crassa nerveaquè clauditur, quæ Pericardium dicitur, à quo interventu humoris aquei nonnihil distat, Præterea summis pulmonum fibris circumplicatur. Substantia ejus dura, densa, solidaquè est, triplici genere fibrarum intertexta; rectis, ut in diastole sanguis & cava in dextrum cordis ventriculum, & aër per arteriam venalem ex pulmonibus in sinistrum cordis vētriculum attraheretur: obliquis ut retinerentur: transversis ut in systole vitalis spiritus in Aortam; fuliginosa excrementa in arteriam venalem; & sanguis per arteriam venalem in pulmones expelleretur. Nam cor duos sinus sive ventriculos habet, dextrum & sinistrum: in quorum singulis orificia duorum vasorum implantātur. Nam in dextro sanguineoq; ventriculo, est orificium venæ cavæ, cui tria ostiola sive tres membranæ introrsum ductæ præficiuntur; & venæ arterialis, quæ tres habet membranas extrorsum spectantes. In sinistro sive arterioso sinu est orificium magnæ arteriæ cum tribus membranis extrorsum spectantibus; & arteriæ venalis cum duabus membranis introrsum vergentibus. In horum sinuum medio est septum crassum, sed multis foraminibus pervium, per quod transsudat sanguis ex dextro sinu in sinistrum, ubi cum spiritu attracto ex pulmonibus permiscetur, & in spiritum vitalem convertitur. Ad latera cujusque sinus appendices mem-

membranosæ sunt,quæ Auriculæ vocantur, ne vasa disrumpantur, & ut promptuaria sint sanguinis & aëris derepente irruentis, ne cor suffocetur. Cordi annex⁹ est pulmo gratia respirationis, qui reliquam thoracis cavitatem implet. Substantia ejus rara spõgiosa est prætenui membrana obducta, ut follium instar à spiritu attracto distendi, rursumque emisso spiritu contrahi queat. Dividitur à Mediastino in partem dextram & sinistram,earumq; singulæ vicissim in duos lobos. Per pulmones tria vasorum genera disseminantur,aspera arteria,arteria venalis, & vena arterialis. Aspera autem arteria, per quam spiritum attrahimus & emittimus à superiore parte,ubi œsophago incumbit, cartilaginea est, ut voci famularetur; ab inferiore parte membranea, ubi in dextram & sinistram partem pulmonis dividitur, deinde multiplici ramorum serie per substantiam pulmonis disseminatur. Pari ratione vena arterialis à dextro cordis sinu; & arteria venalis à sinistro per pulmonem distribuitur.Vena arterialis, ut sanguis in pulmonem deferatur gratia nutritionis. Arteria venalis, ut aër in pulmone alteratus ad sinistrum cordis sinum deducêretur, & fuliginosi vapores à corde ad pulmones per asperam arteriam expellerentur. Nam pulmo fuliginosos vapores per exspirationem à corde expellit, & insita substantiæ suæ proprietate aërem inspiratione attractum cordis usibus alterat & aptat, qui in sinistrum cordis ventriculum deductus, & halituoso sanguinis vapori permixtus, vi insita cordis in spiritum vitalem transmutatur, qui deinde per arteriam magnam in totum corpus distribuitur, ut supra capite de Spiritibus dictum est. Quare respirationis & pulsus idem usus est. His præmissis consequens est, ut primum de ipsa facultate vitali, ejusquè functionibus, deinde de respiratione

Pulmo.

Definitio facultatis vitalis. agamus. Definiri autem poterit facultas vitalis, vis animæ residens in cordis substantia, qua ex sanguine vaporoso cum aëre in sinistrum ejus sinum attracto spiritus vitalis, sanguisq; spirituosus generatur; qui deinde per arterias in totum corpus motu contractionis & distentionis distribuuntur, ut calor nativus in sua temperie conservetur. *Functio ejus præcipua vita.* Functio hujus facultatis prima & præcipua est vita, quæ ut docuit Arist. *lib. de vita & morte*, est participatio animæ in calore nativo. Nam vi caloris nativi facultates animæ in corpore conservantur, & functiones perficiuntur. Cum autem cor omnium maximè calido ingenito sit præditum, adeò ut fons & origo caloris nativi meritò dicatur, in quo maximè viget, tum quoad substantiam, tum quoad qualitatem & efficaciam, deinde omnes partes ejus refocillatione indigeant, idcircò natura cordi indidit facultatem generatricem caloris cujusdam nativi influentis. *Fūctiones requisitæ ad vitam conservādam.* Nam cor calore insito per pulsum & respirationem in sinistro suo sinu, spiritum simili vi & qualitate præditum gignit, & per arterias in omnes partes distribuit in eum finem, ut illarum insitus calor foveatur & conservetur, ac partes singulæ ad actiones suas perficiendas aptæ & idoneæ reddantur. Deinde ut flamma conclusa & aëre non ventilata marcescit; ita & calor noster nativus, qui flammæ instar continenter movetur, & depascit. Nam teste Hippoc. *lib. de natura pueri*, calidum omne frigido moderato nutritur, fovetur & conservatur. Quare pro eventilatione & conservatione caloris nativi primùm in corde, deinde in omnibus partibus necessaria est frigidi spiratio, quæ in animalibus, quorum calor ingenti veluti flamma exardescit, duplex est, una manifesta, qua spiritus sive aër per os, asperamquè arteriam intro forasquè fertur, quæ respiratio dicitur; altera insensibilis, qua aër per totum

cor-

corpus trahitur, & emittitur pulsu sive contractione, & dilatatione arteriarum, quæ διαπνοὴ, Latinis perspiratio aut transpiratio appellatur; hæc ab insita facultate cordis primùm promanat; illa cordi propriè quidem subservit, sed à virtute animali perficitur. Functiones vitalis facultatis tres Galenus enumerat, totidemq; facultates unde promanant, quarum prima & præcipua est spirituum vitalium generatio, à facultate vitali propriè dicta. Secunda priori tantum subservit pulsuum effectio, à vi pulsifica cordis; tertia cæteras consequitur, nimirum affectuum concitatio à facultate irascibili. De generatione spirituum vitalium capite de Spiritibus dictum est. Pulsus autem & respirationis usus communis est, similiquè modo perficiuntur. Nam finis utriusquè est conservatio caloris nativi in sua temperie, & spirituum vitalium generatio. Deinde utraquè functio ex motu dilatationis & cõtractionis componitur cum intermedia quiete. Præterea ut motus illi perficiantur, tria requiruntur; facultas movens; instrumenta, quæ moventur, & usus facultatum incitans. Verùm pulsus functio naturalis est, omnibus communis, quæ cor habent; respiratio potius animalis, aut partim animalis, partim naturalis illis tantum communis, quæ pulmonem habent, & quorum calor ingenti velut flamma exardescit. Definitur autem pulsus functio cordis & arteriarum, quæ cordi continuantur composita ex systole & diastole cum utriusque intermedia quiete, orta à facultate pulsifica cordis, ut spiritus vitalis generetur & distribuatur, & calor nativus in sua temperie conservetur. Facultas autem illa pulsifica comprehendit sub se vim attractricem, quâ cor dilatatur & impletur, dum per fibras rectas attrahit, deindè expultricem, quâ dum contrahitur per fibras transversas à se expellit; unde pulsus quoque

Fũctiones vitalis facultatis tres.

Pulsus & respiratio in quibus conveniant & differant.

Definitio pulsus.

Partes pulsus & quomodo perficiantur?

componitur ex motu contractionis & dilatationis, sive ex systole & diastole cum utriusque intermedia quiete, qualis inter contrarios motus intervenire solet, primum cordis, deinde arteriarum, quæ cordi continuantur. Per diastolen autem cor impletur, dum sanguinem ex vena cava in dextrum ventriculum attrahit, & aërem ex pulmonibus per arteriam venalem in sinistrum sinum deducit, ut spiritus vitalis generetur, & calor nativus eventiletur: per motum contractionis, sive systolen ex sinistro suo sinu cor, per arteriam magnam spiritum elaboratum in totum corpus transmittit, simulquè fuliginosas exspirationes, aëremque calidum ad pulmones per arteriam venalem expellit. Similiter ipsæ arteriæ per orificia, quæ in cute finiuntur motu illo dilatationis ex ambiente aëre aliquid attrahunt, & vicissim motu contractionis fuliginosa excrementa expellunt, quæ actio Διαπνοὴ vocatur, & respirationi correspondet, cujus ratione in animalibus totum corpus (teste Galeno *lib. de usu pulsuum*) confluxile & conspirabile redditur. Verùm illa animalia hac solâ contenta sunt, quæ languidum & debilem calorem habent. Ad hos motus perficiendos tria, ut diximus, requirũtur: Primum facultas pulsifica movens, quæ in corde primario residet, deinde instrumenta, quæ moventur, nimirùm primùm cor, deinde arteriæ, quæ facultatis impetum sequuntur: non enim cor dilatatur, quia repletur à sanguine & spiritu (ut nonnulli Philosophorum arbitrati sunt) sed repletur, quia à facultate insita dilatatur; tertium est usus, & necessitas facultatem ad agendũ impellens, nimirum spirituum animalium generatio, calorisq; nativi in sua tẽperie conservatio. Igitur prout spiritus augetur aut deficit, quem cor pulsu resarcire conatur, sive calor nativus à sua temperie recedit, aut à fuliginosis vaporibus & humoribus obruitur: Ita

Perspiratio Διαπνοὴ quomodo fit?

Ad pulsũ tria requisita.

Differentia pulsus

Ita vis pulsifica incitatur, ac instrumenta movet, ac illo vario motu varias pulsuum differentias excitat, de quibus in doctrina signorum dicetur. Tertia vis cordis Platoni & Galeno est irascibilis propriè dicta, undè procedunt Pathemata non omnia (nam cupiditatum, quæ ex cibi potusq;, & rei venereæ desiderio concitantur, ut cupediæ & libidinis, fons & fomes est jecur, sedes naturalis facultatis, cui inserviunt ventriculi & testes) sed quæ consistunt in vindictæ, laudis, & similium desiderio, ut ira, gaudium &c. vel contra, in mali alicujus, ut infamiæ, indigẽtiæ & similium, aversione & fuga, ut metus, mœsticia &c. Ut enim in libidine testes afficiuntur, ita in ira, dum animus injuria offensus, ultionis desiderio concitatur, spiritus in corde commoventur, & ad exteriora effunduntur: contrà in metu aversione mali instantis ad interiora refugiunt. Verùm quia affectus isti à cognitione oriuntur, & principia sunt mot⁹ volũtarii, de iis capite de facultate motiva dicem⁹. Respiratio licet vi facultatis animalis ope musculorũ perficiatur, tamen exquisitè animalis nõ est, sed partim etiam naturalis. Nam finis respirationis est gratia cordis, & initium aliquod motus ipsius est à corde & facultate quadam aëris attractrice & expultrice in pulmone, qui proximum instrumẽtum respirationis est, in quo perficitur aëris susceptio & emissio. Pulmo autẽ sua natura licet præditus sit facultate aliqua aëris attractrice & expultrice, tamen per se hunc motum absolvere non valet, sed ad motum tantum thoracis. Nam dum pulmo, qui cordi copulatur, urgentem necessitatem in corde præsentit, statim ipsius attractrix excitatur, ut aërem frigidum attrahat, deinde expultrix, ut fuliginosa excrementa expellat, non aliter ferè, quam in tussis generatione, sed cum hos motus perficere nequeat, facultas ani-

Vis irascibilis.

Respiratio.

malis incitata per musculos thoracem movet, & cum thorace pulmonem follium instar, qui dum unà cum thorace dilatatur aërem inspirando attrahit, dum contrahitur exspirando emittit. Quarè definiri poterit respiratio, functio partim animalis, partim naturalis ex inspiratione & exspiratione composita cum intermedia quiete, in qua pulmones à thorace dilatati aërem per os attrahunt, rursumque cum eodem constricti fuliginosos vapores excludunt gratia conservationis caloris nativi in corde & generatione spirituum vitalium. Componitur enim respiratio ut pulsus ex duplici contrario motu exspiratione scilicet & inspiratione cum intermedia quiete. Inspiratio autem oritur dum dilatato thorace, pulmo ut vacuo succedat, una dilatatur, extrinsecus per os nares & laringē aërem attrahens: Exspiratio verò dum depresso thorace pulmo unà contrahitur, aërem calidum, ac fuliginosos vapores per easdem vias excludens. Hi duo motus perpetua vicissitudine continuantur, quàmdiu homo vivit. Ex quibus apparet, ad respirationem tria concurrere, quorum primum vis animalis est per musculos thoracem movens, deinde instrumenta, quæ moventur, tertiò usus & necessitas facultatem ad movendum impellens. Instrumenta autem respirationis triplicia sunt, alia spiritum tantum vehunt, ut os, nares, aspera arteria, alia suscipiunt pulmones, cætera movent, ut thorax & musculi thoracem moventes, qui non semper eodem modo concurrunt ad respirationem. Nam respiratio duplex est; una libera; alia coacta & violenta. Pro libera respiratione perficienda sufficit septum transversum, cum quo concurrunt musculi abdominis, qui exspirationi potissimum serviunt: ad coactam, quæ cum vehementia fit præter septum transversum requiruntur musculi omnes

Definitio respirationis.

Partes respirationis

Tria requisita in respiratione.

Instrumẽta respirationis triplicia.

inter-

intercostales,ac urgente necessitate tandem musculi in simis scapularum.

DE ANIMALI FACULTATE ET DE SENSITIVA in genere.

CAPUT XI.

TRes esse primas animæ humanæ facultates, quibus juxta medicos totum animal regitur, & singulas sedes disjunctas habere, à quibus mediante spiritu vires in totam corpus distribuuntur in capitibus de anima & spiritibus demonstratum est. Cum autem de facultate naturali & vitali, omnibusque requisitis ad earum cognitionem superius dictum sit: restat nunc, ut de facultate animali agamus, qua animal constituitur, & à cæteris viventibus distinguitur. Sub facultate animali medici non solùm sentientem & moventem comprehendunt, quæ communes homini cum brutis, sed etiam intellectivam, quæ homini propria est: nam intellectus in homine cum sine imaginatione functiones suas exercere nequeat, & circa phantasmata sensuum occupata sit, nullumque proprium organum habeat, sed ibi subsistere intelligatur, ubi imaginatio: proinde Galenus facultatem sensitivam cum intellectiva conjungit, & sedem totius animalis facultatis in cerebro constituit. Nam cerebrum teste Galeno *3. de Plac.* duplex munus obtinet, ac duplici modo agit: uno per se quatenus organum est principum facultatum, & animalem spiritum gignit: alio in relatione ad aliud, quatenus instrumento spiritus animalis vis sensus & motus per nervos cæteris partibus dispensatur

tur & communicatur; atque hæ actiones priorum respectu subservientes dicuntur.

Definitio facultatis animalis. Quare facultas animalis secundum medicos est vis animæ residens primum in cerebro, quæ ab objecto ad agendum excitata mediante spiritu animali in cerebri ventriculis generantur, & per nervos ut organa sensus & motus distribuũtur, functionis principis facultatis, sensuum exteriorum, & motus voluntarii perficit gratia vitæ melioris, nimirum ut res objectas cognoscamus, quæ bona vidẽtur, persequamur & mala fugiamus. Sub functionibus principis facultatis comprehendit Galen. non solùm functiones sensus interioris, quæ ab Aristot. & Philosophis brutis attribuuntur, sed etiam mentis: cum tamen functiones mentis non sint animalib⁹ cõmunes, sed soli homini propriæ. Deinde mẽs per se corporis organo nõ utitur, sed phantasiæ adjuncta muneris sui functionem præstat, ut in capite de intellectiva facultate dicetur. Quare proprium domiciliũ non habet, sed à medicis ibi domicilium ejus statuitur, ubi sensus interioris. *Cõmunis s. functio animalis facultatis.* Fũctio autem facultatis animalis nulla videtur communior, quàm cognitio, concitatio nimirum facultatis animalis in cerebro, & propriè perceptio, aut dijudicatio rerum externarum per suas species. Nam sensitiva facultas primũ per species externarum rerum repræsentatas, in instrumentis sensuum exteriorum, deinde in cerebro functiones suas exerit, & vis intellectiva ex phantasmatibus illis notiones colligit, & per easdem species sub ratione boni vel mali, jucundi vel tristis, animal cum appetitu ad movendum insurgit. Nam sensus externi internos movent, & interni mentem, unde cognitiones nostræ principium constituunt sensus externi, interni medium, mens deniq; finem imponit. Id autem, quod vim animalem ad agendum excitat, est objectum, sive cognoscibile, & ut facultas *Obiectum* ani-

animalis triplex est sensitiva, intellectiva, appetitiva siveloco motiva: ita objecta tria erunt αἰσθητὸν, νοητὸν & ἐπιθυμητικὸν, ut alibi latius dicemus.

Sedes facultatis animalis.

Domicilium fons & origo facultatis animalis est cerebrum secundum substantiam, cui cæteræ partes inserviunt. Collocatum autem est cerebrum in suprema dignissimaq; parte corporis formã cavitatis calvariæ, quã occupat, planè referens; nisi in superficie, quæ multos gyros & anfractus obtinet.

Partes capitis continentes.

Deindè ab externis injuriis undiq; circumscriptum est osseo tegumento, calvaria, variisq; mẽbranis: Nam cerebrũ obvelant & distinguunt duæ membranæ, quarũ quæ cerebro proximè adhærescit, & in omnes illius exteriores revolutiones se implicat, tenuis Meninx vocatur, exterior verò crassa meninx; hæc calvariã succingit, fibrasq; per suturas ejus emittit, quæ calvariæ involucrũ cuti capitis subjectũ, quod Pericranium appellatur, constituunt.

Partes cerebri.

Ventriculi cerebri.

Deinde qua duplicatur, cerebrum dividit, primùm in partẽ anteriorẽ, quæ totius nomẽ retinet, & posteriorẽ decuplo ferè priore minorẽ, quod cerebellum nominatur; ac utrãq; vicissim in partẽ dextram & sinistram. Cerebrum 4. ventriculis donatum est, quorũ duo anteriores unus in dextra, alter in sinistra parte amplissimi sũt, formãq; lunæ falcatæ referunt, ac superiori sede tenui quadã substantiæ portione, ꝙ septum appellant, distinguuntur:

Duo anteriores ventriculi.

hi duo utrinq; secundum longitudinẽ cerebri ab anteriore parte ad mediã usq; procedũt; Deinde paululũ reflexi ad imam sedẽ detorquentur, ubi ab invicẽ septo nõ distinguuntur, sed sub corpore camerato fornicis instar, in communẽ sinũ coeunt,

Medius ventriculus.

qui medius aut tertius ventriculus vocatur; ac etiã uno insigni meatu rectà deorsum per substãtiã cerebri feruntur, in pelvim ex tenui mẽbrana instar infundibuli exstructam, quâ pituita à cerebro descẽdens glandi pituitariæ & ossi cuniforme instillatur,

&

& hinc per foramina ad nares & palatum defluit. Medius autem ventriculus per cerebri corpora natibus & teſtibus non abſimilia, propè glandulam, quam κωνάριον appellant, in quartum ſinum omnium minimum contendit, qui communis eſt cerebello & initio ſpinalis medullæ, ubi proceſſus vermiformis conſpicitur. In cavitate duorum anteriorum ventriculorum plexus eſt, arteriarum & venarum extimo fœtus involucro ſimilis ex ramis carotidarum conſcendentibus ſuffultis conario & teſtibus. In hoc plexu ſpiritus vitalis primùm præparatur, deinde in ventriculis cum aëre per nares attracto permiſcetur, & inſita cerebri proprietate in ſpiritum animalem tranſmutatur; quo cerebrum partim utitur ad proprias functiones perficiendas, partim tranſmittit per nervos, qui à baſi cerebri & ſpinali medulla exoriuntur ad organa ſpiritu animali indigentia. Nam nervi duplices ſunt; alii procedunt à baſe cerebri; alii à ſpinali medulla. Spinalis autem medulla cerebro continuatur, cerebriquè naturam imitatur, undè cerebrum oblongum cerebri appendix & pars vicaria à nonnullis vocatur, Conſtat enim ut ipſum cerebrum ſubſtantia medullari, Deinde duplici membrana à pia & dura matre: Eodem modo ipſi quoque nervi naturam principii ſui referunt, & ex iiſdem partibus componuntur; ac per paria à baſe cerebri & ſpinali medulla oriuntur. Verùm qui à cerebro molliores, & ad ſenſum aptiores ſunt, qui à ſpinali medulla, duriores, & ad validos motus magis idonei. Paria autem nervorum, quæ à baſe cerebri oriuntur, ſunt ſeptē, quorum primum in oculos derivatur nervi optici; ſecundum in muſculos oculorum; tertium in linguæ ſuperficiem; quartum in palatum; quintum in organa auditus; ſexti paris nervi multiplici ramorum ſerie ad viſcera in medio imoquè ventre diſtri-

Quartus ventriculus.

Plexus choroides.

Generatio ſpirituum animaliū.

Spinalis medulla.

Nervorū ſtructura.

Paria nervorum cerebri.

distribuuntur, qui ubi aliquantulum in ſpatium thoracis proceſſerunt, ramulos retorquent ad laringis muſculos, qui recurrentes ob id vocantur; ſeptimi paris nervi in linguæ & laringis muſculos potiſſimum diſſeminantur. A ſpinali medulla per vertebras in cæteras corporis partes triginta conjugationes nervorum procedunt, nimirũ ſeptẽ cervicis, duodecim thoracis, quinque lumborum, ſex oſſis ſacri: qui diſtributi in muſculos motui voluntario ſerviunt, in cutem ſenſum tactus communicant. Nam authore Galeno 5. *de Vſu part.* in diſtributione nervorum, ipſi naturæ tres ſcopi extiterunt; primus quidem ut ſenſoriis organis ſenſum; deinde ut motoriis motum impertiret; tertiò, ut omnibus aliis facultatem daret, quâ ſibi infeſta dignoſcerent. Accommodat enim natura interioribus cerebri motionibus exteriora quædam ſubſervientia organa, quibus facultas interior mediantibus nervis ſe adjungit, ipſaquè viciſſim organa, pro varia ſua conſtitutione, varias functiones & ſervitia præbent, & aut id exequuntur, quod interior facultas requirit, aut ejus internuncii ſolum ſunt. Exequuntur autem inſtrumenta motus; muſculi & articuli. Internuncii verò ſunt quinque ſenſus exteriores. De ſingulis in ſpecie agemus, & nunc de facultate ſenſitiva primùm in genere, deinde in ſpecie de ſenſibus exterioribus, & ſenſu communi, ſive primo ſecundum medicos. In ſequenti verò capite de cæteris functionibus animalibus.

Paria nervorū ſpinalis medullæ.

Senſitiva facultas animal propriè conſtituit, & omnibus animalibus ſtatim ab ortu ineſt, licèt ipſius actus non omnibus neque ſemper inſit: ſed tum demum, quando ab objecto excitatur, quo nomine à vegetativa facultate diſtinguitur; nam facultas hæc ſe habet ut intellectiva & habitus ſcientiæ. Verùm ut intellectiva ſine inſtrumento corporeo

De facultate ſenſitiva.

non

non operatur, nec ut habitus ſcientiæ quandocunque lubet in actum deducitur, ſed tùm demùm quando ab objecto excitatur, & quod potentia ſenſus eſt, actu efficitur. Proinde ſenſitiva facultas definiri poterit, vis animæ reſidens primum in cerebro, deinde mediantibus nervis in organis quinque ſenſuum exteriorum à natura in eum uſum conſtructis, ut externarum rerum per medium delatarum cognitionem percipere queamus.

Definitio ſenſitivæ facultatis

Munus facultatis ſenſitivæ.

Senſatio 4 requirit.

Cognitio igitur illa proprium munus facultatis ſenſitivæ eſt, & αἴσθημα ſive ſenſatio dicitur; quatuorq; requirit. 1. αἰσθητικὸν vim ſentiendi, quæ quatenus eſt λόγος & potentia organum informans αἴσθησις ſenſus ſcilicet vocatur. 2. αἰσθητήριον, organum benè diſpoſitum, in quo ſubſiſtit illa vis, & per quod fit ſenſatio. 3. αἰσθητὸν ſenſibile, obiectum ſcilicet ſive res externa quæ ſentitur, & ipſum ſenſum in actum deducit. 4. Intermedium inter ſenſile, & organum, propriè in ſenſibus externis.

Facultas ſenſitiva & inſtrumentum ſenſitivũ duplex.

Vis ſentiendi ut ex dictis conſtat ab anima promanat, & à cerebro primariò recipitur, ubi velut in propria ſede & domicilio ſubſiſtit, á quo beneficio ſpiritus animalis, per nervos delati, aliis partibus, vim ſenſus & motus impertit. Quare αἰσθητήριον commune erit cerebrum, particularia verò quinque ſunt, ut infra apparebit.

Senſibile.

Res externæ quæ ſentiuntur, quia corporeæ ſunt, naturam habentes à cognitione remotam, per ſe à facultate cognoſci nequeunt, ſed per ſpecies & imagines ſuas, quibus in ipſo ſenſus inſtrumento, quæ extra ſunt objecta repræſentantur & recipiuntur, atque ita à facultate ſentiendi judicantur.

Senſatio quomodo fiat?

Nam in ſenſatione duo ſunt: primùm repræſentatio, qua ſpecies oblata in ſenſu recipitur & retinetur, deinde rei perceptio ſive ſpeciei illius dijudica-

dicatio. Receptio autem fit perpessione aliqua organi sensitivi à specie rei objectæ. Perceptio sive dijudicatio speciei fit in cerebro primo sensorio, licèt à parte instrumentaria initium habeat, unde Hippocr. qui parte aliqua dolent, & dolorem non sentiunt, iis mens sive sensus interior & cerebrum laborat. Deferuntur autem species sive imagines ad organa sensuum exteriorum per medium, & ut sensatio ritè fiat, quilibet sensus suum peculiare habet medium, externum aut internum, quo ad organum sensitivum imagines deferuntur, ut in specie infrà dicemus. Sensatio autem receptione & perpessione aliqua organi sensitivi ab objecto fit, quæ quidem perpessio ejusmodi non est, ut contrarium habitum tollat, sed ut facultatem in organo perficiat; nam facultas sentiendi ab objecto in actum semper deduci debet, alioquin potentia solum sensus erit.

Differentia sensibilium.

Sensibilia sive objecta quæ sentiuntur, unius generis non sunt, nam alia per se sensibilia sunt, alia per accidens. Per se sensibilia sunt, quæ nullo alio sensili interveniente percipiuntur: Horum alia propria uni sensui sunt, quæ uno solo sensu cõprehenduntur, & in quibus percipiendis, sensum aptè dispositum ad suum objectum errare non contingit: qualia quinque sunt, color, sonus, odor, sapor, & tactiles qualitates. Alia communia sensilia dicuntur, quæ non uno solum sensu, sed aut pluribus, aut omnibus percipiuntur, & circa quæ sentientem errare contingit. Ejusmodi sunt quinque quoque: Motus, quies, numerus, magnitudo, figura. Per accidens sensilia sunt, quæ interveniente aliquo per se sensili, sentiuntur, & ut cognoscantur interiori aliqua facultate, sensu nimirum communi, indigent, ubi recipiuntur & determinantur objecta exteriorum sensuum. Nam sensus

Sensus duplex, interior cõmunis. Et exteriores quinq;

duplices sunt philosophis: Interiores & exteriores: Interiores causa exteriorum sunt, & resident in cerebro, ubi etiam finiuntur externi sensus, ut alibi dicemus. Sensus autem exteriores internuncii interiorum tot sunt, quot propria objecta, quibus definiuntur, nimirum quinque: Visus, auditus, olfactus, gustus, tactus.

Requisita in sensibus exterioribus.

Nam ab objectis sensus exteriores in actum deducuntur sive sentiunt, & ut perfectè sentiant quatuor illa supra dicta requirũtur. Præterea omnibus sensibus hæc communia sunt. Primò, ut objecti speciem sine materia percipiant: Deindè, ut sensatio non emissione, sed receptione speciei solum fiat. Tertiò, cum sensus potentia & λόγος sit, sensorium informans, & ad sentiendum aptum reddens, ut inter sensile & sensum proportio quædam sit. Nam excellens objectum, quod vehementius organum sensitivum movet, quàm sensus ratio patitur, ipsum organum corrumpit, aut depravatam sensationem sive dolorem in sensu efficit. His præmissis de singulis sensibus exterioribus ordine agemus.

DE SENSIBUS EXTERIORIBUS.

CAPUT XII.

De sensu visus. Quid visus & visio?

PErfectissimus sensuum est visus, vis animi residens primò in crystallino oculi, qua species rerum visibilium, nimirùm coloris & lucis delatarum per medium diaphanum percipimus, in eum finem, ut varias rerum differentias cognoscamus. Igitur ejus propria functio, nimirùm visio aut inspectio, erit cognitio rerũ visibilium delatarum per medium diaphanum ad crystallinum. Instrumentũ autem adæquatum visus

Organum visus.

est

est oculus, qui à cerebro facultatem per nervos opticos suscipit: pars instrumentaria humor crystallinus oculi, natura sua pellucidus, aptus ad colorem & lucem recipiendum, cui inserviunt cæteræ partes: primò duo humores, aqueus ab anteriore parte crystallini situs, vitreus à posteriore parte; Deinde tunicæ sive membranæ sex, quarum tres præcipuæ sunt, prima extremaque est adnata, orta à Pericranio; secundo cornea à dura meninge; tertia uvea à tenui meninge; in cujus anteriori parte est iridis foramen, & pupillæ initium, cæteræ tres membranæ humores continẽt & distinguunt. Præterea sex musculi oculum moventes, quatuor in rectum, duo in obliquum, quibus inseritur nervis secundi paris; tandem quæ oculos ab externis injuriis defendunt, ut palpebræ, cilia, supercilia &c.

Medium. Medium per quod fit visio est perspicuum sive diaphanon, quale est aër, aqua, cœlũ, vitrum & similia, quæ omnia cõmuni nomine diaphana dicũtur, quia à lumine illustrari possunt. Verũ corpora, quæ lumen recipiunt, & species triplicia sunt: alia purè propriéq; diaphana, quæ species & lumen transmittũt. Alia propriè emphana, ut specula, quæ recipiunt & non transmittunt. Alia partim diaphana, partim emphana, quæ species aliquatenus transmittunt, refrangunt. *Obiectum* Objectum visus, est quicquid cerni potest. Cernitur autem color & lux, & quod colore & lumine non penitus vacat, qualia sunt, quæ in tenebris suo fulgore micant; sed interdiu obscurantur. Color autem, ut objectum visus est, propriè in extremitate corporis opaci est, & sine lumine non cernitur, sed in perspicuo actu lumine illustrato, per quod ad oculos defertur. Est enim lumen actus perspicui, quatenꝰ perspicuum, proveniens à primo actu lucis: Et perspicuum vicissim est, quod vicissitudini luminis & tenebrarũ obnoxiũ est. Lux verò

actu primò cœlestibus corporibus, igni & similibus inest, cujus in perspicuo præsentia lumen dicitur, absentia verò tenebræ. Illuminatio verò pellucidi, & coloris perceptio in momento fit, specie objecti in oculos recepta. Quare lumen mediam sortitur naturam inter qualitates purè materiales, quales sunt sapores, & purè spirituales, ut sunt imagines colorum repræsentatæ in diaphano.

De coloribus. Lumen in diaphano per se visibile non est, sed ratione terminationis in superficie corporis definiti, quæ nihil aliud videtur, quàm color. Verùm coloris nomen interdum latè sumitur, interdum propriè; communiter enim omnia colorata vocantur quæcunque aspectabilia. Sic diaphana licèt interminata, & potissimum quæ variant speciem, colorata aliquando dicuntur, & multi colores oculis apparent, qui revera in superficie corporis definiti non sunt, sed ex refractione radiorum solis, aut luminis oriuntur, quales sunt colores iridis, & similium apparentium in cœlo, colores oculorum, maris &c. Propriè verò & reipsa color est in corpore definito, & ita ad corpus definitum quodammodo se habet, ut lumen ad diaphanum. Nam lumen quasi color diaphani est, & color quasi lux aut fulgur per medium actu perspicuum ad oculos collustrans. Verùm color non est qualitas ut cæteræ mixtorum, quæ immediatè oriuntur ex temperamento quatuor primarum qualitatũ, sed proximè ex commistione lucidi sive diaphani & opaci, habens per se actum, sed incompletum, & ab externo lumine perficiendum, ut actu conspici queat. Quare color erit qualitas visibilis in superficie corporis definiti, qua ab actu pellucido tangitur, orta ex commistione lucis & opaci.

Differẽtia colorum. Differentiæ autem colorum ex proportione mixtionis opaci & lucidi oriuntur, & externi duo

sunt,

ſunt, albus, qui habitui comparatur, in quo lucis plurimum, unde viſum diſgregat, & niger, qui privationis lucis aut tenebrarum rationem habet, quia in eo prævalet opacum, cujus ratione viſum vehementer congregat. Intermedii colores plurimi ſunt, & quinque præcipui, quorum rubeus medius propemodum videtur ex æquali ferè portione lucis & opaci: cæteri à medio ad alterum extremorum nonnihil declinant, & ad album flavus, ad nigrum ceruleus, viridis & purpureus. Cum autem in omni ſenſatione non ſolùm requiratur paſſio & repræſentatio, ſed etiam perceptio, ſive rei dijudicatio; in viſione quatuor potiſſimùm conſideranda erunt. 1. An fiat receptione. 2. ſi receptione alicujus rei, quid illud ſit quod recipitur. 3. quomodo recipitur, id eſt, ubi & quando. Tandem poſt receptionem, qua ratione ſpecies recepta percipiatur & dijudicetur. De modo viſionis triplex eſt opinio, una Platonis & opticorum, fieri emiſſione alicujus ab oculo ad rem viſibilem pertingentis, ut radiorum luminis &c. altera Ariſtotelis, nuda receptione ſpeciei in oculum. Tertia Galeni, *lib. 6. de Placit. c. 6. &* 7. & alibi, partim receptione, partim emiſſione fieri. Statuit enim Galenus ad viſionem quatuor concurrere. 1. emiſſionem ſpiritus ſive radii ad objectum. 2. lumen externum. 3. conjunctionem luminis externi cum interno oculi, ut ſuſcipiat viſibile, nam arbitratur, aërem illuminatum fieri cognatum inſtrumentum oculi, ſi ſupervenerit lux in ſpiritu animali, à ſpiritu autem partim exeunte, partim contento radium defluere, qui illuſtrat aërem ambientem, ſed aëri non commiſceatur, unde concludit, aërem ambientem tale inſtrumentum fieri quo tẽpore videmus, quale in corpore eſt perpetuo nervus. Dicitur autem lux in ſpiritu ad differentiam radii & luminis, quæ paſſiones ſunt corporis lucidi,

De modo viſionis.

nam lux propriè est in corpore lucido, radius ab hoc emittitur, lumen in diaphano consideratur. Verùm qua ratione porrigatur visus, ut suscipiat visibile non demonstratur à Galeno, tantum vult aërem illustratum utroque lumine, quasi partem oculi esse, & in aëre ita continuatam speciem recipi in oculum. Quare subjungit, aërem ab oculo ita procedere, ut nervus ab oculo, & simul laudat Aristotelem dicentem, species visibiles ad oculum defluere. Hoc modo videtur Galeno Aristoteles cum Platonicis conciliari, verùm nos rationibus edocti cum Aristotele credimus, ab oculo ad rem visibilem nihil emitti, quod visioni inserviat, non lumen aut radium, aut aliud quidquam, sed sola receptione speciei visionem fieri. Nā aër & oculus diaphana sunt, & naturaliter lumen recipiunt, & à lumine moventur, color autem aut lux non sine lumine. Ergò ubi præsens fuerit color ipsi oculo, oculum movebit. Id autem quod recipitur movens oculum, est species aut imago recepta, primùm in medio actu diaphano ob præsentiam corporis luminosi, deinde in oculo ubi repræsentatur, id est, dum recipitur, reflectitur & retinetur, unde præsente corpore colorato & lumine, sine diaphani mutatione statim species recipitur & repræsentatur. De loco autem ubi recipitur non consentiunt authores, nec sibi ipsi Galen. Nam *10. de usu part. c. 1.* ponitur crystallinus humor, quoniam coloribus alteratur, quæ alteratio ad cerebrum usq; pertingit. Verùm *11. de usu part. c. 14.* arbitratur speciem recipi in incruciatione nervorum opticorum, & hanc causam esse cur duobus oculis una species videatur. Aliqui in aranea tunica istam receptionem fieri volunt; Averrhoës in aranea & crystallino. Verùm cum in repræsentatione tria sint, receptio, refractio, & retentio, & triplicia illa corpora in oculo, quæ speciem recipiunt, erit receptio

ceptio speciei in crystallino, retentio in aranea, quæ quasi superficies crystallini est, refractio in tunicis post crystallinum, unde per spiritum animalem ad nervos opticos & cerebrum deducitur. In qua commotione facultatis oculi & spirituum in cerebro fit perceptio, sive speciei dijudicatio, incruciatione nervorum opticorum, & in cerebro primo sensorio; atque hoc modo perficitur visio.

De auditu.

Secundo, auditus est sensus, quo sonos per medium extrinsecum ad aures delatos percipimus, & auditio, cognitio sonorum delatorum per medium extrinsecum ad auditorios meatus, facta à facultate audiendi, dum aër congenitus in auribus ab externo aëre membranas feriente, triaq; ossicula impellẽte commotus, sonorum species recipit, & ad auditorios nervos, & hinc ad cerebrum transmittit. Ut in visione, ita in auditione tria requiruntur, objectum, subjectum & medium. Objectum est sonus qualitas aëris refracti ex collisione corporum durorum, solidorumq;, continua successione ad aures delati. Corpora sonum vehementissimum excitantia sunt solida, duraq;: excitant autem sonum, quando invicem collisa aërem intermedium verberant, aut quia aër cum impetu ad solida illa corpora colliditur & verberatur: aër verò verberatus impulsiones ad undarum speciem patitur. Ut enim si in aquam lapidem injeceris, circuli oriuntur, quorum unus alterum excitat; ita in sono ex aëris percussione quasi circulus in aëre generatur, qui continua successione ad aures defertur, unde sonus unda vocalis ab Avicenna vocatur. Sonus autem iste, dum hoc modo per medium fertur, si in solidum semel atq; iterum impegerit, & ultro citroq; commeaverit aut resilierit, toties sonum illum ingeminabit, quæ geminatio Echo propriè appellatur. Sonorum autem præcipuæ differentiæ sumuntur à modo,

Objectum auditus sonus.

quo auditu afficiunt, unde ſonus omnis eſt magnus aut parvus; gravis aut acutus; aſper aut lenis, &c. Peculiariter ſonus, qui de inſtrumentis reſpirationis attollitur, vox appellatur; & vox articulata ex inſtituto aliquid ſignificans, ſermo ſive loquela. Nam materia vocis eſt aër ſive ſpirit9, quam ex pulmone per aſperam arteriam, & os emittimus non ſimplici exſpiratione, quandò ſenſim ſpiritus effertur motu diaphragmatis; nec per ſimplicem exuffla tionem, quando affatim foris effertur per actionem muſculorum intercoſtalium, neque per ſolam exufflationem ſtrepentem motu muſculorum in faucibus, ſed peculiariter motu muſculorum, laryngem claudentium & aperientium, quo ſpiritus affatim erumpens ad caput aſperæ arteriæ variè colliditur & verberatur: Nam quinque ſunt, quæ ſeſe mutuò conſequũtur, exſpiratio ſimplex exufflatio, ſtrepens exufflatio, vox & loquela. Inſtrumentum igitur vocis erit larynx, ſive caput aſperæ arteriæ ex cartilaginibus compoſitum, quæ aëri facilè reſiſtunt, eumquè reverberant, præcipuè verò epiglottis, quæ rimæ laringis incumbit, quia impetum aëris erumpentis moderatur, dum per muſculos laryngem claudentes & aperientes via nunc latior, nunc anguſtior redditur; in quos muſculos nervi recurrentes diſtribuuntur, qui facultatem à cerebro communicant. Proximum inſtrumentum loquelæ ſive ſermonis, eſt lingua, quæ vocem moderatur, & articulatim diſtinguit, cui muneri ſerviunt quoque palatum, dentes, nares, gurgulio & labia. Natura autem linguam in varios uſus conſtruxit; Nam proprium eſt tàm guſtatus, quàm vocis articulatæ, ſive ſermonis organum; præterea maſticationi & deglutioni ciborum inſervit: componitur enim ex carne molli, rara, ſpongioſa, membrana tenuiſſima tecta, quæ palato & ori communis eſt, per quam diſſe-

De voce & loquela. *Inſtrumẽta vocis.* *Inſtrumẽtum loquelæ.* *Lingua cõpoſitio & uſus.*

disseminantur nervi tertii & quarti paris, quibus saporum discrimina dignoscuntur: Deinde musculos novem habet, qui nervos à septimo pari suscipiunt, quorum beneficio lingua in omnem partem movetur, & ob varios motus vocem articulatim distinguit, ac etiam dum dentes cibum atterunt, ab uno latere in aliud volvit, & ad gulam tandem detrudit. Ex quibus apparet, aliam coloris quam soni rationem esse, nam color subjectivè est in corporibus coloratis, & in medio tantum repræsentativè sive species & imago tantum coloris: At sonus non est subjectivè in corporibus illis sonoris, sed propriè in medio scilicet in aëre vel in aqua, atque eodem modo recipitur species ipsius, quæ defertur ad aures, ut fiat auditus. *Medium.*

Ad instrumentum auditus quod attinet, duo sunt, aures, ut oculi in homine, ob sensus necessitatem & dignitatem, ex diversis partibus, quarum aliæ externæ sunt, ut auriculæ, quæ irruentis aëris sonum excipiunt, aliæ internæ in osse petroso, ubi antri modo excavatur, quæ quatuor sinibus cõstat, quorum primus semper patet foris obvius, & à secundo membranâ separatur, ortâ à dura meninge, quæ tympanum dicitur. In secundo sinu, qui pelvis dicitur, continetur aër congenitus, in quo repræsentantur soni. Deinde tria ossicula pulsationi inservientia, Malleus, Incus, Stapes, quæ tympano implicantur chordæ beneficio, unâ cum exiguis musculis. Hinc sequitur tertius meatus, labyrinthus dictus, ne soni repræsentati dissipentur, ac tandem ultimus extremæ cochleæ instar, intima auris pars, ubi nervus auditorius dilatatur, qui sonos ad cerebrum defert. Hanc extremitatem auris ubi dilatatur nervus, Galenus statuit partem instrumentariam sive primarium organum auditus, Aristoteles autem aërem illum congenitum in secunda cavitate. *Organa auditus.*

Verùm cum in auditione, ficut in vifione duo fint. 1. fpecierum receptio, 2. dijudicatio, ut in oculis, ita in auribus pars primaria erit in qua fpecies recipitur & repræfentatur, nimirùm aër congenitus. Nam in auditione, dum aër externus foni qualitate imbutus per meatum foris obvium membranæ allidi tur, membrana percuffa tria officula impellit, & fimilem foni fpeciem, aëri congenito imprimit. Deinde ad interiorem meatum fpecies defertur, & nervum auditorium, & tandem ad cerebrum ubi dijudicatur.

De olfactu.

Quid olfactus?

Tertiò, olfactus eft fenfus odores, per medium externum, ad fuum inftrumentum delatos percipiens. Et odoratio eft cognitio odorum in rebus exiftentium per medium extrinfecum facta à facultate odorandi, in ea cerebri parte, quæ ad nafi fumma pertingit.

Obiectum fapor.

Objectum olfactus propriè non eft corpus, ut Avicenna aliiquè voluerunt, nec exhalatio fumofa, licèt cum exhalatione aliqua à corporibus odoratis fpecies per medium ad olfactum deferatur, fed qualitas realis in corporibus odoratis, ex ficco concocto per vim caloris in humido, five affectio ficci fapidi in humido. Hæc qualitas per quandam quafi refolutionem aëri aut aquæ communicata, ad organum olfactus defertur, & quia eft affectio quædam ficcitatis in humido, proinde nominibus faporum, odorum differentiæ plerumq; exprimuntur, (licèt odor fit rei ficcæ, fapor verò humidæ) cum hic fenfus in homine fit obtufiffimus, & nihil propriè olfaciat, fine fenfu voluptatis & doloris.

Medium.

Medium autẽ per quod defertur fpecies in iis, quæ refpirant, eft aër, in pifcibus aqua, quare inftrumentum in omnibus eodem modo fe nõ habet. Nã in pifcibus extra prominet, in iis qui attracto fpiritu olfaciunt, intra nares fubfiftit, nimirum ut opinatur

Gal.

Gal. duo processus nervo non absimiles, qui ab interioribus cerebri vẽtriculis mammillarum ritu exuberant, quanquam ad alterandum aërem, & recipiendam speciem conferat non tantum os spongiosum, sed etiam imprimis anfractus nasi interioris, qui mẽbranâ exquisiti sensus investiuntur, & vapores continent maximè idoneos ad odores suscipiendos. Hi tres jam dicti sensus per medium externum res objectas cõprehendunt, ac objecti species sine materia medium afficiunt: Verũ in gustu & tactu secus evenit: nã gustus quemadmodũ & tactus sine medio externo sentit, nã sapor propriè objectum gustus linguam non afficit, nec gustum movet, nisi in humido sit, aut cũ humido permisceatur, unde lingua arida sapores non rectè percipit. Quare gust⁹ erit sensus, quo sapores mediante humido interno, instrumẽto linguæ & cæterarũ partium oris percipim⁹: & gustatio ejus functio, est cognitio saporũ per facultatem gustandi, instrumento linguæ, & cæterarũ partium oris, ut nutrimenta utilia ab inutilib⁹ discernamus. *De gustu.* *Quid gustus?*

Instrumentũ autem præcipuum gustus est lingua, beneficio nervi à tertio pari, deinde cæteræ oris partes, ut palatũ, labia, fauces, quæ à quarto pari nervos suscipiunt, unde hic sensus nutritionis gratia animalibus potissimum tributus est. Nam in nutrimento tria sunt, humor vehiculũ nutrimenti, deinde siccum, quod nutrit, tertiò sapor condimentum, qualitas scilicet orta ex sicco terreo diluto aqueo humore, quæ gustum in actum perducit. *Organum gustus.* *Obiectum* *Sapor quid?*

Saporum species Aristoteles septem enumerat, quorum duo extremi ab eo dicuntur, dulcis scilicet, qui gustum jucundè afficit, & amarus, qui molestiam excitat, unde dulcis sapor naturæ familiaris est, & quicquid nutrit, ex genere dulcium putatur, quod latè patet, contraria ratio est amari. Reliqui sapores quinq; intermedii nuncupantur, nimirum *Differẽtia saporum.*

ſalſus, acris, auſterus, acidus, acerbus. Verùm Platoni extremi ſapores ſunt auſterus, qui linguam maximè contrahit, & amarus, qui maximè abſtergit. Addunt his medici ſaporem pinguem, qui ſub dulci plerumque continetur, & nonnulli (propter differentias medicamentorum) inſipidum, qui ſapor non eſt, ſed ſapido opponitur. Oriuntur hi ſapores in mixtione, per actionem primarium qualitatum, pro varia materiæ diſpoſitione; proinde à medicis ſecundum qualitatis & materiæ modum diſtinguitur, ut latius dicemus in capite de Facult. medicament.

De tactu.

Tandem omnium ſenſuum externorum communiſſimus eſt tactus, omni animali communis facultas, nimirùm animæ per totum corpus diffuſa, qua tactilium qualitatum cognitionem, inſtrumento ex nervis contexto percipimus, ut rerum temperamenta & ſimilia, ex ſimilibus diſcernamus. Objectum hujus facultatis ſunt tactiles qualitates, quæ non una contrarietate continentur, ſed pluribus; quarum aliæ primæ ſunt, ut caliditas & frigiditas, humiditas & ſiccitas; aliæ ſecundæ ex primis ortæ, nimirùm durities & mollities, aſperitas, levitas, craſſities, tenuitas &c. de quibus agemus in capite de Facult. medicamentorum.

Obiectum tactiles qualitates

Organum tactus.

Deinde tactus, ut cæteri ſenſus, in una ſola parte non reſidet, ſed per totum corpus diffunditur, cujus αἰσθητήριον conſtituunt nervi à cerebro & ſpinali medulla in omnes partes diſperſi, peculiariter in membranas: cutis autem membranis annumerari poterit externi tactus præcipuum organum, cujus adminiculo accuratè & diſtinctè qualitates tactiles percipimus. Medium, per quod exactè ſentimus qualitates tactiles eſt connatum ipſi cuti, nimirùm cuticula, & licèt ablata cuticula cutis ſentiat, & nervi denudati vehementiſſimè doleant, tamen

Medium.

men non naturaliter, ſed depravatè à qualitatibus afficiuntur, eaſquè diſtinctè & accuratè non percipiunt. Verùm tactus ille, qui omnes qualitates tactiles accuratiſſimè percipit, in organo temperatiſſimo eſſe debet, qualis in homine eſt cutis interior manuum, quæ exquiſitiſſimè tactiles qualitates judicat. Proinde hoc ſenſu homo, quia temperatiſſimus, cætera animalia vincit. Tot ſunt exteriores ſenſus, & non plures, quibus ſenſibilia propria & communia primùm percipiuntur, & judicio ſenſus interioris ſubmittuntur. Quemadmodum autem in ipſis animæ facultatibus perfectiores ab imperfectioribus non ſeparantur, ſed contra imperfectiores ſine perfectioribus reperiuntur, ita in his quinque ſenſibus evenit: Nam primò ſolus tactus omnibus animalibus neceſſarius eſt, ſed in iis quæ terræ affixa ſunt, & ζωόφυτα dicuntur, ſine cæteris ſenſibus reperitur. Quibuſdam ſenſus guſtus tactui adjunctus eſt: aliquibus olfactus ſine viſu & auditu: & nonnullis (ut talpis) auditus ſine viſu ineſt. Illa verò animalia, quæ pluribus ſenſibus prædita ſunt, perfectiora ſemper judicantur. Deinde quo ſenſus aliquis tenuior eſt, eò perfectior; quò verò craſſior, eò imperfectior, minuſquè ſeparabilis, ſed magis neceſſarius; Omnium autem craſſiſſimus eſt tactus, hinc guſtus, poſt olfactus, tenuiſſimus verò eſt viſus, deinde auditus. Corrumpit, triſtemquè ſenſationem ſine dolorem in quovis ſenſu efficit excellens objectum, ut ſupra dictum eſt, quatenus ſubitò & affatim ſenſorium alterat & immutat, quæ mutatio in omnibus ſimilis non eſt: nam tenuiores ſenſus quia citò diſſipantur, minores cruciatus ferunt: Craſſiores verò ſemper graviores; quia alterationes ſine omnimoda corruptione facilius ſuſtinent. Quare tactui, ſenſui craſſiſſimo, graviſſimi dolores per ſe proprièquè dicti, accidunt. Hactenus de

ſenſi-

ſenſibus exterioribus, ſequitur interior & communis. Ex ſupra dictis conſtat ſenſum fieri per alterationem & dignotionem: Alteratur autem ſenſus inſtrumentum, alteratio verò ipſa ab una eademquè facultate omnibus ſenſoriis communiter impartita à principio emanante dignoſcitur, quod quidem principium (juxta Galen. *7. de Placit. cap. 8.*) ſive ſenſum communem, ſive primum ſenſorium appellaveris, nihil refert: Verùm functionem iſtam ſenſus cõmunis, id eſt, dijudicationem Galen. paſſim alibi phantaſiæ tribuit. Sed de his plenius in ſequenti capite agemus.

DE SENSIBUS INTERIORIBUS, DE FACULTATE PRINCIPE ſecundum Medicos, de facultate intellectiva & locomotiva.

CAPUT XIII.

DE animali facultate in genere, deque ſenſibus exterioribus in ſpecie, ſuperiori capite dictum eſt; reſtat, ut de cæteris facultatibus & functionibus in ſpecie agamus, quæ ſub animali facultate tàm à Philoſophis quàm à Medicis comprehenduntur. Sub facultate autem animali ex opinione Galeni præter ſentientem princeps & locomotiva continetur, & ſub facultate principe illæ vires animæ ſenſitivæ, quæ à Philoſophis ſenſus interiores vocantur, communes homini & brutis, & præterea intellectiva animi facultas homini propria. Quare ut ſingula rectè intelligi queant, ex ſententia Ariſtotelis & Philoſophorum, primùm de interioribus ſenſibus dicemus, deindè ex ſententia Medicorum, de principe facultate: ter-

tertiò de facultate intellectiva: tandem de locomotiva.

Conſtat ex iis, quæ de ſenſibus exterioribus dicta ſunt, ſpecies rerum externarum receptas in instrumentis externorum ſenſuum, ibi non permanere, ſed ulterius vehente ſpiritu animali progredi, & primùm ad ſenſum interiorem, principium & fontem, ad quem exteriores ſenſus tanquam internuncii ſua objecta omnia deferunt; primùm, ut ibi dijudicentur, & ab invicem diſcernantur; deindè ut conſerventur; tertiò, ut abſentium rerum ſpecies repræſententur, & ex his novæ eliciantur. Hæ tres actiones ab una facultate promanant; nam una tantum animi eſt ſentientis poteſtas, quæ pro functionũ varietate, nunc ſenſus communis, nunc memoriæ, nunc imaginatricis facultatis nomen ſortitur, & ſenſus interior propriè dicitur. Hujus ſedes ſecũdum Ariſt. eſt cor, radix animæ & fons omnium facultatum. Verùm cùm ſenſus interior velut centrum ſit, in quo ſenſus exteriores velut lineæ, à circumferentia eductæ terminãtur, & præterea ibi propriè ſedem habeat, unde promanat ſpiritus animalis, & oriuntur nervi, quo inſtrumenta exteriorum ſenſuum diſpoſita ſunt, & coëunt ſpecies delatæ à ſenſibus exterioribus: proindè proximum ejus organum erit cerebrum, ut alibi demonſtratum eſt. Quare ſenſus interior erit vis animæ reſidens in cerebro, quæ mediante ſpiritu animali exterioribus ſenſibus vim communicat, & ad quam ſpecies exteriorum ſenſuum deferuntur, ut ibi dijudicentur, conſerventur, & abſentium imagines repræſententur, novæq; effingantur.

De ſenſu interiori.

Definitio ſenſus interioris.

Deinde ex functionibus diſcrepantibus tres erunt vires ſenſus interioris, communes homini & brutis, nimirùm ſenſus communis propriè dictus, phantaſia, & memoria, de ſingulis ordine dicemus.

Senſus interiores tres.

Primò de sensu communi.

Ac primùm, cum non modo sensibus externis objecta percipiamus, sed etiam nos illa percipere sentiamus, præter quinque exteriores sensus, necessariò interior erit, qui non tantum sensiones exteriorum sensuum, eorumquè objecta percipit, sed etiam diversa plurium sensuum objecta inter se confert & dijudicat. Talis est sensus communis, qui definiri poterit; Vis animæ sentientis, quæ exterioribus sensibus vim animalem per nervos communicat, & ad quam species repræsentatæ in sensibus exterioribus deferuntur, ut ibi dijudicentur & discernantur. Hic sensus communis licèt respectu interiorum sensuum sit primus, ratione tamen exteriorum ultimus & supremus judicatur: in quo sensiones exteriorum velut in centro terminantur, & coëunt: unde ratione termini unus, ratione sensuum exteriorum, qui in eo finiuntur, multiplex esse judicatur: Nam sensus communis quasi centrum est in medio circuli, à quo quinque exteriores sensus tanquam lineæ ad circumferentiam exeunt, & ut centrum non est amplius punctum, ubi discedit à medio, sed linea: ità sensus communis ut à centro exit, ad organa visus, auditus &c. non est amplius sensus communis, sed visus, auditus &c. at contra si recedamus à circumferentia ad centrum, tum visus, auditus, gustus &c. non amplius hoc nomine appellabuntur, sed in centro coëuntes dicentur sensus cōmunis. Quare facultas sentiens una erit ratione essentiæ, plures ratione organorum. Officium autem sensus communis planè regium est excipere, & judicare quicquid sensus exteriores instar famulorum & internunciorum retulerunt. Verùm duo præstat: Primùm vim sentiendi per nervos sensibus exterioribus communicat: deinde exteriorum sensuum species dijudicat, & ab invicem distinguit. Nam sensus communis exteriores omnes unit, eorumquè actio-

actiones perficit,ac nos ſentire judicat: deinde communia ſenſibilia diſcernit, & propria diverſorum ſenſuum objecta inter ſe comparat,illorumquè privationes cognoſcit. Præterea phantaſiam excitat, eiquè ſenſibilia offert. Verùm cum ſenſus ſit tantùm rei ſenſibilis præſentis, & animalia de abſentibus etiam judicent, alia requiritur facultas interior, qua abſentium rerum ſpecies repræſentantur, & æſtimantur. Hæc quia à ſpeciebus illis ſenſuum,quæ in animo remanſerunt, ut à luce excitatur, ex quibus multa ſimulachra fingit, aliquid componit & indicat, phantaſia dicitur, & definitur, facultas animæ ſenſitivæ, quæ ſpecies, à ſenſibus perceptas, repræſentat, & ex iis novas imagines effingit, ſive intentiones elicit,ut id,quod ſibi utile eſt,proſequatur,aut noxium fugiat. Nam phantaſia à ſenſu communi movetur, & ubi finitur ſenſus communis, ibi phantaſia incipit, deindè auxilio memoriæ illi junctæ circa abſentia operatur: & in ſomno quoque non quieſcit; præterea judicando objecta amica & adverſa, ſubnotiones addit, & appetitum excitat, variaſquè operationes in brutis naturæ inſtinctu, in homine mentis beneficio producit. Nam hæc facultas in homine media eſt inter ſenſum & intellectũ, mentiquè proximè inſervit: ac à mente vice verſa dirigitur, ut infrà apparebit. In brutis verò præcipua eſt, ſub qua æſtimativa continetur, quæ ſubnotiones addit, ſive ex ſpeciebus ſenſibilibus ſpecies quaſdam inſenſibiles amicas vel adverſas colligit.

De phantaſia.

Quia autem non ſolùm ſpecies à ſenſibus exteriorib⁹ diu abſentes:ſed & multis phantaſmatibus olim præſentes anima ſentiens conſervat: tertia interior facultas erit, memoria nimirùm,cujus adminiculo res ſenſibus perceptæ, velut picturam & veſtigium in anima ſentiente relinquunt: atque anima ſpecierum habitum acquirit: unde definitur interna

De memoria & reminiſcentia.

animæ ſentientis facultas conceptarum rerum imagines & notiones conſervans, ac ex præterito promptè repetens. Hæc facultas in homine una cum phantaſia menti inſervit: ac mens quatenus ratiocinatione impreſſarum rerum imagines ordine movet reminiſcentia dicitur.

De facultate principe secundum Medicos.

Medici verò de facultate animi cognoſcente à Philoſophis diſſentiunt, & ſub animali facultate ut dictum eſt, ſenſitivam, principem, & locomotivam comprehendunt, & ſub principe non ſolum mentem, ſed etiam ſenſus interiores. Verùm de principe non per omnia inter ſe conſentiunt. Nam Gal. 8. *de Vſu partium, & libr. de Symp. diff.* tres tantum facultates principes enumerat ſive rectrices φανταστικὴν, διανοητικὴν & μνημονευτικὴν, & facultates ex functionum læſionibus judicat. Læditur autem interdum phantaſia ſola illæſa cogitatione, ut in Theophilo Medico: vel cogitatio ſola ut in Laniſicii puero, cujus meminit ibidem Gal.: vel memoria ut teſtatur Thucydides in peſte Attica.

Numerus facultatū iuxta Galenum.

Verùm *lib. 1. de Symp. cauſis c. 8.* cum Ariſtotele vigilias & ſomnum ſenſorio primo aut ſenſui communi tribuit, *& lib. 7. de Plac. c. ultimo*, ſtatuit in ſenſatione duo concurrere, alterationem & dignotionem. Alterari autem ſenſus inſtrumentum, dignotionem verò alterationis fieri, ab una eademq; facultate omnibus ſenſibus exteriorib⁹ communiter impertita, quæ à principio ſcilicet à cerebro emanat & ſenſus communis aut primus dicitur. Verùm functionem iſtam ſenſus communis i.e. dignotionem eorum, quæ ſenſibus objiciuntur, *Galen. lib. de Symp. diff.* Phantaſiæ tribuit, *& lib. 4. de Loc. adf. c. 3.* pro imaginatione ſumit ſenſitivam noticiam; & phreneticos nonnullos, de iis, quæ oculis offeruntur, quantum ad ſenſitivam noticiam rectè judicare dicit, ſed cogitando aberrare. Eſt autem phantaſia Gale-

Galeno, quæ ſpecies & formas ab exterioribus ſenſibus oblatas apprehendit, diſcernit & dignoſcit. Ratiocinatio ſeu cogitatio, ſub qua æſtimativa in brutis eſt, quæ ex ſpeciebus jam conceptis aliquid meditatur, & cogitat, ſcilicet componendo & dividendo, ut ab inutilibus utilia diſcernat. Memoria verò, quæ conceptarũ ſpecies & notiones cõſervat, & ex præterito revocat. Hæc opinio Gal. videtur de principe facultate, verùm ſenſus communis ſive dignotio ſenſitiva eorum, quæ ſenſibus externis objiciuntur, à phantaſia omninò diſtinguenda erit: nam ſenſui communi debetur ſomn⁹ & vigilia, & in ſomno planè quieſcit ſenſûs communis & exteriores; non ſemper phantaſia, & cæteræ interiores potentiæ: ſed in ſomno non nimis profundo potiſſimum, quando inſomnia oriuntur phantaſia libera aliqua ex parte eſt, & ratiocinatrix confusè agit, ut infra dicemus.

Numerus facultatũ iuxta Avicennam

Quare Avicenna ex diverſis operationibus quinq; diverſas facultates principes recenſet: nimirum ſenſum communem, imaginationem, rationẽ, quæ æſtimativa communiter dicitur, memoriam, & reminiſcentiam: Deinde ſtatuit communem ſenſum, objecta diverſorũ ſenſuum inter ſe comparare: deinde imaginationem, ex iis quæ ſentiuntur incipere, & componendo ad impoſſibilia procedere, multaq; aliena effingere, & tamen à ſpeciebus ſenſuum non recedere: tertiò ratiocinationem ex ſpeciebus ſenſibiliũ, inſenſibiliũ ſpecies elicere, nimirũ ſecundi aut adverſi, & ſimilium, quæ ſub ſenſus nõ cadunt: Quartò memoriam ſpecies ſenſibilium retinere, & res abſentes recolere: tandem reminiſcentiam, ea quæ memoria exciderunt & ex iis quæ retinentur, colligendo & concludendo revocare & reducere. Verùm reminiſcentia non videtur aliqua facultas diſtincta à memoria; nam remini-

niscimur memoria in se ipsam reflectente, dum vi rationis rerum impressarum imagines ordine movet, ut supra dictum est. Deinde fatetur Avicenna læsionem sensus communis comitari læsionē phantasiæ, & memoriæ, ac proinde in explicandis symptomatum differentiis sufficere Medico tres potentias illas Galeno adsignare. Nihilominus differt sensus propriè à phantasia, quia sensus componit sensibilium species in præsentia objectorum: phantasia has easdem in absentia, quas duas actiones ejusdem potentiæ esse statuit Valesius. Nam ut reminiscentia ulterior quidem motus est, quàm memoria, & tamen non videtur diversa actio: ita imaginatio ulterior motus videtur, quàm sensus, & tamen non diversa actio, sed motus ejusdem potentiæ cujus sensus est actus. Unde sensitivæ potentiæ actio, quando ex rebus præsentibus operatur, & vera componit, sensus dicitur: quando falsa effingit, & species rerum absentium repræsentat, phantasia. Verùm cum in somno semper quiescat sensus communis, non autem phantasia, cæteræque interiores facultates non erit utriusque una actio, nec ita imaginatio ad sensum se habebit, ut reminiscentia ad memoriam. Quare sub imaginatione nequit comprehendi sensus communis, sed quatuor erunt interiores potentiæ. Attamen videtur Galen. *7. de Placit. c. 8. & lib. 1. de Sympt. causis. c. ultimo*, sensum communem à sensibus exterioribus non separare, & sub una facultate comprehendere; ac proinde sensum communem à principe facultate discernere, licèt ipsius functiones & potissimum dignotionem eorum, quæ sensibus objiciuntur, phantasiæ interdum tribuat.

De vigiliis & somno. Ad sensum communem Galen. cum Aristot. *lib. 1. de Sympt. causis c. ultimo* reducit vigilias & somnum. Sub vigiliis autem comprehenditur utraque fun-

functio sensus communis: scilicet, distributio facultatis animalis à cerebro ad sensuum exteriorum organa, ut species recipere queant: Deinde ipsa perceptio sive dijudicatio specierum illarum receptarum. Somnus verò naturalis non est functio aliqua sensus, sed adfectus, qui secundum naturam functiones sensuum sive vigilias consequi & interpellare debet, quo vires defatigatæ vigiliis restaurentur. Nam per vigilias spiritus dissipantur, viresquè corporis defatigantur, & dum defatigantur magna utilis vaporis copia in cerebro colligitur cerebrum madefaciens, & functiones ejus impediens: unde retracto calore nativo ad interiora, somnus oritur. In somno verò retracto calore concoctiones melius procedunt, & spiritus, humores, solidæquè partes laboribus exhaustæ, melius reficiuntur, & dum restaurantur, humor ille cerebrum madefaciens, per concoctiones dissipatur, vigiliæq; redeunt. Quare post somnum naturalem homines ad omnes actiones aptiores sunt. Igitur vigiliæ erunt functiones sensus primi secundam naturam agentis cum debita intermissione. Somnus verò est illa intermissio, quies aut vinculum sensus communis, & naturalis impotentia, functiones ejus impediens, & potissimum influxum spiritus animalis in organa exteriorum sensuum, qui functionibus eorum inservire debet. Verùm in somno non omnis influxus spiritus per nervos impeditur, ut ex respiratione constat, & ex functionibus motus, quæ dormientes obeunt: sed tantus talisquè fluxus in organa sensuum non est, quantus & qualis requiritur ad functiones eorum obeundas: nam in somno profundo minus influit: in minus profundo, quando sensus exiliter agunt, plus. Quare non omnis quies aut privatio sensus somnus erit: nec omnis impotentia, sed naturalis, quæ primò sensui primo com-

petit, quo ligato exteriores à suo munere necessariò cessant. Ex quibus colligitur, quod somnus sit quies aut vinculum sensus primi, functiones ejus impediens, ab utili humore cerebrum madefaciente cum retractione caloris nativi, eò usque dum vapor ille per concoctionem dissipetur.

De insomniis.

Ut somnus πάθος est sensus communis, ita insomnium quod dormientibus obvenit principis facultatis, præcipuè phantasiæ. Nam in somno quiescit sensus communis, & proinde exteriores: sed non semper phantasia, cogitatio & memoria, nisi in somno admodũ profundo, à copiosiore vapore in cerebrum elato. Nam in mediocri aut minus profundo somno, phantasia, ut supra diximus, aliquo modo libera est & actio discretricis confusa. Quare ex speciebus relictis in sensibus, sive ex iis quæ vigilans senserit aut egerit, phãtasia complura phantasmata componit, quæ ceu vera sint dormiens spectat: & quia ratiocinatrix confusè agit, iis fidem adhibet nesciens se dormire. At si (ut in leviore somno evenire solet) discretrix libera sit, & imaginibus illis fidem non adhibeat, quia cognoscit se dormire: tum phantasmata illa, quæ imaginationi objiciuntur, minus propriè insomnia erunt. Quare erunt insomnia phantasmata ex sensuum motu & reliquiis orta, quæ dormientibus ceu vera obveniunt. Esse autem somnia nonnulla dispositionum quarundam signa in corpore dubium non est. An verò cætera somnia sint futurorum indicia, & an ex iis aliqua prædictio esse possit, non sine causa dubitamus?

Sedes principum facultatum.

Hactenus de functionibus facultatis principis, cujus instrumentum teste *Gal. 8. & 9. de Usu part.* est cerebrum secundum substantiam. Habet enim cerebri substantia contentum spiritum innatũ, complantatum, una cum spiritu animali permixtũ,

tan-

tanquam organum conſervativum omnium facultatum principum: ut alibi dictum eſt. Atq; hunc calorem congenitum juvant ſpiritus animalis & vitalis, quibus refertum eſt cerebrum: quorum ratione cerebrum calidius eſſe dicitur à Galeno 7. *de Vſu part.* quocunque aëre. An verò tres illæ facultates principes in cerebro ſedibus diſtinguantur, & cum Aëtio & Avicenna, imaginatio in anteriore parte cerebri ſedem habeat; ratio in medio ventriculo: memoria in poſtremo, merito dubitari poteſt. Nam cum cerebrum totum ſecundum ſubſtantiam, & non ventriculos, ſedes ſit principum facultatum; cui ſubſerviunt ventriculi cæteræq; partes, Probabile non videtur, facultates ſedibus diſtinctas eſſe ſecundum ventriculos, aut abſolutè ſecundum partes cerebri, ita ut in una parte tantùm una facultas ſubſiſtat, ſed potius unam in una parte magis vigere; ut phantaſiam in anteriore parte, quæ mollior & ad ſpecies recipiendas aptior eſt; memoriam in poſteriore, quæ durior & ad conſervandas ſpecies magis idonea: De hac quæſtione latiùs agemus capite de cauſis ſymptomatum principis facultatis.

DE FACULTATE INTELLECTIVA.

CAPUT XIV.

CUM autem humana perfectio ad vitam divinam quàm proximè accedat, plures facultates, quàm cætera animantia requirit. Nam, ut cũcta in hoc univerſo modo ſibi conſentaneo cognoſcat, Deoq; ſimilis fiat, ſingulis facultatũ gradibus inſtructus erit: quæ perfectio ex principio, medio & fine conſurgit. Principiũ noſtræ cognitionis cõſtituũt, ſenſus exteriores, mediũ interiores, de quib⁹ dictũ eſt: finẽ deniq; mẽs i- *De Facultate intellectiva.*

imponit, quæ nos cũ fine omnium poſtremo DEO ſcilicet unit. Quare conſequens eſt, ut de mente agamus. Mens quemadmodum cæteræ facultates animæ per ſe corporis organo non utitur, nec à corporis informatione proximè dependet, ſed vel in ſe conversa: vel inferioribus animæ facultatibus ſe accommodans muneris ſui functionem præſtat.

Definitio mentis.

Quare erit mens ſive facultas intellectiva ea vis animæ humanæ, quæ ſine interventu organi corporei adminiculo phantaſiæ, & ſenſuum eſſentiam cujuſque ſcibilis intelligit. Functio autem propriè mentis eſt intellectio: intelligere autem aliquo modo ſe habet ut ſentire. Nam ut ſenſus nullam earum qualitatum actu habet, quam ſentit: ita mens actu expers eorum eſt, quæ intelligit, ſed potentia omniũ particeps. Unde τόπος εἰδῶν à Platone dicitur. Quod ſi actu intelligit, εἶδος εἰδῶν exiſtit. Deinde ut ſenſus ab eo quod ſentit, afficitur, nimirum à ſenſili, ita mens ab eo quod intelligitur, ſed non pari ratione. Nam ſenſus objecta λόγῳ ſibi correſpondentia tantum percipit, & ab excellentibus læditur, quod facultas ſentiendi inſtrumento temperato utatur. At intellectus excellentiſſimo objecto magis acuitur, ut minus excellentiæ facilius percipiat; & corpori, quatenus operatur, permixtus non eſt: ſed propriè ſimplex & immutabilis. Nam licèt ſecundum eſſentiam anima intellectiva corpus humanum informet: tamen ratione operationum in nulla peculiari parte corporis vires ſuas exerit, nec in recipiendis ſpeciebus intelligibilibus, organo corporeo indiget: ſed ſine interventu organi corporei ſpecies illas intelligit; quo potiſſimum à ſenſitiva facultate diſtinguitur, quæ receptam ab organo ſpeciem judicat.

Obiectum intellectus

Objectum intellectus eſt omne, quod intelligitur,

gitur, aut intelligi poteſt, νοητὸν, id eſt, ſcibile. Quæ autem intelliguntur, duplicia ſunt. Alia omni materia carent, ut ἁπλῶς ὄντα, quorum ipſa, ac ipſorum eſſe non differunt. Alia cum materia concreta ſunt, in quibus ſemper aliud eſt res ipſa, aliud eſſe rei. Nam ipſæ res concretæ, ſunt individuæ, eſſe, quod mente percipitur, ſimplex & individuum numeri inſtar. Itaque res ipſæ, ut confuſæ ſunt, intelligibiles non ſunt, ſed illæ rerum ſpecies, quibus individuum cujuſquè eſſe exprimitur, in quibus intelligendis, mens in corpore, διανοίᾳ quaſi ſecunda mente à prima propagata utitur, quæ ſe applicans ſenſuum functionibus & phantaſiæ, componendo & dividendo λόγον cujuſquè ſcibilis colligit. Simpliciſſima mentis apprehenſio primi philoſophi eſt, quæ ἁπλῶς ὄντα conſiderat: reliqua ſcibilium genera, nimirum προσθέσεως ὄντα, quæ ad phyſicam, & ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντα, quæ ad Mathematicam pertinet, διανοίᾳ apprehenduntur. Quemadmodum autem νοητὰ, actu νοητὰ nō ſunt, priuſquam à materia abſtracta mente percipiantur: ita mens ipſa potentia & non actu intelligit, priuſquam abſtractas ſpecies recipiat, ſed in ortu hominis inſtar raſæ tabulæ eſt Speciebus verò receptis, & alia & converſa ad ſuas ſpecies ſemetipſam intelligit, quod aliis intelligibilibus denegatum eſt, cum eſſe mentis ab ipſa non differat, & materiata propriè non ſit. Nihilominus ex ſimilitudine aliarum rerum, ut ſpecies illas mens recipit, materialis & quodammodo compoſita dicitur, & in mentem agentem & patientem dividitur. Eſt autem mens patiens, quæ phantaſiæ adjuncta νοητὰ in ſe recipit: mens verò agens, quæ facit ut ſpecies in phantaſia potentia intelligibiles actu intelligantur: &

Mēs in agentem & patientem dividitur

patibili menti imprimantur. Hæc, ut lumen ad colores se habet. Ut enim colores in subjecto aliquo sunt, sed per lumen sine subjecto aërem adficiunt, ita mens agens efficit, ut species in phantasia traducantur sine materia in mentē patientem: & ut lumē à pellucido separatur: ita mens agens à phantasia & corpore, cum per se immortalis sit. Verùm mens patiens cum sine phantasia & memoria non subsistat, mortalis judicatur.

Operationes mentis ratione objectorum tres.

Operationes mentis humanæ ratione objectorum tres sunt, quarum prima est νόησις, simplicium apprehensio, nuda mēte sine ulla compositione & divisione, quæ aut omninò intelliguntur, aut prorsus nesciuntur. Secunda est compositio, sive adfirmatio: & divisio νοημάτων, sive negatio, in quibus primo veritas aut falsitas spectatur, non solùm causa rerum, ut in necessariis, sed etiam causa temporis nimirū in naturalibus & practicis. Tertia λογισμὸς est discursus & ratiocinatio, ex veris notis ignota colligens: qua operatione scientiæ constituuntur.

Ratione finis aut theoretica aut practica.

Ratione autem finis mens ipsa aut est θεωρητικὴ aut πρακτική. Illa circa necessaria versatur, & in nuda veritatis consideratione consistens, intra se vertitur: hæc circa contingentia, in quibus actio, & quæ in nostra potestate posita sunt, occupata est, ac veri consideratione contenta non est: sed boni alicujus gratia intelligit: nimirū in rebus agendis vim suam exerit consultando & deliberando, quid fugiendū quidq; expetendum sit, demonstrans. Utraq; sine visis vel phantasmatibus in homine non est: sed contemplativa phantasmata ex sensibus, non tanquam sensibilia, sed νοητὰ considerat, & adfirmationem vel negationem visis adjungit, & an vera, an falsa sint, inquirit. Practica verò sensibilia ut sensibilia

bilia considerat. Nam deliberatio rerum singularium est: sed his sensibilibus bonum, sive expetendum, & malum sive fugiendum adjungit: & comparando ex præteritis & præsentibus de futuris deliberat. In qua deliberatione prudens verè bona visis illis adjungit: Imprudens boni specie & cupiditate aliqua illectus apparentia bona pro veris habet, & cum visis illis comparat. Bruta verò sine deliberatione sensus communis judicium visis illis adjungunt, & præsentibus sese accomodãt, quæ si jucunda fuerint, persequuntur; sin tristia, fugiunt.

DE FACULTATE VOLUNTARII MOTUS.

CAPUT XV.

PRæter has jam dictas animæ facultates una adhuc restat, qua de loco in locum animalia moventur. Cujus functio à Galeno nunc motus animalis, nunc voluntarius, & spontaneus dicitur, quia eum pro arbitrio animal sedare potest, & rursus quiescentē excitare & velociorē ac tardiorē reddere. Hæc facultas nutriēs aut sentiens nō est, siquidē multis convenit, quæ loco adfixa sunt: nec intellectus theoreticus, imò ne practicus quidē. Nam sæpè mens jubet aliquid persequi, quod ob intemperantiã homines non persequuntur. Præterea nec per se appetitus existit, cum temperantes suis cupiditatibus non obsequantur. Verùm motus localis duo sunt prima principia: unũ dirigens; alterũ motũ exsequens; ac ut exequi queat additur tertium principiũ, quod ei famulatur, & inservit. Id autem quod motum dirigit, expers cognitionis esse nō debet, sed aptũ ut de absentibus & præsentibus judicare queat; quale est phantasia & mens.

De facultate locomotiva.

Principia motus voluntarii tria.

mens. Et quia directio fit per cognitionem, ideò quod exequitur mandata dirigentis, aptum erit, ut cognitionem sequatur, cujus generis est appetitus. Nam cognitio sub specie boni vel mali appetitum movet; & objectum appetitus est, excitans, ut id, quod bonum est, prosequatur, quod malum, fugiat. Excitato appetitu spiritus animales à cerebro per nervos una incitantur, & musculos proxima instrumenta voluntarii motus movent: atque musculi articulos, totumquè corpus. Quare facultas locomotiva composita erit ex intellectu vel ratione cum appetitu: Verùm non omnis intellectus movet: sed practicus alicujus finis gratia: & movet ratio in homine, atque imaginatio in brutis, non per se, sed quia ad illam appetitus accedit. Itaque primaria & præcipua causa motus est appetitus, facultas animæ à sentiente minimè secreta, quæ si rationi se adjunxerit, in mente voluntatem constituit, quæ intellectus promotus dicitur, adfectibus insidens: hac ii soli moventur, qui ratione ducuntur, sin imaginationi copulatus fuerit appetitus, πάθ☉ sive adfectus una orietur: quo non bruta solùm, sed etiam pueri & incontinentes aguntur. Sub appetitu adfectus continetur, & adfectus appetitiones quædam sunt: sed differre aliquo modo videntur. Nam adfectus propriè est motus animi, ortus ex imaginatione jucundi vel tristis, nondum exiens in actum externum. Appetitus verò propriè motus est animæ exiens in actum externum, concitatus ex cognitione objecti, sub ratione boni vel mali. Nam intendit appetitus finem illum solum, qui aliqua cognitione, id est, intellectu vel imaginatione comprehensus sub specie boni sive veri, sive apparentis est: proinde objectum appetitus, id est, appetibile, quod appetitum ad agendum movet, est bonum, vel revera, vel apparens, finis ipsius appetitus.

Præcipua causa mot⁹ localis appetitus.

Quid affectus & appetitus?

Verè

Verè autem bonum eſt, quod intellectus practicus præſcribit: apparens verò bonum imaginatio ſub ratione jucundi vel ingrati dictat. Nam ratio, quæ in univerſalibus eſt ſemper recta: at imaginatio in particularibus interdum recta non eſt: id bonum ex adfectu aliquo (ut ex dolore, voluptate &c.) judicans, quod revera tale non eſt. Unde mirum minimè eſt, appetitus non tantum ratione contrarios eſſe, ſed etiam inter ſe: nam cupiditas aliud ſequitur, aliud ratio dictat: quia cupiditas præſentibus ſemper movetur: ratio verò futura conſiderat: & quæ nunc jucunda ſunt mala eſſe indicat.

Sedes appetitus cerebrũ, ſed ſcaturigo affectuum ab aliis partibus.

Reſidet autem appetitus cauſa motus in cerebro propriè, ubi facultas ſentiens ſedem habet, ac unde ſpiritus animalis provenit. Verùm adfectuum ſeminaria ab aliis partibus potius ſcaturiunt: Veluti libidinis ſeminaria à pudendis, cupediæ & ciborum ab orificio ventriculi, iracundiæ à corde, quod propriè ſedes eſt iraſcibilis facultatis, ut alibi dictum eſt. Hi adfectus animi ſunt, nondum exeuntis in actum externum. Exeunt autem, ſi accedat appetitus & incitatio interni motus ad externam actionẽ, ſcil. oppreſſionem aut ultionem eſt appetitus: incitatio ſcil. motus illius interni ad externam actionem. Nam inter adfectum ut iram, quæ eſt deſiderium ultionis ſive oppreſſionis, & ipſam actionẽ, ſcilicet oppreſſionem aut ultionem eſt appetitus, incitatio ſcilicet motus illius interni ad externã actionem: ita ex ira educitur actio ad opprimendum offenſionis autorem, ſi iratus oppreſſionem illam prius appetiverit. Quæcunque autem ſpecie boni aut mali nobis objiciuntur, ſi cum ratione ea ſequimur aut fugimus, tum appetitus rationis particeps erit: ſi præter rationem incitamur, & voluptatis aut moleſtiæ vis major fuerit, quam rationis, tum appetitus expers rationis erit, & propriè ad-

fectus: at si turbido & violento motu ita insurgat, ut vires rationẽ statim cõturbẽt, πάθος propriè dicetur. Consistũt autẽ adfectus in persecutione aut fu-

Differẽtia adfectuũ.

ga ex opinione alicujus sub specie boni aut mali: idq; aut præsentis aut instantis & futuri. Ac primũ, ex imaginatione boni præsentis recenter objecti, oritur voluptas aut delectatio: quæ vel est de reb⁹ nostris secundis, vel alienis adversis. De reb⁹ nostris aut nostrorum secundis, si moderata & constans fuerit, gaudium; si profusa, læticia: si inanis sese efferens, jactantia vocatur. Si de rebus alienis adversis præcipuè bonorum, malevolentia & malitia dicitur. Contra ex opinione mali præsentis aversatio & animi ægritudo oritur, quæ varia est. Nam ægritudo animum premens, angor: crucians, dolor; quæ cum labore accidit, ærumna; cum vexatione corporis, adflictio: quæ cum molestia & cogitatione premit, sollicitudo; quæ sine meliorum expectatione accidit, desperatio: quæ cum fletu, lamentatio; cum ejulatu, mœror: quæ ex interitu alicujus, luctus dicitur; quæ ex aliena miseria oritur, cui subvenire cupim⁹, misericordia; quæ ex aliena prosperitate, si bonorũ, livor & invidia dicitur, si malorum, sub νεμέσεως continetur, quæ mixtus adfectus est potissimum ex ira & dolore. Tertiò ex opinione boni futuri, spes boni illius expectatio & confidentia, ac desiderium sive cupiditas oritur, quæ varia est: alia enim consistit in cibi potusq; desiderio, cupediæ: alia in rei Venereæ, libido: aliqua in honoris & gloriæ, ambitio: nonnulla in divitiarũ, avaritia, quædam in ultionis sive vindictæ, ira; quæ si subito desinat, excãdescentia, si inveterata, odium, si tempus ultionis expectet, inimicitia dicitur, &c. Contra ex mali futuri opinione animũ prementis excitatur metus (spei & confidentiæ contrarius) mali futuri expectatio, quæ quãdo malũ instans est, timor dicitur, si permaneat, for-

formido, si corpus vehementer concutiat, terror, si mentem percellat, pavor: si ulterius procedat, consternatio & exanimatio: si ex laboris metu oriatur, pigritia vocatur &c. Mixtus autem adfectus ex spe & metu est verecundia. Atque hi sunt adfectus, qui motus quidem animi sunt, sed corpus una afficiunt; ac quò vehementiores fuerint, eò spiritum cum sanguine magis impellunt, quasi suppetias laturi ipsis instrumentis. Moventur autem spiritus vel ad exteriora, ut in ira, gaudio & similibus, desiderio aut appetitu boni præsentis, vel futuri. Vel ad interiora fuga & aversatione mali, ut in tristitia, metu &c. Ex his quæ dicta sunt, apparet, tria requisita esse in motu animaliũ; quod movet, quod movetur, & quo movetur. Quod movetur, propriè est animal; quo movetur, sunt instrumenta motus, qualia proximè sunt musculi. Quod movet, duplex est, unum movens inmobile objectum, ratione aut imaginatione comprehensum, sub specie boni aut mali: aliud movens mobile appetitus. Nam bonum sive verum, sive apparens, appetitum movet; & appetitus ipsos spiritus animales à cerebro per nervos, qui sua natura appetitui obtemperant, & spiritus à cerebro incitati musculos movent, ac musculi articulos &c.

Quatuor concurrũt in motu animalium

Quare quatuor erunt in motu animalium: primò finis motum excitans, objectum: secundò principium dirigens cognitio: tertiò medium exequens appetitus: quartò instrumentum absolvens, musculi, nervi & cerebrum. Verùm quia in cerebro residet vis motus & sensus: igitur cerebrum ea facultate motum imperat: deinde, ut eques habenis equum dirigit, ita vis à cerebro nervis (perfusis spiritu animali) quasi habenis musculos movet, qui proxima sunt motus voluntarii instrumenta. Omnes musculi ejus, cui inseruntur, partis volunta-

rio motui serviunt. Nam unicuique motui partes peculiares destinati sunt musculi, & contrariis motibus oppositi musculi; ut musculis articulum flectentibus opponuntur extendentes; & musculis partem in dextram moventibus, opponuntur musculi in sinistrum moventes; eademquè in cæteris ratio est. Verùm motus, qui nullum sui contrarium habet, oppositos non adipiscitur musculos. Agit musculus dum in se contrahitur contractis fibris, quæ dum musculus os movet, in tendinem semper concrescunt. Quare quando partem flectimus, contrahuntur musculi flectentes, & relaxantur oppositi partem extendentes, contrarium evenit, ubi partem extendimus, eademquè est in cæteris oppositis motibus ratio. Verùm ubi omnes oppositi musculi simul agunt, sive contrahuntur, oritur motus musculorum tonicus, qui partem in eodem situ detinet, ut quando brachium extentum in eodem situ retinemus, cujus generis quoque sunt, stare, sedere, erecto corpore jacere, & non ad pedes delabi &c. Horum respectu cæteri motus locales dici poterunt, quia vel situm partis in toto mutant in anteriora vel posteriora, dextrum vel sinistrum; sursum, deorsum&c. vel totum animal de loco in locum transferunt, ut ambulatio sive incessus, qui ex contrariis motibus componitur, nimirum crurum extensione & reflexione. Cum autem nihil moveri queat, nisi aliquo immobili firmetur, peculiariter in motu animalium de loco in locum, sive in deambulatione, duo immobilia erunt, unum internum, requisitum in omni motu cujuscunquè partis; aliud externum necessarium in motu totius à loco in locum. Nam primùm, si unum absolutè animal esset, non moveretur. Partes igitur diversas habet: ac ut membrum aliquod moveatur, necesse est aliquid quiescere, à quo principium

cipium illius motus & cui adfixi ſunt muſculi, cujus rei gratia animalibus articuli inſunt, ut tanquam in centro flexibus utantur. Immobile verò externum eſt, quod extrinſecus, obnixui illius, quod movetur, reſiſtit. Nam in ambulatione niſi aliquod ſit extrinſecum, quod illi contentioni membrorum renitatur, omnis movendi conatus inanis erit. Præterea functiones, quæ ope muſculorum perficiuntur aliæ animales tantum ſunt, ut ambulatio, apprehenſio, loquutio, &c. aliæ partim naturales, partim animales, ut reſpiratio, tuſſis, urinæ, alvique dejectiones, motus uteri in partu, ac in ſumma, quæcunque fiunt à facultate expultrice naturali adjuta motu muſculorum.

FINIS LIBRI SECUNDI.



DE PATHOLOGIA
Sive
DE REBUS PRÆTER-naturalibus

LIBER TERTIUS.

DE MORBIS ET MORborum differentiis.

CAPUT I.

DE rebus illis, quæ ſecundũ naturam corpori humano inſunt, & quarum conſideratio ad Phyſiologiam propriè pertinet, hactenus dictum eſt: conſequens eſt ut Pathologiam explicemus, & de rebus quæ contra naturam inſunt, agamus. Utriusq; enim eadem eſt ratio: cum in eodem virtus & vitium verſetur, ac eadem affectio alio atque alio modo ſecundum aut contra naturam dicatur.

Tria in humano corpore ſecundũ & præter naturam.

Conſiderantur autẽ in humano corpore tria: Primò, ipſa conſtitutio corporis: ſecundò, cauſæ quæ conſtitutionem efficiunt: tertiò, affectus & accidentia, quæ ex conſtitutione dependent. Circa hæc tria omnis Medici conſideratio, & operatio. Nam ſi ſecundum naturam fuerint, conſervari, ſin contra, ſubmoveri à corpore debent.

1. Conſtitutio ſive affectus partium.

Ac primùm conſtitutio ea tantùm eſt, quæ partib. viventib. debetur, ac ſimilaribus & diſſimilaribus ineſſe judicatur, aut pro naturæ modo, aut contra: Pro naturæ modo, ſi conſtitutio ſit expeditis animæ functionibus accommodata & idonea, contra verò, ſi inidonea & inepta. Nam, pro ſua conſtitutione, pars ad agendum benè malevè diſpoſita & affe-

& affecta est: unde constitutio à Medicis alio nomine plerunq; dispositio & affect⁹ dicitur; licèt cõstitutio propriè dicatur de toto, ratione partium componentium, & constituentium, Dispositio verò, quatenus ad actionem producendam pars apta vel inepta est. Ratione constitutionis & dispositionis, sive ea moderata fuerit & naturalis, sive immoderata & præter naturã, pars vivens functiones suas edit: licèt à facultatibus animæ functio omnis procedat. Nam facultas, quæ per se impassibilis est, pro constitutione organi sui actiones variat: indiget enim ministerio organi: Quare si fuerit organon naturaliter dispositum, expeditè agit: sin præter naturam, vitiosè & impedite. Igitur constitutio sive dispositio membri erit immediata causa functionis, tàm expeditæ, quàm impeditæ.

Secundò, causa est omne illud, quod suâ naturâ in constitutione illâ partem generationis confert: confert autem per mutationem & motum. Atque ipsa constitutio sive dispositio propriè nihil aliud est, quàm terminus illius motus. Aliud enim est, pati, & affici: aliud, affectum & dispositum esse: deinde, aliud πάθος & πάθημα, passio scilicet & affectio; aliud διάθεσις, dispositio scilicet & affectus. Nam ipsa dispositio & affectus nihil aliud est, quàm mutationis illius vestigium, patienti corpori impressum: aut forma sive qualitas quædã motum consequens. Proinde sublatâ causâ tollitur quidem passio & patientis corporis affectio: sed non necessariò unà affectus, sive dispositio.

II. Causæ constitutionis.

Tertiò, omnem corporis constitutionem & dispositionem necessaria quædam effecta, sive accidentia consequuntur: præcipuè verò, functiones sive actiones, pro modo dispositionis.

III. Accidentia cõsequẽtia.

Sub uno horum trium sanitas & morbus erit:

 & pro-

& propriè aut dispositio viventis corporis, aut illius dispositionis causa, aut, quæ ex dispositione sequitur, actio. Verùm cum contrariorum idem subjectum eademq; ratio sit, in eodem subjecto sanitas & morbus erit, & sub eodem genere: & uno cognito alterum statim cognosci poterit. Sani omnium consensu tum sumus, quando, partium corporis adminiculo, muniis ad vitam necessariis fungi valemus: sive quando actiones pro naturæ modo edere possumus: ægri igitur, quando in unâ aut pluribus partibus earumq; functionib⁹ impedimentum sentimus. Quilibet enim se sanum judicat, non solùm quando functiones suas naturaliter exercet: sed etiam quando eas exercere potest; sive, quando sentit nullam corporis partem in munere suo impeditam. Quare sanitas ipsa naturalis functio non erit, proinde nec morbus functionis læsio: aut functio impedita, alioqui omnes vincti & dormiẽtes morbo laborarent ob functiones animales impeditas. Verùm omnium judicio vincti & dormientes sani existimantur, si constitutionẽ corporis secundum naturam habuerint, quæ functiones naturales exercere potest: ægri contrà, si contra naturam habuerint, quæ impeditas actiones producit. Quare sanitas erit ipsa constitutio viventis corporis secundum naturam: morbus ejusdem constitutio præter naturam. Actio verò læsa, & quæ actionem sequuntur, accidentia tantum morbi sunt, quæ à Medicis peculiari nomine Symptomata vocantur. Causa illius constitutionis contra naturam morbus censeri non debet: sed quod immediatè per se actionem lædit, quod non facit causa: quia sæpè læditur actio causa non existente. Quare causa dispositionis secundum aut præter naturam sanitas aut morbus non erit: sed causa morbum antecedit, & morbum immediatè sequitur actio læsa, cæteraq; symptomata.

Sanitas & morbus nõ continentur sub functione, sed constitutione.

Quando

Quando constitutionem & dispositionẽ dico, qualitatem primæ speciei intelligo: licèt illud quod subjectum disponit, per se consideratum, alterius speciei aut generis sit: veluti calor & frigus per se sunt Patibiles qualitates: deinde magnitudo & numerus, per se Quantitates; figura & forma sub quarto genere Qualitatis: Quatenùs verò subjectum suum bene malevé afficiunt, & ad aliquid certo modo agendum aut patiendum disponunt, dispositiones & affectus subjecti illi dicuntur: quod si secundum naturã & moderatè afficiant, sub sanitate continentur: sin contra, morborum differentias constituunt, ut infra apparebit.

Morbi definitio.

Ex quibus colligitur, quòd morbus sit constitutio viventis corporis præter naturam, quæ per se primò actiones sensibiliter lædit. Dico præter naturam cum Galeno *lib. de Sympt diff. c.1.* in lata significatione, ad differentiam sanitatis, respiciendo ad formam cujusq; propriam, undè actionis principium, quæ magis natura est, quàm materia. Nam à Galeno id præternaturam dicitur, quòd ex naturæ præscripto non est, sive per se naturæ vim inferat, ut morbus, & morbi causa; sive non inferat, ut symptomata: quâ significatione hæc omnia tria, res præter naturales à medicis appellantur, ac à naturalibus, & non naturalibus distinguuntur. Verùm propriè id præter naturam dicitur, quod quidem ex præscripto naturæ non est, sed per se ei nullam vim infert, ut symptomata; contra naturam, quod cum natura pugnat per se, eiq; vim infert, actionesque ejus lædit, vel primò ut morbus, vel alterius interventu, ut causa morbi. unde eodem sensu, quo prius, morbus definiri poterit constitutio viventis corporis contra naturam primò actiones sensibiliter lædens. Additur *Viventis Corporis*, proprium scilicet morbi & sanitatis subjectum. Cum enim

morbus læsæ actionis causa sit, in alio nō erit, quàm in ipsis actionum instrumentis: Instrumenta autem actionum non sunt humores, sed partes solidæ & continentes, à quibus spiritus non excluduntur, quatenùs in membris determinantur, ut agentium membrorū partes & instrumenta communia. Quare morbus in humoribus non erit, sed in partibus continentibus, à quarum essentiâ spiritus non planè separantur, quatenus ut instrumenta considerantur conservantia facultatē in membris: Humores enim ideo excludimus, quia non vivunt: deinde quia materia spirituum & membrorum sunt: nec aliter functionibus incommodant, quàm si membra quantitate & qualitate suâ offendant: Quare in contentis potius erunt morborum causæ. Neque tamen hæc tria ita absolutè distinguuntur, ut scilicet causa sit in contentis solùm, symptomata in solis spiritibus, & morbi in partib9 continentibus. Nam symptomata etiam in contentis apparent: & morbi in spiritibus sunt, quatenùs à membris determinantur, membrorumque partes esse intelliguntur. Præterea causæ aliquando in continentibus considerantur, ut alibi demonstratur. Tertiò, dico, *Actiones sensibiliter lædens*, ut separentur leves dispositiones. Nam si quævis immoderata constitutio, quantumvis parva, morbus esset, omnes homines perpetuò morbis afficerentur, & ἀειπάθεια introduceretur. Nam sanitatis magna latitudo est: alia optima in medio omnis excessus, alia in habitu inculpata, quædam in habitudine vicinâ morbo, & quodammodo ambigua. Si igitur tota hæc latitudo sanitas dicatur, nullum medium inter sanitatem & morbum erit: sin ea, quæ in habitudine vicinâ morbo, à sanitate separetur, media quædam dispositio inter sanitatem & morbum erit, quæ actiones neque satis firmas neque sensibiliter læsas producit:

cit: unde neutra vocatur. Hæc suâ latitudine non destituitur: &, non aliter quàm sanitas & morbus, suas causas & accidentia habet. Illæ verò dispositiones leves, quæ actionibus manifestè non officiunt, licèt morbi propriè non dicantur, à morbis tamen magis magnitudine, quàm specie differunt: & ad aliud genus levis inchoata intemperies, & absoluta referri nequeunt. Præterea sub actione hîc usum comprehendimus: cum non omnes partes actionem habeant, sed quædam usum tantum. Tandem subjungitur, *Primò actiones lædens*, non solùm ut morbi à causis morborum distinguantur, quæ constitutiones interdum sunt præter naturam & actiones lædunt, non primò, sed mediante alio scilicet morbo; verùm etiam ad differentiam læsionis, quæ fit ex proprio partis affectu ab ea, quæ per consensum tantum.

Læditur partis functio per se vel per cõsensum. Per consensum trib⁹ modis.

Læditur enim partis actio dupliciter: per se, proprio partis affectu, unde procedit actio læsa, scilicet per ἰδιοπάθειαν, vel per consensum, i. e. συμπάθειαν: quod tribus modis accidit; Primò, dum morbi causa aliunde communicatur: ut quando ex ventriculo affecto corrupti vapores in cerebrum ascendentes ejus actiones lædunt, deinde ubi facultas influere prohibetur: veluti quando spina aut nervo affecto manus resolutio oritur. Tertiò, quando ad partem materia actioni necessaria non pervenit: ut si vulneratâ τραχείᾳ vox impediatur. Ubi verò actio proprio partis affectu læditur, morbus propriè & absolutè dicitur: non autem quando per consensum tantum: nisi, diuturnâ illâ affectione per consensum, pars illa proprium affectum contraxerit: quod in primâ tantum specie evenit: ac tum posteriorẽ affectũ, δευτεροπάθειαν vocamus: priorẽ verò, ex cujus consensu nascitur, πρωτοπάθειαν.

Per se duobus modis.

Fit autem morbus causa morbi bifariam: vel suâ naturâ, veluti pleurisis naturâ suâ febrim excitat: vel conditione partium, sub quâ continentur: primò, connexus & societas, qualis est inter ventriculum & cerebrum, per nervos: Secundò, positus partium: tertiò, robur & calor, unde pars validior nobiliorque excrementa sua ad debiliorem ignobilioremque deponit.

De differentiis morborũ.

His definitis consequens est, ut morborum differentias in specie cognoscamus. Differentiæ variæ sunt, quarum præcipuæ sumuntur vel à morbo, vel à subjecto, vel à causa morbifica. In morbo autem quatuor considerantur teste *Gal. 1. de Cris.* Morbi essentia, magnitudo, mot⁹, & mos sive modus morbi; quibus addi poterit exitus sive eventus. Ab Essentia morbi sumuntur differentiæ specificæ, quibus genera & species morborum constituuntur: A cæteris omnibus differentiæ tantum accidentales.

Differẽtiæ essentiales quibus cõstituuntur genera morborũ.

Ac primùm, cum morbus sit constitutio partis viventis præter naturam, tot erunt prima morborum genera, quot sunt constitutiones. Triplex autem constitutio aut compositio, tàm nõ naturalis quàm naturalis, in humano corpore consideratur: Prima, partium similarium, ex elementis: secunda, dissimilarium & organicarum, ex similaribus: tertia, totius corporis, utrisque, tàm dissimilaribus quàm similaribus communis, nimirum unitas. Consistit enim naturalis constitutio sive sanitas partium similarium, in debitâ proportione quatuor elementorum, sive in justâ temperie quatuor primarum qualitatum, calidi, frigidi, humidi, & sicci: dissimilarium verò, ex similaribus, in debito numero ac justâ magnitudine in decentem formam coëuntibus, cum idoneo consensu & situ: At toti corpori omnibusq; partibus communis est unitas. Quare universi corporis sanitas si explicari debeat ita definiri

niri debet, quod ſit bona ſimilarium temperies, & organorum integra fabrica, cum utrarumque partium naturali unitate: Hæ naturales conſtitutiones partium ſi immutentur, totidem morborum genera neceſſariò oriuntur. Quare tria erunt prima & ſumma morborum genera: unum, partium ſimilarium diſcraſia ſive intemperies: alterum, partium diſſimilarium mala compoſitio: tertiò, utriſque communis, unitatis ſive continuitatis ſolutio. *Tria ſumma morborũ genera.*

Tribuitur temperies & intemperies propriè ſimilaribus & non diſſimilaribus: ſicut mala compoſitio tantum organicis: quia totius ſimilaris (ut carnis totius & omnium particularum) una natura eſt: & eadem temperies in toto & ſingulis partibus ineſſe ſolet, quod in diſſimilaribus evenire nequit: Deinde ſimilaria quatenus ſimilaria non requirunt certam figuram aut determinatã quantitatem: ſed ſub quâvis figura & magnitudine ſuam naturam ſervant: at pars organica certâ figurâ, quantitate & partium poſitu indiget, ſine quibus nec nomen nec naturam inſtrumenti acquirit. Incipiunt quidem actiones omnes à ſimilaribus, ſed à diſſimilaribus perficiuntur. Deinde ſimilarium intemperies per ſe conſideratæ diſpoſitiones otioſæ non ſunt, quæ actiones tantum impediunt: ſed quæ ſenſibiliter, pro naturâ ſuperantium qualitatum, corpus alterant, & movent: quod non faciunt morbi compoſitionis, qui impedimenta potius ſunt actionum, ut in obſtructionibus apparet: transferuntur enim humores de uno loco in alium, quia cava ſunt. Si igitur cavitas eſt cauſa expediti tranſitus humorum, cavitatis illius occluſio ſive obſtructio erit cauſa impediti tranſitus. Eadem eſt ratio in cæteris morbis compoſitionis. *I. Intemperies propriè ſimilaribus debetur.*

Oritur autem intemperies ubi Elementorum debita proportio non eſt, nec ea qualitatum contra- *Species intemperiei.*

 riarum

riarum temperies, quæ functionibus naturalibus competit: sed vel una sola tres cæteras vincit & exuperat, vel duæ reliquas duas. Ergo octo erunt intemperies: quatuor simplices, ubi una tantùm qualitas exuperat, nimirùm, calida, frigida, humida, vel sicca: quatuor compositæ sive conjugatæ, quæ compositis morbis annumerantur: nimirùm, calida humida, calida sicca, frigida humida, frigida sicca. Hæ intemperies vicissim multis modis distinguuntur; Primò, ratione antecedentis causæ. Sic alia intemperies cum materia dicitur, sive cum causâ antecedente ex humorum affluxu & vitio, alia sine materiâ: Deinde ratione subjecti, alia intemperies est in habitu & confirmata, quæ difficulter solvitur: alia in habitudine inchoata, quæ minus stabilis est: Præterea alia est æqualis in omnibus membri partibus similis, alia inæqualis, dissimilis & in unâ intensior in aliâ remissior: aut quæ partes ipsas inæqualiter afficit. Verùm in priori differētia morbus cum morbi causâ confunditur: cæteræ differentiæ accidentales sunt: ac etiam pluribus specie differentibus inesse poterunt. Sub intemperie cum materia comprehenduntur à Galeno tumores, qui fiunt ex humore collecto in parte, de quarum differentiis infra, & capite de causis morborū dicem⁹.

Non datur morbus similaris à materia aut forma

Plures non sunt similarium morborum species, quàm ex inæquali primarum qualitatū commixtione. Qui verò à Fernelio morbus materiæ dicitur (ut immoderata raritas, densitas, laxitas, astrictio actionem lædens) per se propriè similaris non est, sed parti organicæ debetur ut infra apparebit. Præterea similaris morbus á tota substantiâ aut formâ nullus proprè est: Forma enim substantialis indivisibilis est, nulli contraria, quæ intensionem & remissionē nō suscipit: Sanitas verò & morbus magis & minus sustinēt, & in indivisibili consistere nequeunt.

unt. Quare ratione formæ ſubſtantialis morbus nullus erit, ſed tantùm conſtitutionis, quæ conſequitur formam: nimirùm temperamenti, ſtructuræ, & unitatis, quæ variè mutantur manente eâdem membrorum ſubſtantiâ: niſi fortè in his tantus fiat receſſus, ut omnis diſpoſitio & apparatus materiæ pro formâ conſervandâ planè pereat. Nam corrupto prorſus naturali temperamento forma ſubſtantialis permanere nequit.

Secundum genus morborum eſt mala compoſitio, ubi appropriata organi alicujus conſtitutio ſive compoſitio per ſe labefactatur. Labefactatur autem quatuor modis: quia naturalis organi conſtitutio quatuor requirit, *ut in Phyſiolog. capite 4. demonſtratum eſt*. Ergo quatuor erunt genera morborum organicorum: unum conformationis, alterum numeri, tertium magnitudinis, quartum conſenſus & ſitus.

Secundũ genus morborũ, mala compoſitio.

Morbus in compoſitione quadruplex.

Conformatio, primùm, ratione partium externarum, ſub ſe comprehendit figuram & ſuperficiem: ratione internarum, meatus per quos feruntur ſucci: & cavitates: quorum unum ſi à naturali ſtatu recedat morbus conformationis oritur.

Primũ genus vitiatæ conformationis tres ſpecies.

Quare prima ſpecies morbi conformationis eſt vitiata figura, ſcilicet ſi membri alicujus naturalis figura ita immutetur, ut actiones illius impediat: id fit, ubi ea quæ recta ſunt curvantur: aut quæ curva recta evadunt: quod nonnullis in utero accidit, aliis à partu: ut apparet in varis, vaciis, claudis, ſimis, ac in iis, qui ex confractis oſſibus malè curati ſunt, & in arthriticis nonnullis.

1. Morbus in figura.

Secunda ſpecies eſt vitiata ſuperficies. Vitiatur autem ſuperficies, ſi quæ lævis eſſe debet exaſperetur, aut quæ aſpera, lævigetur. Quare duæ erunt vitiatæ ſuperficiei ſpecies: una lævitas non naturalis: ut in lienteriâ: altera aſperitas, qualis faucibus interdum accidit, quæ tuſſim excitat.

2. Morbus in ſuperficie.

Ter-

3. Morbi in meatibus & cavitatibus duplex.

Tertia ſpecies malæ formationis eſt in meatibus & cavitatibus, quarum variæ ſunt differentiæ; quæ tamen omnes ad duo cõmuniſſima genera reducuntur, nimirùm ad meatuum dilatationẽ & anguſtiam. Dilatatio eſt quando meatus nimis patent, vel ob partium raritatem, vel immodicam apertionem. Sub hac igitur comprehendimus ἀναστόμωσιν, quando orificia vaſorum nimis patent & aperiuntur, & διαπήδησιν quando tunicæ vaſorum nimis relaxantur & rarefiunt, ut humores effluant.

1. Dilatatio.

2. Anguſtia, quæ quinque ſpecies habet.

Anguſtia verò multiplex eſt, ut à multiplici causâ oritur; unde etiam denominatur. Hæ cauſæ vel in vaſis conſiſtunt, vel extra vaſa: Si in vaſis, oritur ſubſidentia vel contractio, quando in ſe meatus arctius coëunt; vel coaleſcentia, quando particulæ & tunicæ uniuntur: vel conſtipatio, quando à carnis excreſcentia, meatus imminuitur, qualis accidit orificio veſicæ ex ulcere: vel denique obſtructio, ubi à materiâ non naturali occluditur. Si verò cauſa extra fuerit, meatum comprimens, oritur cavitatis conſtrictio ſive oppreſſio aut compreſſio. Præterea figura partis vitiata meatum aliquem interdum lædit: & tum morbus fit cauſa morbi.

Secundum genus morbi compoſit. in magnitudine, Cuius duæ ſpecies ſunt.

Secundum genus morbi organici naſcitur vitio magnitudinis, quando pars ſupra naturæ modũ excreſcit vel infra ſubſiſtit. Quare duæ hujus ſpecies erunt, una morbus auctæ magnitudinis, quando magnitudo partis ita præter naturam augetur, ut actionem ejus impediat. Cujus generis eſt ἐγκάνθις excreſcentia carunculæ lacrymalis: ſub hoc genere quoque continentur omnes tumores præter naturam, ſive ortum habeant ab humore collecto in parte, ut phlegmone, œdema, Scirrus, &c. ſive à parte decumbente, ut ἐντεροκήλη, ἐπιπλοκήνη, qui morbi ſunt in magnitudine aucta cũ vitiato ſi-

tu

tu & conſenſu, ſivè à carnis excreſcentia, ut ὑπερσάρκωσις, σαρκοκήλη, &c. Altera ſpecies eſt morbus diminutæ magnitudinis, quando pars præter naturam imminuitur: ut in Atrophiâ, Phthiſi, Rhœade, & ſimilibus apparet.

Tertium genus morbi compoſit. in numero.

Tertium genus morbi organici numeri vitio evenit: & vel in exuperantiâ, vel defectu alicujus præter naturam conſiſtit. Exuperantia autem illa eſt tantum rerum non neceſſariarum, aut accreſcentium iis, quæ naturalia habitu ſunt, ſub ſpecie partis ut ſextus digitus in manu; πτερύγιον in oculo; polypus in naribus: aut toto genere præter naturam; ut lumbrici in inteſtinis: calculi in renibus, & veſicâ: ſuffuſio in oculo, contenta in abſceſſibus; item verrucæ & calculi. Morbi hæc dicuntur non per ſe, ſed in numero reſpectu membri, cui inſident & adhærent, tanquam partes præter naturam ſuperadditæ, organi illius ſtructuram vitiantes, & ſua præſentia ejus functiones impedientes, alioqui calculus in renibus & veſica, quando meatus & vias claudit, anguſtiæ reſpectu, morbi cauſa tantum eſt. Defectus verò eſt ſubſtantiæ naturalis, non qualis in diminuta magnitudine, ubi ad numerum pars integra manet, ſed ubi vel ex toto membrum aliquod radicitùs perit, ut manus, lingua, &c. vel de integritate membri particulâ aliqua decedit, ut digiti portio &c. quod in mutilatis ſæpè videmus.

Quartum genus morbi compoſit. prava connexio & ſitus.

Quartum genus morbi malæ compoſitionis conſiſtit in depravato ſitu, & connexione ſive conſenſu: In ſitu, quando partes naturalem ſitum non habent, aut à loco naturali abeunt: cujus generis ſunt, luxatio, ἐντεροκήλη, ἐπιπλοκήλη, procidentia uteri, &c. In connexione autem ſive conſenſu, quando mutua partium ſocietas violatur, & ea uniuntur, quæ uniri non debent: ut in coaleſcentia

labio-

labiorum, & palpebrarum, in ſtrabismo & ſimilibus.

Tertium genus morborum. Solut. continui.

Ultimum & tertium genus morborum utrisque, tàm ſimilaribus quàm diſſimilaribus commune eſt: ut ſolutio unitatis. Nam tàm ſimilaribus quàm diſſimilaribus unitas & partium cohærentia debetur: ſed alio atq; alio modo: unde fit ut ſolutio unitatis nunc per ſe parti ſimilari tribuatur, ex accidenti toti organo, ſcilicet cum particulæ unitas tantum ſolvitur, ut in ulcere & carie; eaque diviſio ſimilaris à nonnullis continui ſolutio propriè dicitur: nunc per ſe toti organo convenit: ſed ex accidenti, particulæ: ut cum una aut altera particula à toto organo ſeparatur & avellitur; nimirum quando ἀποσπάσματα fiunt: eaque diviſio diſſimilaris, à nonnullis ſolutio contigui propriè vocatur: aliquando & toti organo & particulæ ſimilari per ſe: ut, ſi ligamenti alicujus unitas in ſe ſolvatur, & ſimul membro non cohæreat.

Differentia ſolut. contin. ratione ſubiecti.

Continet ſolutio unitatis ſub ſe varias differentias, pro partis ſubjectæ & cauſarum diverſitate. Nam ratione ſubjecti, partib⁹ carnoſis propriè vulnus & ulcus tribuitur: item carnoſis & mollibus, ruptio & contuſio: oſſibus fiſſura, fractura, caries: nervis propriè convulſio, & fibrarum divulſio: organicis partibus, ἀποσπάσματα. Ratione verò cauſæ quadruplex eſt: Primò, ab acri erodente materiâ in carnoſo genere eſt ulcus, in oſſe caries: ſecundò, à cauſâ incidente, ſecante, pungente vulnus: tertiò, à valido & duro corpore irruente, contuſio & illiſio in partib⁹ mollibus; fractura in oſſibus: quartò, à replentibus, contrahentibus, diſtrahentibus, diſtentio, & diſruptio.

Ratione cauſæ.

De morbis compoſitis.

Hæc ſunt prima & ſimpliciſſima morborum genera, eorumq; ſpecies, quibus corpus humanum contra naturam afficitur. Afficitur autem corpus huma-

humanum vel in unâ parte, vel pluribus; idque aut ſimplici aliquo morbo, aut compoſito. Componuntur autē morbi illi ſimplices multis modis: aut generis ejuſdem, ut intemperies cum intemperie: vel generis diverſi ut intemperies cū mala compoſitione aut unitatis ſolutione: Deinde componuntur, vel in unâ particulâ exquiſitè, ut in tumoribus ex coacervatione humoris in parte, qui intemperies ſunt cum aucta magnitudine, & ſolutione unitatis, vel in diverſis particulis unius organi: veluti, ſi oculus ſimul ſuffuſione, corneæ ulcere, & ophthalmia laboret. Compoſitæ autem intemperies, de quibus ſupra dictum eſt, aut puræ ſunt ſine antecedente causâ & affluxu humorum, aut cum affluxu: is humor eſt ſanguis, pituita, bilis flava & nigra, aut ex his commixta: qui humores in parte coacervati ſi diſtentionem fecerint, oriuntur tumorum præter naturam varia genera. Nam calida humida intemperies cum ſanguine φλεγμώνη dicitur: calida ſicca cum bile, ἐρυσίπελας: frigida humida cum pituita οἴδημα: frigida ſicca cum melancholia tumorem durum faciens σκίῤῥος vocatur. At ſi miſti fuerint humores, à vincente humore tumores illi nomen præcipuè ſumunt: veluti ſi vincat ſanguis, & adſit bilis, pituita, aut melancholia, φλεγμώνη ἐρυσιπελατώδης, οἰδηματώδης, aut σκιῤῥώδης dicitur, eadem in cæteris ratio. De quib[9] in cauſis morborum. Tandem ubi corpus in diverſis partibus afficitur morbi oriūtur, vel planè disjuncti, qui nullā communionem habent: id eſt, nec eaſdem actiones lædunt, nec una alteri cauſa eſt: vel impliciti ſunt, qui uni eidemq; actioni officiunt; vel connexi & conſequentes, quando prior poſterioris cauſa eſt. Quomodo autē id fiat ſupra demonſtratū eſt. Hæc ſunt genera & differentiæ morborum, deſumptæ à

morbi

morbi eſſentia: Cæteræ differentiæ vel accidentales ſolùm ſunt: vel à certis diſtinctiſque partibus corporis oriuntur: quæ tamen ſub his continentur: licèt ex appoſitione ſubjecti intelligantur & definiantur: Ac quoque vocabulis συνδεδυασμένοις ferè ſemper exprimantur: veluti, pleuriſis & angina inflammationes quidem ſunt non ſimpliciter: Verùm hæc faucium; illa membranæ ſuccingentis coſtas.

Differentiæ morborum accidentales.

Hactenus de eſſentialibus morborum differentiis, quibus genera & ſpecies morborum propriè conſtituuntur: Verùm præter has differentias, aliæ quamplures apud medicos reperiuntur, quæ accidentariæ tantùm dici debent, quia genus aut ſpeciem morbi non propriè conſtituunt, ſed tantùm ad conditiones & proprietates nonnullas explicandas inſerviunt, deſumptæ non ab eſſentia morbi, ſed vel ab accidentibus eſſentiam morbi conſequentibus, qualia ſunt morbi magnitudo, motus, mos & eventus, vel à ſubjecto, vel à cauſis, de quibus omnibus in ſpecie dicemus.

Differentia à magnitudine morbi.

Primùm autem morbus omnis ratione magnitudinis, quæ nil aliud eſt, quàm quantitas receſſus à naturali ſtatu, vel eſt magnus vel parvus, quibus addi poterit horum & ſimilium reſpectu intermedius. Judicatur autem morbi magnitudo ex magnitudine propriorũ ſymptomatum: Proinde morbus in ſua ſpecie magnus eſt, qui magna adfert ſymptomata, parvus, qui parva: Attamen non uno modo à medicis morbus magnus dicitur, nam communiter magnus vocatur, qui magnum periculum vitæ minatur, aut ad mortem ducit, vel per ſe ſimpliciter, vel ratione functionis læſæ vel virium ægri, unde nonnulli morbi ſua natura magni dicuntur; ut vulnus cordis, gangræna: Aliqui reſpectu aliorum, idque vel in toto genere morborũ, ut Peſtis, Apoplexia,

Morbus quot modis magnus aut parvus dicatur?

xia,&c. Vel in sua specie, ut fortis Apoplexia: Nonnulli ratione partis affectæ, aut functionis læsæ ad vitam necessariæ; ut inflammatio jecoris, &c. Aliqui ob vires ægri debiles, licèt morbus in sua specie magnus non sit, unde evenit ratione functionis læsæ, aut virium ægri, ut morbus aliquis dicatur magnus, qui natura parvus est; ut levis Apoplexia in senibus. Peculiariter verò morbus magnus appellatur, qui à magna causa fovetur, morbum fovente viresque ægri opprimente, ut febris acuta à plenitudine, quæ magnum remedium venæ nimirum sectionum propriè indicat.

Secundò motus totaq; duratio morbi, quæ definitur motione causarum morbificarum, dividitur communiter in quatuor tempora, principium, augmentum, statum & declinationem, quæ tempora vel universalia sunt totius decursus morbi, omniumque causarum, vel particularia partis alicujus morbi. Principium autem morbi est, quando causæ illæ agere incipiunt, & natura nondum manifestè resistit, ac parva actionis læsio est. Augmentum verò quando causæ illæ vehementius agunt, & natura manifestè resistere incipit, aut morbificam causam aliquatenus immutat. Status morbi vocatur, quando vehementissima est lucta, naturæ & morbi, quo tempore concoctio & symptomata adhuc omnia vigent. Tandem declinatio est, quando natura superat morbum, & actio læsa imminuitur. Quod si verò in illa lucta morbus naturam planè superat, aut saltem ea morbo resistere nequeat, mors necessariò sequitur: quod non solum in statu fit, sed etjam in augmento & principio fieri potest, nunquam propriè in declinatione. Quare morbus lethalis hæc omnia quatuor non habet. Sola tempora universalia considerantur in illis morbis, qui non habent periodos, sed cōtinenter à principio ad finem

2. Motus & duratio morbi.

Tempora morborũ.

moventur, ſine ulla remiſſione. At in iis, qui remiſſiones aut intermiſſiones habent, præter quatuor univerſalia in ſingulis paroxiſmis quatuor etiam tempora particularia conſiderantur. A motu ſive duratione morbi duplices ſumuntur differentiæ: Quædam à quantitate durationis: Aliæ à modo durationis. A quantitate autem omnis morbus, vel brevis vel diuturnus & longus dicitur. Brevis autem morbus eſt, qui velociter movetur & ad terminum ſive declinationem citò pervenit ut Ephemera. Diuturnus contra ut hydrops; Nam quicquid velociter aut tardè movetur, citò aut tardè ad terminum pervenit. Quod ſi morbus brevis ſimul & magnus fuerit acutus propriè vocatur. Ut enim in voce acutum eſt, quod auditum celeriter & cum vehementia movet, ita acutus morbus propriè eſt, qui celeriter & cum vehementia movetur, aut ſubitò ad ſtatum pervenit, ſive quatuor tempora univerſalia morborum celeriter percurrit, ac proinde cum periculo agit. Acutorum autem morborum magna eſt latitudo & multiplex varietas, prout mutatio magis vel minùs vehemens & velox eſt: Quò enim mutatio major & violentior, eò morbus acutior. Proindè morbus acutus à medicis dividitur, in peracutũ, acutum ſimpliciter, & acutum ἐξ μεταπτώσεως: Deinde peracutus in exquiſitè peracutum, & non exquiſitè. Exquiſitiſſimè peracutus eſt, qui vehementiſſimè & velociſſimè ad ſalutem vel mortem movetur, ſive ad ſtatum & criſin citiſſimè tendit: Id fit tertio aut ad ſummũ quarto die, qualis eſt Apoplexia & interdum Peſtis. Non exquiſitè peracutus tardior paulò eſt, & ad ſeptimum uſque diem producitur. Acutus verò ſimpliciter dictus, ſi exactè talis eſt, ad decimumquartũ diem protrahitur: ſi non exactè, ad vigeſ. tantum. At acutus ἐξ μεταπτώσεως, i. ex degeneratione, ad quadrage-

Differẽtia à quantitate durationis morbi.

Morbus brevis.

Longus.

Acutus morbus eiusq; differentia.

simum diem pervenit. Post quadragesimum diem qui finiuntur morbi, dicuntur longi & diuturni.

Differentiæ à modo motus morbi.

Deinde modus motus aut durationis morbi dependet à motione causarum morbificarum, aut consideratione partium morbi, cujus ratione alii morbi continui dicuntur, qui continuò affligunt, & in tota sua duratione ad intermissionem aliquam non deveniunt. Hi si uno eodemq; motu continenter moveantur sine omni remissione, non solùm continui, sed etiam continentes vocantur, ut Febris illa, quæ Synochus dicitur: Sin intentiones & remissiones habeat, certasq; periodos, continui simpliciter erunt ut tertiana continua, &c. Alii morbi intermittentes dicuntur, qui ad integritatem sive perfectam intermissionem deveniunt, quod morbifica causa in continuo motu non sit, sed certis quibusdam periodis quiescat, deinde moveatur. Proinde quot sunt periodi, tot erunt morbi particularia tempora. Dividitur tamen tota periodus intermittentiũ in paroxismũ, ubi causæ morbificæ moventur, & intermissionẽ quando quiescunt, & morbus non affligit. Paroxismus verò omnis quatuor illa tempora particularia comprehendit. Itaq; in intermittentibus quinq; sunt tempora particularia.

Morbus continuꝰ, continens.

Simpliciter continuus,

Intermittens.

Tempora intermittentium.

Quid typꝰ & periodus morbi.

Morbi qui continenter non moventur, sed cum intermissione & remissione, typos & periodos habent. Est autem propriè typus ordo intentionum & remissionum in morbis: Periodus verò tempus illius intentionis & remissionis. Differunt typi & periodi pro differentia morborum, nam quælibet species morbi, quæ intentionem & remissionẽ suscipit, suum typum & periodum habet. Verùm à Galeno typi alii dicuntur primi, qui parvam accessionem, longam intermissionem habent: Alii contra secundi: Ita nonnulli permanentes, quando paroxismi iisdem horis redeunt: Alii mobiles quandò

tardius,&c. de quibus latius agemus in prognosticis & disputationibus de Febribus.

3. Different. à more morbi, benign⁹, malignus.

Tertiò ex more & modo morbi, qui colligitur ex supervenientibus symptomatibus, morbi aliqui mites sive benigni vocantur: Alii sævi & maligni; nonnulli mediam rationem habent. Maligni autem sunt, qui sæviora & majora inferunt symptomata, quàm quæ pro ratione essentiæ propriæ illis conveniunt, benigni verò contra: Sic Febris parva aut vulnus si sæva & vehementia inducat symptomata, malignus affectus vocatur,&c.

4. Differ. ab eventu morbi, salutaris, lethalis.

Tandem terminatur morbus omnis, vel ad salutem vel ad mortem, idq; vel per se simpliciter, vel mediante alio: unde omnis morbus vel salutaris sive curabilis; vel lethalis, incurabilis, & uterque vel simpliciter talis, vel secundum quid. Simpliciter autem salutaris, qui cum certa laborantis salute & perfecta solutione desinit: ut tertiana pura intermittens: Item Febris ardens, ubi ad perfectam crisin pervenerit: & contrà simpliciter lethalis, qui vires valdè prosternit,& suâ naturâ ad mortem ducit. Secundum quid salutaris vel lethalis morbus est, qui immediatè ad sanitatem vel mortem non tendit, sed in alium affectum permutatur, & morbum curabilem vel incurabilem post se relinquit: Veluti pleurisis mutatur interdum in περιπνευμονίαν, aliquando in ἐμπύημα.

Differentia morbi à subiecto.

Hactenus de differentibus morbum consequentibus. Cum autem morbus accidens sit & esse habeat à subjecto, pro varietate subjecti & modo, quo in subjecto acquiritur,& subsistit complures erunt differentiæ.

1. A natura & temperamento ægri.

Vocabulo subjecti comprehenduntur natura, temperamentum, sexus, ætas, partes affectæ,&c. Undè ratione naturæ, aut temperamenti ab *Hippoc. 34. Aphoris. sect. 2.* morbi alii dicuntur naturæ familiares & cognati, qui similes sunt:

Alii minus cognati. Ita juvenibus Febres biliosæ & acutæ familiares sunt, senibus non. Deinde ratione sexus alii morbi virorum sunt ut Priapismus: Alii fœminarum, ut affectus uteri. Tertiò ratione ætatis ab *Hippoc. 3. Aphor.* morbi nonnulli vocantur puerorum, ut Epilepsiæ, &c. Aliqui juvenum ut Febres ardentes, Phthisis: Quidam senum ut Apoplexia, &c. *2. A sexu. 3. Ab ætate.*

Quartò ratione partium affectarum alii morbi universales dicuntur ut Febris, Marasmus, qui totum corpus afficiunt: Alii particulares, qui partem aliquam peculiarem, ut Ophthalmia, Angina. Præterea morbus omnis, quatenus acquiritur in subjecto aut dicitur in fieri tantum esse, aut in facto tantùm, aut partim in fieri partim in facto. Item vel consistit in habitu vel in habitudine, & functionem lædit, vel per se, vel per consensum, de quibus differentiis suprà dictum est. *4. A partib' affectis. 5. A modo quo in subiecto subsistit.*

Tandem ex causis non paucæ oriuntur differentiæ medico necessariæ; Causæ autem illæ, aut sunt internæ, aut sunt externæ, ut sequenti Cap. dicemus. A causis potissimum sumuntur illæ differentiæ quibus dicuntur morbi nonnulli exquisiti & legitimi, qui genuinam suam naturam in corpore obtinent à genuinis propriisq; causis. Alii contra spurii & illegitimi. Deinde alii hæreditarii vitio seminis & materni sanguinis: Alii à nativitate vitio conformationis in utero. Pleriq; ascititii ab aliis causis post partum. Præterea ab humoribus alii morbi sanguinei vocantur ut Synochus, Phlegmone; Alii Biliosi ut Tertiana exquisita, Erysipelas: Quidam Pituitosi, ut Quotidiana, Oedema: nonnulli Melancholici, ut Quartana, Scirrhus. Hi omnes vel exquisitè tales sunt ab unica propria causa ut febres & tumores legitimi: Vel nothi ex commistione humorum, veluti ex redundantia bilis, cum *Differẽtiæ à causis morborũ. 1. Morbi legitimi & nothi. 2. Hæreditarii à nativitate. Ascititii. 3. Ab humoribus sanguinei, Biliosi, &c.*

pituita, Tertiana notha, Erysipelas œdematodes, &c.

4. *A loco & regione Sporadici.* Tandem respectu locorum & regionum in quibus complures laborant à *Gal. comment. in 1. Epid.* quidam morbi sporadici vocantur nim. morbi specie diversi, qui eodem tempore grassantur: Alii *Pandemii* πανδημιοὶ morbi speciei ejusdẽ, qui plures eodem tempore infestant. *Endemii.* Pandemii autem vel ἐνδημιοὶ sunt, qui unam aliquam regionem vel locum semper tenent, & illius loci vitio potissimum eveniunt; Unde vernaculi & patrii morbi dicuntur. Talis est scorbutus ad mare Balthicum, &c. *Epidemii.* Vel ἐπιδημιοὶ, qui certo quodam tempore in una vel pluribus regionibus grassantur, multosq; simul infestant: Hi aliquando benigni sunt, plerumq; maligni & perniciosi, qui pestes & pestilentes morbi propriè vocantur. *Pestilentes morbi.* Hactenus de præcipuis morborum differentiis, cæteræ per se facile intelliguntur.

DE MORBORUM CAUSIS IN GENERE.

Caput II.

Quanta sit necessitas cognitionis causarum in medicina. CUM nihil sine causa fiat, & teste Philosopho, tùm demum cujusq; rei effectusq; essentiam perfectam, cognitamq; habeamus, ubi causas ejus proprias perfectè cognoverimus, Medico imprimis causarum illarum cognitio necessaria erit, quibus sanitas humani corporis conservatur & immutatur. Nam sine ea, (ut admonet *Galenus 1. & 2. Methodi*) impossibile Medico erit, morbos dextrè curare, aut præcavere; ac sanitatem certa methodo conservare. Requirit enim Medicina, ut effectus in suas causas proximas & ad-

adæquatas resolvam[9], & demonstratione cognoscamus, quemadmodũ alibi demonstratum est. Quare de causis illis in genere, nunc potissimum agemus.

Causa omnis in relatione ad effectum dicitur, omneq; illud causa vocatur, quod ad effectum producendum concurrit: sive ei quod fit, partem generationis confert. Confert autẽ dupliciter, vel *per se*, suaq; propria insita vi, quatenus effectum sibi similem gignit, vel *per accidens*, alterius interventu, quatenus videlicet actione sua dissimilem vel contrarium sibi effectũ producit, ut, si vomitus vomitu curetur, aut si tetanus in juvene robusto, æstate media, tollatur subita affusione aquæ frigidæ: *Per se* autem causa Galeno est, quæ ex sua natura, ei quod fit, partem generationis confert. *Per accidens* causa contra, quæ non sua vi, sed alterius interventu.

Quid causa & quotuplex?

Quid sit causa per se & per accidens?

Deindè in effectus cujusq; productione quatuor causæ per se necessariò concurrunt: ac ut Aristoteles demonstrat, quatuor tantum sunt per se causarum genera, ad quæ etiam causæ per accidens reducuntur: quarum duæ *Internæ* dicuntur, quia intrant constitutionẽ effectus, *materia*, subjectum scilicet mutationis in quo & ex quo fit aliquid: deinde *forma*, quæ mutatione aliqua introducitur in materiã: Duæ *Externæ*, *Efficiens*, principiũ mutationis in alio, quatenus aliud, & *Finis*, causa illa, cujus gratia res aut effectus ab efficiente producitur. Verùm finis duplex est, unus, qui finit motũ in subjecto, finis internus; qui in rebus naturalibus à forma revera nõ differt, & à Galeno *Scopus* vocatur; alius, qui formã sequitur, *finis* scilicet *externus*, usus rei, unde à Galeno *utilitas* vocatur. Hæ causæ Medico cognoscẽdæ sunt: Nam scopus artis medicæ autore Galeno, est ipsa sanitas, forma motu acquisita: finis & utilitas, est sanitatis possessio; scilicet, ut muniis ad vitam necessariis fungi valeamus; & ut mole-

Quatuor sunt genera causæ, per se & per accidens.

finis et Scopus Medicinæ

ſtiis careamus,meliusq; vivamus. Subjectum, eſt corpus humanum, partesq; viventes. Cauſa efficiens, omne illud quod ſanitatem in corpore conſervat & morbum depellit.

Morbi & ſanitatis cauſæ.

Quare morbus ſanitati contrarius idem ſubjectum habebit, ſive materiam in qua, non ex qua, cum accidens ſit. Nam humor, materia morbi non eſt,ſed propriè efficiens: Deinde uſum & finem naturalem morbus propriè non habet, ſed terminum, uſui ſanitatis contrarium, nimirum, *functionis læſionem*; & ſi augeatur,*mortem*. Gignitur autem morbus,quando pars à naturali termino & ſtatu,ad non naturalem movetur: Reſtituitur ſanitas & curatio perficitur, quando à non naturali ad naturalem reducitur. Quia verò contrariorum contrariæ efficientes cauſæ ſunt; cauſæ morborum,contrariæ erunt cauſis ſanitatis, ac vice verſa: atque ita ex ſe mutuò intelliguntur.

Quomodo à Medicis vox cauſa ſumatur?

De his ſolis efficientibus morborum cauſis, nunc præcipuè dicemus: nam Medici cum Platone,pro eodem vocabulo *cauſa & efficientis* plerumque utuntur, adeò, ut ubicunque Galenus cauſæ mentionem ſimpliciter facit, effectricem ſolam intelligat. Per hanc, non ſolùm morbus ex potentia materiæ educitur,ſive in ſubjecto gignitur, ſed etjam,ſi immediata fuerit,morbum illum de ſuo ſubjecto primo demonſtrat, ac eodem planè modo à morbis ſymptomata oriuntur, & per morbos ut cauſas efficientes cognoſcuntur.

Definitiones perfectæ morborum.

Quare ea perfecta morbi alicujus definitio erit,quæ per cauſam propriam, affectum ad certum ſubjectum reſtringit,& quæ immediatè ſequuntur, accidentia propria explicat. Veluti,Apoplexia;ſi pro morbo ſumatur,perfectè definitur, obſtructio ventriculorum cerebri; & carotidum. animales functiones repentè tollens, ab humore craſſo, affatim irru-

irruente & occludente. Sin ut ſymptomata conſideretur, definitur, privatio repentina functionis animalis, ab obſtructione ventriculorum cerebri, ex humore craſſo affatim irruente: ita, vel una definitione natura morbi, & proprii ſymptomatis cognoſcitur, & ſimul per propriam cauſam, affectus ad certum ſubjectum reſtringitur.

Efficiens autem cauſa, quatenus effectus adhuc producitur, *1. de locis Affectis*; definitur id, quo nos tangente, paſſio generatur, & quo diſcedente, quieſcit. Ex paſſione verò oritur affectus, ut alibi dictum eſt; ac proinde mediante paſſione aut mutatione aliqua ſubjecti, affectus omnis à cauſa efficiente producitur. *Definitio efficientis cauſæ.*

Verùm effectrix cauſa per ſe, ſimpliciter, nec paſſionem, nec affectum ullum producit, *ut Gale. 2. de Cauſis morb. declarat*, niſi hæc tria concurrant; 1. Vis efficientis ſatis valida & magna. 2. Spacium temporis paſſioni debitum. 3. Aptitudo materiæ, quibus addi poterunt, ſitus conveniens efficientis & materiæ, ut ſcilicet materiam ritè contingat, ſive ex contactu agat. Sub efficientis vi ſatis magna comprehendimus. I. genus & gradum qualitatis; à qua actio: alia enim qualitas magis, alia minus efficax in ſuo genere eſt, & quælibet qualitas quatuor gradus habet: Deindè comprehendimus juſtam magnitudinem cauſæ efficientis; & debitum numerum: ac tandem, motum effectui congruentem. Quia verò partes temporis, partibus motus ſemper correſpondere debent, in omni mutatione legitimum tempus neceſſariò requiritur: Verùm nulla fit mutatio, ſine aptitudine materiæ: apta autem eſt materia, quæ efficienti cauſæ facilè cedit, minimumq; reſiſtit: quæ verò difficilè cedit, plurimumque reſiſtit; ἀνεπιτήδειος Indiſpoſita dicitur. *Tria ſunt requiſita ut efficiens certũ effectum producat.* I. II. III.

Divisio causæ efficientis.

Omnis autem efficiens causa morborum, vel *Evidens & manifesta* est; vel *Occulta & latens*. Evidentes causæ, omnibus sensu notæ sunt, ad quarum cognitionem nulla conjectura opus est; Hæ à Galeno *Procatarctica*, id est, *praincidentes*, item, *recentes causa*, dicuntur; A veteribus, *occasiones morborũ*; à plerisq; *externa causa*; licèt omnes extrinsecus tantum non adveniant, nam nonnullæ intrinsecus proveniunt, sive à nobis excitantur, ut affectus animi, & exercitia: Sed externæ dicuntur, quia omnibus extrinsecus patent, & inter ea non numerantur, quæ corpus nostrum constituunt. *Occulta* verò causæ sunt, quæ interius latent, & non sensibus, sed artificiosa conjectura cognoscuntur, unde internæ causæ communiter dicuntur.

Evidens sive procatarctica causa.

Causa Occulta.

Evidentium causarum divisio in necessarias, & non necessarias.

Evidentes autem causæ duplices sunt, aliæ, quæ necessariò nobis occurrunt, & sine quibus vivere non licet: Aliæ contra, quæ nulla necessitate obveniunt, & quas declinare possumus. Hæ omnes causæ, sua natura noxiæ non sunt, & secundũ propriam rationẽ actiones nec lædunt nec juvant, præcipuè verò illæ, quæ necessariò nobis occurrunt, undè à rebus secundũ naturam, & contra naturam, distinguuntur, & à Medicis peculiari nomine, *Res non naturales*, dicuntur, quia eorum moderato usu sanitas conservatur: immoderato usu, morbi gignuntur: quare Causæ salubres, nunc insalubres, vocantur, in quibus moderandis pars artis medicæ, de Tuenda sanitate, consistit.

Res non naturales sex sunt.

Eiusmodi res non naturales sunt tantum sex; nimirum, 1. *Aër*, 2. *Cibus, potus*, 3. *Retenta, excreta*, 4. *Somnus, vigilia*, 5. *Motus, quies*, 6. *Animi pathemata*. Cæteræ causæ procatarcticæ ad vitam necessariæ non sunt, sed fortuito nobis obveniunt, ut casus, ictus lapidis, gladii & similia infinita, quæ arte medica prævideri semper nequeunt. Ex illis autem

sex

ſex rebus non naturalibus, ut à mediocritate recedunt, duæ materiam & pabulum gignendis morbis præbent, nimirum, *alimenta ſupra modum aucta*, & *excrementa immodicè retenta.* Cæteræ magis ſua qualitate ſubjectas corporis partes & contenta alterant. Primùm autem AER, qui nos ambit, & quem reſpirando attrahimus & emittimus, magnam vim habet in alterandis noſtris corporibus. Nam cum aëre ne momento quidem carere poſſimus, fit ut nos continenter afficiat, & in ſuam qualitatem alteret. Conſideratur in aëre qualitas modusq; ſubſtantiæ. Aër autem qualitate temperatus, deinde in ſua ſubſtantia tenuis, ſerenus, purus; corpus & contenta in bono ſtatu conſervat; contrà aër intemperatus, inſtabilis, peſtilens, craſſus, caliginoſus, corruptus. Talis redditur aër, propter diſpoſitionē vel temporum, vel locorum, vel regionum, vel cœli ex vario ſyderum poſitu, aut maligno influxu, vel quia vapores noxios à terra aut aquis ſuſcipit. Igitur ſub aëre hoc loco comprehendimus diſpoſitiones temporum anni, locorum, & regionum, de quibus in Phyſiologicis capite de Temperamentis dictum eſt. Calida autem aëris conſtitutio, qualis accidere conſuevit æſtate ſub cane circa meridiem in regionibus calidis flante auſtro, Humores partim extenuat & diſcutit, partim adurit, bilem auget & acuit, ac morbos acutos gignit, ſpiritus inflammat, & non ſolùm calorem præter naturam in toto excitat, ſed etiam corpora extenuando porosq; aperiendo calorem nativum evocat & diſſipat, &c. Contrà frigida diſpoſitio aëris, quæ hyeme potiſſimùm evenit, noctu flante borea aut aquilone in regionibus frigidis per ſe humores incraſſat, aut intra corpus coërcet, partes exteriores denſat, poros occludit, undè deſtillationes &c. Verùm niſi ita augeatur, ut violentia frigoris ad interiora pertingat, & calorem nati-

1. Aër quib⁹ modis corpora afficiat.

vum viſcerum extinguat aut debilitet, per antiperiſtaſin ſpiritum cum ſanguine ad interiora revocat; undè melior appetentia, &c. Sicca aëris intemperies, qualis eſſe ſolet initio autumni, aut in ſicca cœli conſtitutione, flante euro, in locis arenoſis; corpora denſa, dura ſolidaq; efficit & extenuat, putredines quidem coërcet, & ſuperfluos humores abſumit, ſed ſimul eos, qui reliquuntur in corpore exiccat & incraſſat, à quibus obſtructiones fiunt, ſi caliditati conjuncta ſit, humores adurit, atram bilem gignit, &c. Contrà humida aëris diſpoſitio qualis contingit in pluvioſa aëris conſtitutione, manè in locis humidis, circa initium veris, corpora mollia, laxa & debilia reddit, ſpiritus obfuſcat; Humores ſuperfluos accumulat; caloremq; nativum obtundit; à quibus cruditates, deſtillationes, obſtructiones, &c. oriuntur, potiſſimum ſi intemperies frigida ſit conjuncta, ſin cum calida putredines gignit, & putridos, peſtilenteſq; morbos excitat. Similis ratio eſt craſſi & caliginoſi, quæ eſt humidi, ſed ſpiritus magis obfuſcat, & calorem nativum vireſq; corporis & animi degravat. Præterea inæqualis aut inſtabilis aëris conſtitutio, ut quando eodem die modò frigus, modò calor ſit, teſte *Hipp.4. Aph.3.* autumnales, id eſt inæqualis, conſtantes maliq́ue judicii morbos expectare oportet. Tandem aër corruptus aut parva & peſtilenti qualitate affectus à cœli impreſſione, vel quia non perflatur, vel quia pravos halitus ex terra aut aquis ſuſcipit, corpora noſtra ſua qualitate inquinat, & morbos epidemicos peſtilenteſq; gignit. Poſt aërem ſequitur cibus & potus, quorum legitima adminiſtratione & uſu ſanitas conſervatur; illegitima omnis generis morbi generantur. Conſiſtit legitimus uſus, in debita alimentorum forma, & quantitate, qualitate, tempore & modo, ut in Therapeuticis capi. de Diæta demon-

2. *Cibi & potus quomodo nos lædant.*

demonſtratur. Quare læditur ſanitas, primùm ubi non ſervatur idonea diætæ forma & quantitas, nimirùm ſi aut plenior victus formâ ſit, majorq; alimenti copia exhibeatur, aut tenuior victus minorque alimenti copia, quàm neceſſitas exigit, vireſq; requirunt. Nam à multis fomentis ſive alimentis; calor nativus debilis, qualis in ſenibus obruitur & extinguitur, perindè ut parvus ignis à multis lignis injectis; contra defectu ſive paucitate ciborum corpus conſumitur, ipſeq; calor nativus elangueſcit, ut docet *Hipp. 14. aph. 1.* Eadem ratio eſt in modo cibandi, quæ eſt in quantitate, ſi ſæpè plus cibi offeratur, quàm natura poſtulat, vel rarò minusque. Peculiariter ubi plus alimentorum ingeritur, quàm modo naturæ conveniat, oritur teſte *Gal. Com. 17. aph 2.* πλησμονὴ, quæ interdum pro omni repletione tàm ciborum, quàm humorum ſumitur, *ut 22. Aph. 2.* Propriè pro repletione ciborum, quæ à Latinis ſatietas vocatur. Ex repletione cibi oritur in venis repletio humorum, plethora aut cacochymia multorum morborum cauſæ. Nam quando natura illam ciborũ copiam in bonum ſanguinem convertit, fit plethora; ſi nequeat, gignuntur cruditates, variæq; cacochymiæ ſpecies. Contrà, inedia aut ubi minus cibi aſſumitur, quàm natura exigat, non ſolùm humores in vaſis, ſed etiam ſubſtantia partium, ſpirituum, & caloris nativi conſumitur, vires debilitantur, Deindè humores crudi concoquuntur, & evacuantur, ſed corrupti & bilioſi concitantur, & in furorem aguntur. Cibi potusque ut quantitate, ita quoq; qualitate aliqua alterando nos lædunt. Proprium autem medicamenti eſt corpus noſtrum alterare; alimenti verò quatenus alimentum à corpore noſtro alterari, & in ſubſtantiã ejus converti; attamen multi cibi potusq; utramq; vim habent, nimirùm alendi ob ſimilitudinem ſubſtantiæ;

tiæ; & alterandi ob qualitatem exuperantem, quæ in corpore ſano ſimilem intemperiem efficit, in ægro contrariam temperat; Cujus ratione dum cibi à natura concoquũtur, in ſimiles qualitatis humores facilè convertuntur, undè calidi cibi calidam intemperiẽ, calidosq; humores gignunt; frigidi frigidos, &c. Lædit quoq; cibus, ſi idoneo tempore non aſſumatur, nimirũ hora non conſueta, priore cibo nõ concocto, nec ventriculo exonerato. Nam tempus hoc antevertere cruditatis, obſtructionum, aliorumq; morborũ cauſa eſt. Protrahere verò diuq; famem tolerare, ventriculũ pravis humoribus replet, &c. Tandem varii cibi non debito ordine aſſumpti morbos quoq; efficiunt, ut ſi primò aſſumantur, qui longum tempus ad concoctionẽ in ventriculo requirunt, deindè qui citò conficiuntur, & in ventriculo diutius retenti in pravos ſuccos corrumpuntur, &c. de quib. omnibus latius in capite De Diæta dicetur. Tertiò ad vitam conſervandam *retenta & excreta* pertinent, Ubi enim, quæ accommodata ſunt ad alendũ ſecundũ naturæ modum retinentur in corpore, deinde evacuationes naturales aut conſuetæ, utilesq; procedũt ac evacuantur, quale, quantum, quando, aut quomodo oporteat, ſanitas corporis conſervatur; ſi aliter procedant, morbi generantur. Naturales evacuationes hîc voco per alvũ, urinas, & habitum corporis, bilis ex veſicula fellis ad inteſtina, &c. Conſuetas utilesq; ſeminis in viris & fœminis juſtæ ætatis, & peculiariter menſtrui ſanguinis in fœminis, in nonnullis ſanguinis per hæmorrhoides, per nares, item muci è naribus, &c. Nam ubi retenta à naturæ modo recedunt, veluti ſi ſanguinis copia in venis redundaverit, oritur plethora: ſin qualitate peccaverint aut naturales vel conſuetæ evacuationes ſupprimantur parciuſvè quam pro naturæ modo fluant; ſequetur excremen-

3. Retenta & excreta qua ratione lædũt.

mentorum inutilium corruptorumque humorum proventus, cacochymia, cachexia, oppressio virium calorisque nativi, &c. Verùm ubi expelluntur utilia, quæ retineri debent, ut sanguis, aut utilia cum inutilib⁹, aut inutilia intempestivè, immodica quantitate, non debito modo, aut per non naturales vias; calor nativus viresq; omnes exhauriuntur & dissolvuntur, corpus consumitur, & ab his varii morbi generantur. Nam plurimum replere, aut evacuare naturæ inimicum est. Quarto loco inter res ad vitam necessarias collocantur *somnus & vigilia.* Nam vigiliæ per se sunt functiones primi sensus; somnus verò functio non est, sed functionis quies à natura instituta, ut vires defatigatæ vigiliis resiciantur. Deinde vigiliæ ad distributionem alimentorum per corpus & excrementorum expulsionem, somnus magis ad concoctionem confert: utriusque igitur moderatus usus sanitatem tuetur & conservat: immoderatus labefactat & corrumpit. Nam somnus immodicus spiritus caloremque nativum obruit, & suffocat, vires enervat, crudorum humorum & excrementorum copiam in corpore accumulat, &c. At vigiliæ diuturnæ supra naturæ modum, substantiam spirituum & caloris nativi dissolvunt, vires corporis exhauriunt, concoctiones impediunt, bilem accendunt, sensus mentemque perturbant, corpora exiccant & extenuant, &c. Quintò similis ferè ratio est in *motu & quiete*, sicut in somno & vigiliis. Motus autem sive exercitationes corporis moderatæ, ante cibos peracta concoctione, calorem nativum excitant, spiritus agiliores reddunt, corpus roborant, undè melior concoctio & excrementorũ omniũ evacuatio. Contrà ociũ & intempestivæ exercitationes officiunt. Nam ocium & consuetæ exercitationis remissio, calorem nativum obruit, & obtundit, vires omnes

4. Somnus et vigilia quomodo sanitatem lædant.

5. Motus & quies qua ratione nos afficiant.

omnes enervat, evacuationes impedit, ac excrementorum vitiosorumq; humorum copiam auget, &c. At immodici labores & exercitationes calorem nativum & spiritus exhauriunt, vires corporis dissolvunt, humores dissipant, aut commovent, concoctiones impediunt, vasa interdum disrumpunt, corpus gracile & biliosum reddunt, &c. Tandem vehementes animi perturbationes non minùs, quàm immodicæ corporis exercitationes nos lædunt, quatenus cum impetu spiritum & sanguinem vel ad cor revocant; vel ad exteriora effundunt. Nam primùm timor & tristitia, quia calorem ad interiora revocant, partes externas refrigerant, calorem nativum obruunt, cor premunt, vires omnes debilitant; undè pulsus parvi, rari, debiles, aliquando syncope, præcipuè à timore, qui non sensim ut tristitia sed confertim spiritum ad cor revocat, & ubi natura debilis est, tanto cum impetu nonnunquam, ut vires omnes resolvantur & suffocato calore nativo in corde mors subsequatur. Deinde tristitia non minùs quàm timor totum corpus refrigerat & siccat, vigilias inducit, concoctiones vitiat, sanguinem melancholicum morbosq; melancholicos efficit. Gaudium autem profusum ita vehementer Spiritum à corde interdum effundit, ut dissipetur, & cor deserat, quare in iis, qui natura debiles sunt, syncopen, & repentinam mortem aliquando inducere solet. Ira verò repentè spiritum effundit cum copia caloris effervescentis adhuc circa cor: cujus ratione spiritus primùm, deinde humores accenduntur & concitantur, totumq; corpus incalescit & pro dispositione corporis omnis generis febres calidæque intemperies generantur. Verecundia & Agonia mixti motus sunt, & inæquales; sed Agonia cum sit vehementior compositus ex ira & metu amborum pericula indcit. Cætera de legitimo & ille-

Perturbationes animi quomodo lædant.

illegitimo uſu ſex rerum non naturalium explicabuntur *in Therapeut. capite de Diæta.* Hæ cauſæ procatarcticæ ad vitam neceſſariæ ſunt; cœteræ non neceſſariæ, ſub quibus comprehenduntur contagium & venena.

Quid contagium? Eſt autem *Contagium*, quod ab uno in alium transfertur, vel mediatè, per mutuum contactum, ut in ſcabioſis, vel immediatè, per quædam μιάσματα ſive ſeminaria, ſub halitus & vaporis ſpecie aëri communicata; aut corpori quod fomitis rationem habere poteſt; ita peſtis graſſatur, & phthiſici aliorum pulmones, lippi aliorum oculos halitu inficere ſolent.

Quid venena? *Venena* verò ſunt corpora cordi inimica, & humanæ naturæ corruptiva: *Inimica* dico; quia temperamentum cordis & calorem nativum principaliter diſſolvunt, licèt alias partes etiam lædant: talia vel à venenatis beſtiis ejaculantur, vel aſſumuntur, aliquando etiam adhibentur; & lædunt, nunc qualitate prima, nunc ſecunda, aliquando proprietate ſubſtantiæ.

Omnes causæ procatarcticæ ad 4. capita à Galeno reducuntur. Omnes hæ cauſæ procatarcticæ tàm neceſſariæ, quàm non neceſſariæ, ad quatuor illa capita, quæ *1. de Tuen Sanitat. à Galeno enumerantur*, reduci poterunt, ſcilicet, *ad aſſumenda, evacuanda, adhibenda, & agenda*. 1. Ad aſſumenda pertinet cibus & potus, item medicamenta, venena, & ſimilia. 2. Ad vacuanda, ea quæ naturaliter excernuntur, & præter naturam retinentur; 3. Ad adhibenda, aër, & quæcunq; extrinſecus corpus alterant, contundunt, ſecant, divellunt, &c. 4. Ad agenda, exercitia, motus, vigiliæ, quibus opponuntur quies, præterea animi affectus.

Internarũ causarum diviſio. *Occulta* ſive Interna cauſa originis ſuæ reſpectu, vel *Congenita & Nativa* eſt, vel *Aſcititia*: Congenita, in utero ab ipſo ortu contrahitur: *Aſcititia*

Congenita causa. Ascititia.

verò; post ortum. Contrahitur autem in ortu, vel ex ipsis generationis principiis, & vitio uteri, vel externo aliquo errore, in formatione partium. Ac primum, naturali actione caloris nativi in humidum, corporis cõstitutio, sensim, decursu ætatis, ad mortem usque immutatur: præter naturam, à prava partium gignentium dispositione vitia quædam semini & materno sanguini communicantur, quæ iisdem fœtus partib9 innascuntur, unde morbi hæreditarii, ut phthisis, calculus, lepra, & similia: atq; hæ causæ occultæ, ipsi substantiæ partium insunt, ut seminarium morborum; vel aptitudo ægrotandi, propter quàm à levi quacunq; causa immutãtur: aliquando fœtus in ùtero ipsum morbũ contrahit.

Origo morborũ hæreditariorum.

Alia divisio internarum causarum.

Verùm causæ omnes internæ, prout ad morbum producendum concurrunt, dividuntur in προηγουμένας, id est, *Antecedẽtes*, & συνεκτικὰς, id est, *Continentes*. *Antecedens* propriè causa est, quæ effectum antecedit & per se propriè tantisper durat, actuque movet, donec effectus constituatur, sive continens morbi causa in actum deducatur: Constituto enim effectu desinit motus; & propriè causa antecedens actu adesse non dicitur. Nihilominus continens sub antecedente interdum contineri dicitur, ut plenitudo, & antecedens & continens causa à *Gal. lib. contra Iulianum*, vocatur; verùm illa tantum antecedens fit cõtinens, quæ cum morbo permanet, & immediata morbi causa est. Nam *Continens* causa, est propriè immediata & adæquata ipsius morbi causa, quæ autore Galeno, in ipsa effectus generatione essentiam habet, sive, cum effectu esse incipit, effectumq; perpetuò fovet, ut pars essentialis morbi, ac qua posita ponitur, sublata tollitur effectus. Quare continens est per se causa, quatenus morbi actu sunt, à quorum essentia separari nequit; similiter, morbi sunt continentes causæ suo-

Quid causa Antecedens?

Quid causa Continens?

ſuorum propriorum ſymptomatum, veluti humor craſſus, infarctus ventriculis cerebri, continens cauſa eſt apoplexiæ, ſive obſtructionis ventriculorum; & tamdiu, durat, quàmdiu ipſa obſtructio: Similiter, obſtructio illa, eſt continens cauſa repentinæ privationis functionis animalis. At antecedens & procatarctica, tantùm ſunt cauſæ rerum in potentia, vel adhuc motu naſcentium, ſive morborum in fieri: quare ſublato motu & paſſione ſubjecti, permanet plerumque morbus, ſed propriè nec antecedens, nec procatarctica cauſa. Ita ignis calidæ intemperiei cauſa eſſe poteſt; quatenus alteratione ſua intemperiem gignit, non quidem intemperiem actu fovet; & craſſus humor, cauſa antecedens obſtructionis dicitur, quatenus obſtructionē gignere poteſt, & motu ſuo meatū occludit, aut obſtructionem adhuc gignit, & nō quia ingenita permanet & actu obſtructionem continet, ita enim continens cauſa eſt. Nam propriè antecedens cauſa continentem in actū deducit, & antecedentē procatarctica.

Nō omnes cauſa neceſſariæ ſunt ad cuiuslibet morbi productionē.

Quare in univerſum tria erunt cauſarum genera: verùm, ad cujusq; morbi productionē omnes neceſſariæ non ſunt, ſiquidem procatarctica cauſa aut extrinſecus corpori aut contentis vim infert, ideò morbos excitat nunc per ſe ſola, nunc per antecedentes cauſas, Deindè, cauſa antecedens cum ſe actu movet, (poteſt enim latere) aut per ſe morbum facit, aut mediante continente; & tum tres cauſæ concurrere poſſunt: ſed Continens cauſa cum morbo incipit, & ut pars eſſentiæ morbum continuò fovet: quare à Contentiva ſumitur indicatio ſemper curativa, à cæteris tantum præſervativa.

Argenterii & Iouberti opinio de cauſa continente.

Sunt nonnulli, qui in morbis Continentem cauſam eſſe dicunt nō debitam proportionem conſtituentium, ſive exceſſum & defectum componentium, ut in intemperie calida, calor auctus in parte,

proportionem quam cum aliis qualitatibus habet, vitiat: Vitiata proportio qualitatum, excessu caloris partis constitutionem lædit, sive intemperiem calidam introducit: Quare illam vitiatam proportionem, sive excessum caloris, continentem causam intemperiei calidæ vocant: Nam non tollitur illa intemperies, nisi proportio corrupta à contrario, ad mediocritatem reducatur. Verùm ejusmodi proportio vitiata qualitatum excessu caloris in parte, ab ipsa constitutione sive intemperie calida propriè non differt, & formalis causa potius est.

Quibus morbis propriè tribuatur causa continens.

Propriè autem illis morbis tribuitur continens causa, qui causam habent in parte permanentem & foventem, quæ sibi similem in parte non generat, nec se multiplicat, quod plerisq; morbis Organicis convenit, & nonnullis in solutione continui; qui à materia distendente fiunt. Omnes autem morborum internæ causæ, vel in Continentibus sunt, id est, in ipsis partibus solidis, vel in Contentis; quibus addi poterunt spiritus. Ac primum, ab ortu vitio seminis & materni sanguinis ipsis partibus solidis causæ morborum hæreditariorum innascuntur: unde alii aliis morbis magis à natura obnoxii & oportuni sunt: ita, qui longo collo, & angusto pectore sunt Phthisi; qui angustas venas habent, obstructionibus; qui sicco & tenui corpore sunt hecticæ; qui calido & humido corpore, putridis morbis.

Qua ratione morbus fiat morbi causa.

Præterea figura partis vitiata; aut tumor comprimens, meatum aliquem simul offendere solet, atq; ita in parte morbus fit morbi causa. Verùm, contentorum vitia morbi esse nequeũt, sed vel causæ morborum, ut partis alicujus constitutionem lædunt, vel symptomata, quatenus vitiatam constitutionem consequuntur.

Contenta duplicia sunt,

Contenta autem duplicia sunt, alia naturalia, quæ naturaliter ex alimentis gignuntur, omnibusque

que

que insunt, qualia sunt, humores alimentarii, & excrementitii, veluti, chylus, sanguis, pituita, bilis utraque, item feces, urina, semen, lac; His addi poterunt vapores utiles, ac etiam spiritus: Alia non naturalia sunt, quæ præter ordinem naturæ insunt, ut, pus, calculus, grando, vermis, flatus, fumosi vapores, & similia. Hæc sua natura noxia sunt, & inter causas insalubres semper numerantur: illa verò natura sua noxia non sunt; sed ubi naturæ legibus tenentur causæ salubres, ubi à naturæ modo discedũt, insalubres & morborum effectrices vocantur: Discedunt autem à naturæ modo vel quantitate sola, vel qualitate sola, vel utraque.

1. Naturalia.

2. Non naturalia.

Contentæ trifariam à natura modo discedunt.

Ac primum qualitatis vitia, sunt vel in primis qualitatibus; excessus scilicet caloris vel frigoris, ac similia, &c. vel in secundis, ut lentor, crassities, acrimonia, malignitas, &c. veluti, si flava bilis in vitellinam aut atram convertatur, sanguis aduratur, & ex pituita naturali, salsa efficiatur. His addi poterunt putredo, inquinatio, & curruptio humorum. Præterea sub qualitate vitiosa comprehenduntur substantiæ alienæ & non naturales in corpore, ut calculi, lumbrici, pus, &c.

Vitia contentorum in qualitate.

Deinde, quantitatis vitia in contentis propriè duo sunt, *Exuperantia*, ubi supra naturæ modũ augentur, & *Penuria*, quando infra naturæ modũ deficiunt. Spiritibus verò unicum vitium quantitatis ratione accidit, nimirum, penuria. Verùm excrementorum immodica excretio, ac consuetarum vel temporariarum evacuationum, ut urinæ, fecum, hæmorrhoidum, mensium, & similium suppressiones, quia sensibus manifestæ sunt, evidentibus causis annumerantur; propriè verò, ut excrementa illa in corpore continentur & latent, morbosque redundantia sua excitant, antecedentes causæ vocantur.

In quantitate.

De Plethora eiusq; differentiis.

Propriè autem & simpliciter solius sanguinis redundantia, deinde, omnium quatuor succorum æqualiter se habentium, *Plethora* dicitur: Impropriè verò, redundantia bilis flavæ, atræ, aut pituitæ, plethora aliquando vocatur, sed cum adjectione tantum, nimirum, *plethora biliosa, plethora melancholica, plethora pituitosa.* Nam ubi humor alius à sanguine solus redundat, *Cacochymia* propriè dicitur. Omnis plethora duplex est, aut quo ad vasa, vasorumq; capacitatem, aut quo ad vires. Plethora autem quo ad vasa est, quando humores tanta cōpia redundant, ut vasa in tumorē attollant, & distendant. Atque hæc plethora, si boni sanguinis sit, cum totius corporis rubore & tumore & pulsus magnitudine conjuncta erit, ac corporibus sanis, præcipuè verò juvenibus bono & liberali victu utentibus, accidit. Plethora verò quo ad vires, sive quæ viribus confertur, est, ubi ea tantum copia humorum fuerit, quæ vires corporis gravat & premit, & non propriè, quæ vasa distendit: quod evenit, ubi virtus aliqua occasione debilis, nequit copiam illam gubernare, unde à natura relicta, putrescit, & gravem Cacochymiam inducit. Fit non rarò, ut vasa nimia copia distendantur, & simul vires premantur, & tum conjungitur plethora, quæ ad vasa, cum ea, quæ virib⁹ confertur, unde oritur composita plethoræ species. Cacochymia propriè est omnis vitiosi humoris in corpore redundantia sivè vitio viscerum sive alimenti, quæ duplex primùm est: una cum humor alius à sanguine quantitate modum exuperat, scil. bilis flava, melancholia, aut pituita, unde cacochymia biliosa, vel melancholica, vel pituitosa est, vel ex his composita. Altera quandò qualitas humoris vitiatur quantitate conveniente servata, veluti si sanguis, aut humor alius ita corrumpatur vel putrescat, ut à natura nō regatur, hæc cacochy-

Cacochymia quid & quotuplex.

cochymia cũ ſenſu gravitatis conjuncta eſt, & pulſu inæquali, proindè non minùs, quàm plethora quoad vires virtutẽ premit. Cauſæ autem omnis redundantiæ humoris in corpore vel externæ vel internæ ſunt; quæ viciſſim ad tria genera reduci poterunt; aliæ enim propriè efficientes ſunt; quædã materiam ſuppeditant; cæteræ humorẽ genitum præter naturæ modũ in corpore detinent. Efficiens autem cauſa ſanguinis eſt calor moderatus, modiceq; humidus; bilis calor immoderatus ſiccus, magis adhuc moderatus, ubi gignitur bilis atra; cauſa pituitæ eſt calor debilis humidusque, melancholiæ ſiccus.

Cauſa omnis redundantia humorum tripli ces ſunt.

Quarè ut à plethora incipiamus, Cauſæ redundantiæ ſanguinis in corpore efficientes ex internis ſunt calida humida corporis conſtitutio, præcipuè jecoris & cordis, adoleſcentia, deindè ætas Juvenilis; ex procatarcticis vernum tempus, regio aërisvè conſtitutio temperata, vita ineunda ſine curis; materiam ſuppeditat, victus plenior, & liberalior ex alimentis boni ſucci multi nutrimenti, qualitatis moderatæ, ſubſtantiæ mediæ, cujus generis ſunt, carnes pullorũ gallinaceorum, perdicum, turturum, vituli, hœdi, Juniorũ animaliũ caſtratorum, ova recentia, panis ſimilagineus, fermentatus, benè coctus, piſces ſaxatiles, vinum dulce, rubrum, &c. Detinent aut colligunt ſanguinem in corpore, ocium, & ſolita exercitatio intermiſſa, ſuppreſſio conſuetæ alicujus evacuationis ſanguinis per uterum, hæmorrhoides, nares, phlebotomia conſueta omiſſa, &c. Cacochymiæ bilioſæ cauſæ efficientes primùm ſunt viſcerũ intemperies calida ſicca, quæ ſi augeatur, bilem flavam in vitellinã, hinc in atram convertit, deindè ætas Juvenilis, tempus æſtivum, aërisq; conſtitutio calida ſicca, vigiliæ, ira, exercitationes & labores immodici: materiam ſuppeditant diæta ex alimentis calidæ ſiccæ qualitatis,

Cauſa redundãtia ſanguinis ſive plethora.

Cauſa cacochymia bilioſæ.

tenuis substantiæ, quæ plerumq; vel aëria sunt, vel dulcia & pinguia; detinent in corpore suppressio evacuationis bilis à jecore & vesicula fellis ad intestina, consueta purgatio bilis omissa, &c. Similiter cacochymiæ melancholicæ causæ sunt, sicca totius corporis, aut præcipuorum viscerum constitutio, ætas ingravescens, tempus autumnale, aërisque status inæqualis, interdum calidus siccus, interdum frigidus siccus, vigiliæ, curæ, solicitudines, timor & tristitia, labores immodici; Materiam potissimum suppeditant alimenta crassi succi, terrenæ substantiæ, siccæ qualitatis, ut caro animalium seniorum non castratorũ, caro cervina, caprina, bubula, leporina, carnes & pisces fumo indurati, aut sale conditi, legumina, brassicæ, caseus vetus, panis furfuraceus, potus vini nigri crassi, &c. Colligunt & detinent in corpore suppressio consuetæ evacuationis melancholiæ per uterum aut hæmorrhoides, aut lienis venarumq; obstructione, solita purgatio melancholiæ prætermissæ, &c. Quartò redundantiæ humoris pituitosi causæ sunt præcipuorum viscerum frigida humida intemperies, caloris nativi tanta debilitas, ut alimenta perfectè nõ concoquat, sed cruda relinquat, ætas decrepita, tempus hybernum, otium, animi tranquillitas, locus palustris, somnolentia, frequens balneatio à cibo; materiam suppeditant ebrietas, ingluvies, alimenta refrigerantia, humectantia, ut caro agnina, & animalium ociosè viventium, pisces & volucres degentes in aquis palustribus, fructus, fungi, potus vini, aut cerevisiæ recentis, &c. Detinentur & coacervantur pituitosi humores in corpore, suppressione consuetæ evacuationis pituitæ per vomitum aut alvi dejectionem, per nares, urinas sive spontè, sive auxilio artis, exercitationes solitæ omissæ, &c. Tot modis peccant nimia copia quatuor humores in corpore, à

Causa redundãtiæ melancholiæ.

Causa redundantiæ pituitosi humoris.

sua

ſua natura degenerant, & pravam qualitatem ſive corruptelam contrahunt; primùm ob pravam viſcerum intemperiem, ut in leproſis, &c. Vel quia aduruntur, veluti quando bilis flava aut melancholia in atram bilem transmutatur, &c. Deindè quia in corpore putreſcunt; putreſcunt autem ſive calor eorum nativus à peregrino corrumpitur, Ubi vaſorum natura per perſpirationem, & ventilationem naturale temperamentum conſervare, & juxta morem humoribus dominari nequit, propter obſtructionem ipſorum vaſorum, conſtipationem pororum cutis, & plenitudinem vires gravantem. Tertiò pravitatem cõtrahunt humores, ubi ex alimentis corruptis, praviq; ſucci & qualitatis generantur: tandem quia contagione quadam ab aëre vitiato, aliisque externis cauſis & inquinamentis corrumpuntur. His ſpecieb⁹ cacochymiæ adduntur à nonnullis redundantia ſeroſi ſive aquoſi humoris & flatus. Serum autem peculiaris humoris ſpecies non eſt, ut pituita: Nam quot ſpecies ſuccorum in venis continentur, tot ſpecies quoq; ſeroſi humoris ſunt; & quilibet humor ſuum ſerum habet, copioſiſſimè tamen provenit in iis, quorum viſcera frigida ſunt, jecur aut lien obſtructum, ex multo potu aquæ aut cerevisiæ tenuioris, ac ex cibis aquoſæ ſubſtantiæ, ut ſunt fructus horarii, &c. Detinent in corpore vis retentrix robuſta, expultrix infirma, ſuppreſſio urinæ & conſuetæ evacuationis per ſudores, &c. Flatus verò cruditatis ſoboles eſt. Nam generatur ab imbecillitate concoctricis ventriculi, materiam non perfectè transmutantis. Cauſa flatus eſt, debilitas caloris nativi in ventriculo contracta, ex intemperie frigida, ſine aut cum materia, vel per conſenſum ex obſtructione lienis & venarum meſeraicarum, &c. Materia ex qua fiunt flatus, eſt craſſa frigida genita vel intra corpus, ut humo-

Cauſæ corruptionis humorũ.

Cauſa redundantiæ ſeroſi humoris.

Cauſa flatuum.

res crudi, pituitosi & melancholici; vel extra, ut alimenta crassa cruda, aut sua natura flatulenta, qualia sunt fabæ, castanea, bulbi, rapæ, &c. De generatione flatuum latiùs capite de vitiis concoctionis dicetur.

Redundantia humorum secundum regiones corporis.

His modis humorum quantitas & qualitas vitiatur. Verùm redundantia illa, aliquando in toto corpore omnibusq; vasis continetur, interdum in una regione vel parte corporis. Regiones autem tres sunt. *Prima* complectitur ventriculum, intestina, venas mesaraicas, lienem, & simam partem jecoris. *Secunda*: Vasa corporis majora, à sima jecoris, scilicet, venam cauam, & arteriam magnam. *Tertia*: Venas & arterias minores, in ambitu totius corporis, & meatus partium. In singulis regionibus certa alimenti concoctio perficitur, & prior posteriori semper alimentum præparat, ut alibi dictum est. Sed posterior vicissim prioris vitia corrigere nequit, quare in singulis regionibus ac etiam regionis partibus, pro varia partium constitutione, varia etiam excrementa oriuntur; omnium interiorum morborum causæ. Nam in prima concoctione, vitio ventriculi aut alimentorũ, gignitur cruditas; & corruptio. Deinde in secunda concoctione, ex prava dispositione hepatis, & ministrantiũ, scilicet, lienis & vesiculæ fellis, aut vitio chyli, sanguis vitiatur: Unde Cacochymia biliosa, pituitosa, vel melancholica in vasis majoribus relinquitur.

Dupliciter coacervatur in parte materia vitiosa.

Præterea in tertia regione, ejusq; singulis partibus, varia excrementa coacervantur, partium plerumque vitio, quæ alimentum suum non perfectè concoquunt & assimilant, nec excrementa sua discutiunt & aliena expellunt, Nam coacervatur in parte materia vitiosa, vel per *Congestionem*, vel per *Fluxionem*. Per congestionem, quando in parte gignitur proprio illius partis vitio; scilicet, ob debilitatem

tatem

tatem virtutis concoctricis & expultricis. Per fluxionem verò; quia aliunde humorem suscipit, sive ab alia parte demandatur, & mittitur, vel partis mittentis ratione, vel recipientis, vel utriusque. Verùm de his omnibus alibi latius agemus. Tandem ex tertia concoctione in partibus redundant interdum nonnulla, quæ vel naturalia sunt, ut semen & lac, vel præternaturalia, ut pus & sanies, quæ diu detenta in corpore, morbum efficiunt. Nam semen præter naturam detentum corrumpitur, & interdum calorem nativum strangulat, pessimaque symptomata inducit, *ut docet Gal. 6. de Locis Affect. cap. 5.* Lac redundans in mammis non multò leviora mala inducit. Pus & sanies in parte diu retenta exulcerat, & depascit, febremq; excitat, &c. Redundantiæ utilis succi aut humorum opponitur Inanitio.

1. Per congestionem. 2. Per fluxionem.

Communiter Inanitio est absentia vel defectus cuiusque corporis necessariò requisiti ad sanitatem conservandam: requiritur autem ad sanitatem debita quantitas substantiæ, partium solidarum, humorum & spirituum. Nam horum defectu sanitas labefactatur. Verùm quia partes & spiritus reficiuntur & nutriuntur ex humoribus; Ideo per Inanitionem intelligimus hîc potissimùm defectum utilium humorum, undè non modò corpus extenuatur, sed etiam substantia caloris nativi & spirituum dissolvitur. Causa inanitionis est calida sicca corporis constitutio, rara textura, acribus tenuibusque succis referta, vis retentrix debilis, expultrix valida, copiosæ evacuationes tàm sensiles, quàm insensiles, aër calidus siccus, inedia aut victus tenuis, vigiliæ, exercitationes, aut labores immodici, curæ, solicitudines, ac in summa, quæcunque substantiam corporis humorum aut spirituum dissipant aut consumunt.

Inanitionis causa.

Causarũ efficientium, alia est Primaria, alia adiuvãs, alia sine qua non.

Est præterea causarum efficientium, ut ad effectum concurrunt, alia differentia, nimirum, quod alia sit *Primaria & principalis*, quæ propria ratione & per se sola vim agendi habet; Alia *Adiuvans*, quæ propria quidem ratione, sed non per se sola agere potest, nisi cum primaria conjungatur. Quædam causa est *sine qua non.* quæ nec propria ratione, nec per se sola agit, sed ab iis quæ agunt, sejungi nequit. De causis morborum in specie sequenti capite dicemus.

DE MORBORUM CAUSIS IN SPECIE.

CAPUT III.

Causa morborũ partiũ similariũ.

DE communissimis omnium morborum causis earumque differentiis supra egimus, consequens est, ut in specie singulorum morborum causas seorsim proponamus, initio facto à morbis *similarium partium*, quarum constitutio læditur, vitiato temperamento sive proportione qualitatum primarum, excessu unius aut duarum; unde octo intemperies, quatuor simplices, quatuor compositæ, cum vel sine materiâ, ut jam dictum est. Hic excessus à causis externis potissimùm oritur, aut per se, aut quatenus contentis vim inferunt, causamque antecedentem in actũ deducunt, quæ ad quatuor communissima genera sc. adhibenda, assumenda, agenda, & excreta retentaq; reduci poterunt.

Causæ intemperiei calidæ quinque.

Ac primùm *discrasiæ calidæ* in parte aliquâ corporis vel in toto *quinq; causæ* præcipuæ à Galeno numerantur, nimirum vicinia & contactus rei calidæ. 2. Motus improbus. 3. Putredo. 4. Constipatio. 5. Assumpta, id est, alimenta & medicamen-

ta

ta calefacientia. Verùm hæ omnes pari modo non calefaciunt, ſed aliquæ tantùm per ſe immediatè; cæteræ, ut ad aliud reducuntur, quod actu ſuo vim calefaciendi obtinent.

Per ſe autem *vicinia & contactus rei calidioris* per continuam alterationem, qualitatem ſibi ſimilem corpori paullatim imprimit, ſive calidam intemperiem immediatè gignit, veluti aër ambiens ferventior vi ignis & radiorum ſolarium: mora in balneis diuturnior: item phlegmone, bubo, & ſimilia, à quibus continenter vicinis partibus calor diſtribuitur, & cordi interdum communicatur, undè febres. *1. Contactus & vicinia rei calida.*

Deindè ſub *motu* omnia ea continentur, quæ à nobis geruntur & proveniunt, ut ſunt exercitia, labores, curæ, ſolicitudines, vigiliæ, & ex animi adfectibus inprimis ira. Excitat autem motus intemperiem calidam non per ſe immediatè, ſed ut calorem nativum quaſi ſopitum, nimiâ agitatione ſuſcitat & diffundit, ac primùm ſpiritus & humores, deinde partes ſolidiores accendit. Unde febres generantur, verùm ille motus, qui calorem nativum cum ſpiritibus non tàm ſuſcitat & diffundit, quàm diſſipat & diſſolvit frigidam aliquando ſiccam intemperiem introducit. *2. Motus improbus.*

Tertiò *putredo* vel eſt humorum in vaſis, undè febres putridæ, vel in habitu partium, ut quando tumor ad ſuppurationem deducitur, aut pars à ſepticis medicamentis corrumpitur. Putreſcunt autem humores in vaſis, ob plenitudinem, aut obſtructionem à craſſis humoribus impactis. Quæcunq; verò putreſcunt teſte *Ariſt. 4 Meteor.* à ſua natura diſcedũt, & corrupto calore nativo præter naturalem acquirunt. Deindè in rebus externis, ut in ſtercore columbino videmus putredinem tantam vim caloris gignere, ut flammam interdum excitet & comburat. *3. Putredo*

Quar-

4. Constipatio meatuum. Quartò *constipatio* est *pororum cutis & meatuũ obturatio* à frigore condensante, à balneis aluminosis frigidis & similibus. Hæc catenus calorem non naturalem excitat & febres gignit, quatenus transspirationem impedit, sive fuliginosos vapores diffiari non sinit. Ut enim hypocaustũ calidum redditur, ubi accensi ignes, fores & fenestræ occiudun-tur, ita corpus nostrũ incalescit obstructis poris & viis per quas calidi vapores exspirare debeant. Nam vestes & stragula non aliter nos calefaciunt, quàm quòd exspirationes calidas impediant, quæ alioquin exhalarent.

5. Assumpta. Tandem *assumpta* ut sunt cibus, potus & medicamenta nõ uno modo calidos morbos procreant. Quædam enim per se qualitate acri calidaq; , ut esus allii, pot⁹ vini adusti; alia, ratione quantitatis aut erroris alicujus. Quantitas autem nimia alimentorũ, quia pabulũ calori suppeditat, aut quia obstructiones & constipationes facit, calidos morbos procreat: Eodem modo, quantitas exigua, & inedia; quòd pabuli defectu, calor in solidas partes vehementius agat, aut quia in cholericis bilem accendit, unde febres biliosæ. Aliquando errore victus, calidi adfectus excitantur, veluti, si, quæ facile concoquuntur, post alios cibos ingerantur, longiori morâ corrumpi & putrescere solent. Cum autem contrariorum effectuũ contrariæ per se causæ sint teste *Arist. lib. de Ortu & Interitu*, cognitis causis per se discrasiæ calidæ, facilè erit per se causas frigidæ colligere. Frigidam autem intemperiem per se inducit quod frigidum est, & immediatè sive contactu suo refrigerat. Verùm quia multa refrigerant, quæ per se frigida nõ sunt, *omnia refrigerantia Galenus ad quinq; capita præcipua reduxit*: ut sunt vicinia & contactus rei frigidæ. 2. Assumptorum quantitas & qualitas. 3. Corporis raritas. 4. Constipatio. 5. Motus immodicus, & ocium.

Frigidæ intemperiei causæ quinque.

Vici-

Vicinia & contactus rei frigidæ, item assumptorum & humorum frigiditas, immediatè intemperiem frigidam inducunt; cætera mediante alio aut quatenus calorem nativum κατὰ μάρανσιν dissolvũt & minuunt, aut κατὰ σβέσιν suffocant & opprimunt. *1 Viciniæ & contactus rei frigidæ.*

Deinde ut ignis marcescit subtracto fomite; ita *calor nativus minuitur subtracto caloris pabulo, id est, exiguâ alimentorum copia, inedia & evacuationibus copiosis*: & ut ignis pluribus admotis lignis opprimitur & exstinguitur; ita *calor nat. nimiâ alimentorum etiam optimorum copia suffocatur*, sive ut *Hipp 1. Aphor*. à multis fomentis exstinguitur: Idem faciunt cruditas, ingluvies, alimenta si non actu saltem potestate frigida. *2. Assumtorum nimis parva aut magna quantitas.*

Tertiò, ut flamma marcescit aëre ambiente nimis calefacto à calore externo vehementiori & validiori: ita *calor naturalis minuitur nimiâ raritate corporis, aut apertione pororũ ab aëre vel medicamentis calidis*. Nam raritas illa calorem nativum nimis exhalare & evolare sinit. *3. Corporis raritas.*

Præterea ut eadem flamma extinguitur obstructis fornacum foraminibus, aëre circumfuso nimis constipato; Ita *opprimitur calor nat. constipatione & condensatione corporis*. Nam fuliginosi vapores, qui per poros jamdiu conclusos exspirare non potuerunt, calorẽ nativum interdum obruunt, aliquando calor ipse intro coactus & conclusus primùm effervescit, deinde absumpto pabulo elanguescit. Constipatio corporis duplex est, una pororum, & meatuũ cutis, ab externis causis potissimum, ut aëre frigido, balneis astringentibus, &c. Altera venarum & arteriarum à causis internis præcipuè, ut à plenitudine, vasorũ obstructione & interceptione, quibus adduntur vincula partibus injecta distributionem caloris à corde impedientia. Hæc causæ si nullam transspirandi viam relinquant, calorem nat. *4. Constipatio.*

penitus

penitus obruunt, mortemq; inducunt. Si constipatio tanta non sit, exspirationem vaporum tàm fuliginosorum & acrium ab acribus humoribus, quàm halituosorum & benignorum à bono sanguine impedit. Sed ubi benignorum vaporum à bono sanguine impedita transpiratio est, nisi accedat exercitatio, plethora oritur; ubi verò fuliginosorum magna copia est, calor nat. plerumq; opprimitur: sin parva sit, febris tantùm excitatur. Tandem ut flamma ad sui incrementum eventilatione & motu indiget adventitio, sed non immodico. Nam sine omni motu languescit, & exigua flamma, si flabello leniter ventiletur, crescit; sin immodicè, dissipatur & dissolvitur: Ita *moderata exercitia nativum calor. conservant; immoderata disipant & dissolvunt, & substantiam spirituum & virium exhauriunt*, atque eâ ratione refrigerant. *Ocium verò & somnus calorem & spiritus torpescere sinunt.*

3. Immodicus motus & quies.

Siccæ discrasiæ causæ quatuor.

Tertiò *Causæ siccæ discrasiæ aliæ per se exsiccant; aliæ tantùm quia humores & humiditates dissolvunt & minuunt.* Ac *primùm* ex iis, quæ admoventur, exsiccant, aëris sicca constitutio, balnea sulphurea, salsa, aluminosa. *Deindè* ex assumptis medicamenta & alimenta siccantia, ut sunt salsa, acerba, item calefacientia, quæ humores dissolvunt, nimirum acria, præterea sitis, & alimenti paucitas. *Tertiò* nimia evacuatio sive manifesta, sive insensibilis, inprimis verò Venus immodica, ac siccorum quoque humorum scilicet bilis retentio, siccos morbos producit, item obstructiones & quæcunque distributionem sanguinis impediunt, unde partes defectu alimenti marcescunt. *Tandem* ex agendis, longæ & vehementes exercitationes, curæ, solicitudines, dolores, vigiliæ, &c. exsiccant, quatenus spiritus exhauriunt ac fomitem caloris nat. dissolvunt & dissipant, ac in summa corpus suâ naturâ siccum

in

in ſiccam intemperiem facilè incidit,non ſolùm nimio uſu rerum exiccantium,ſed etiam ſi plus è corpore transſpiret. quàm nutriatur,& præſertim ſi acceſſerint curæ, labores, vigiliæ immodicæ,&c.

Humidæ diſcraſiæ cauſa primùm in iis,quæ admoventur ſunt,aër humidus ex pluvia, & vento auſtrino,balnea aquæ dulcis præcipuè à cibo, frictiones molles. *Secundò* ex aſſumptis, alimenta & medicamenta humectantia, potus longior imprimis aquæ, ciborum copia,&c. *Tertiò* excretio humorum ſiccorum,& retentio humidorum nimirum pituitæ. *Tandem* ex agendis, ocium, ſomnus, lætitia, animi tranquillitas, mollis educatio, motio mediocris poſt cibos. *Humidæ diſcraſiæ cauſæ quæ tuor.*

His modis diſcraſiæ ſimplices oriuntur, *compoſitæ* verò *intemperies compoſitas habent cauſas*, & quot modis complicantur cauſæ,tot modis ſimplices diſcraſiæ. Quare ſi calida cauſa & ſicca ſimul in eodem coëant,calidus ſiccuſq; morbus concitatur. Eadem in cæteris cauſis non contrariis ratio eſt, unde intemperies compoſita calida humida,frigida ſicca,frigida humida. Verùm nō rarò contingit, ut contrariis ex cauſis corpus ex æquo lædatur & ſimul à calido & frigido, vel à ſicco & humido afficiatur, unde inæqualis intemperies oritur. Diſcraſiæ compoſitæ aut ſine materiâ & antecedente causâ ſunt; aut cum materiâ: quæ ſine materiâ, cauſas habent compoſitas de his, quas retulimus: quæ verò cum materiâ, unam habent cauſam immediatam,humorem aliquem, qui pro naturâ ſuâ corpus alterat: & interdum cum tumore præter naturam complicantur, aliquando ſine tumore ſunt. Nam ubi humor præter naturam in parte coacervatus & impactus eſt cum diſtenſione, oritur tumor præter naturam; ubi ſine diſtenſione in cavitate aut ſubſtantia partis tantùm collectus eſt,pro ſua *Compoſitarum intemperierū cauſæ.*

natura intemperiem cum materia producit: Veluti ſanguis, calidam humidam, pituita, frigidam humidam; bilis, calidam ſiccam, melancholia, frigidam ſiccam; mixti humores mixtam & inæqualem intemperiem.

Cauſa tumorũ præter naturam.

Tumores autem qui cum diſcraſiis compoſitis & inæqualibus ſæpè complicantur, ab humoribus in parte coacervatis diſtenſionemq; facientibus gignũtur. Coacervatur humor copioſus in parte duobus modis: primò *congeſtione*, quando in ipsâ parte gignitur & colligitur: deinde *fluxione*, quando aliunde in partem affectam confluit. Congeritur in parte humor, aut quia alimentum non ritè concoquitur, nec in ſubſtantiam partis convertitur; aut quia excrementa in concoctione redundantia non excernuntur & diſcutiuntur. Quòd autem in ſubſtantiam partis non convertatur, fit aut ex imbecillitate facultatis concoctricis, aut vitio alimenti attracti: quòd verò pars non ritè excrementa ſua expellat, ob imbecillitatem excretricis facultatis evenit; aliquando ob obſtructionem, aut conſtipationem meatuũ per quos excrementa evacuari ſolent.

Congeſtio.

In fluxione quatuor conſiderantur.

In fluxione autem, quæ nihil aliud eſt, quàm motus materiæ ab uno membro in aliud, *quatuor conſiderantur. Primò* membrum mittens ſive mandans, terminus à quo: *Secundò* membrum recipiens, terminus ad quem: *Tertiò* materia ipſa quæ movetur: *Quartò* ſpatium & via per quam.

1. Materia

Materia per ſe non movetur niſi tenuior ſit, ac viæ patentes ac proclives, ſed ab alio potiſſimùm concitata, & vel à membro mandante per ὦσιν pulſionem, vel per ἕλξιν. A mandante verò pellitur vi facultatis expultricis irritatæ nimiâ copiâ aut qualitate materiæ. Naturaliter verò partes nobiliores & robuſtiores ad ignobiliores & imbecilliores materiam inutilem ſemper deponunt, niſi impediantur:

2. Pars mandans.

tur:

tur: proinde quod ab omnibus robustioribus partibus expellitur, & nullibi cõsistere queat, ad omnium imbecillimam & debilissimam partem cutem scilicet tandem pervenit.

A membro recipiente attrahitur humor, præcipuè ob calorem non naturalem, minùs propriè ob dolorem quatenus dolor fluxiones concitat, vicinasq; partes commovet, ut spiritum & sanguinem tanquam auxiliares copias ad partem dolentem transmittat. Suscipit verò in se pars humorem influentem ratione imbecillitatis sive illa nativa, sive adsciticia sit: deinde ratione laxitatis meatuum: tertiò situs declivioris & consensus cum parte mittente. Redundat quidem materia copiosa in membro mittente per congestionem, vel per attractionem aut transmissionem, sed in eo non retinetur; verùm ubi molesta esse ceperit, vi & robore expultricis facultatis in partes imbecilliores extruditur, ac ut extrudi queat, conferunt materiæ tenuitas, viarum proclivitas & rectitudo, meatuum amplitudo. Quando autem in parte aliquâ humor per congestionem vel affluxionem collectus fuerit, eique impactus, à suâ naturâ necessariò discedit, & aliquo modo corrumpitur aut putrescit: interdum malignitatem aliquam acquirit, ac simul proprium partis nutrimentum, aliquando etiam partem ipsam in suam naturam convertit. Atque hinc intelligitur, quare morbi nonnulli ex intemperie cum materiâ intermissionem habeant, statisq; periodis & temporibus recurrant, nimirùm quia pars æquali tempore æqualia excrementa congerit aut aliunde suscipit.

3. Pars recipiens.

Quatuor viæ.

Hoc modo per fluxionẽ vel congestionẽ tumores gignũtur. Tumores præter naturã hîc tantũ intelligo, qui fiunt ab humore parti impacto: Nam tumores dupliciter oriũtur, uno modo ex humore im-

Causæ tumorum in specie.

Differẽtiæ tumorum.

pacto, alio ex decubitu partis, ut ἐντεροκήλη, &c. Illi propriè sunt intemperies compositæ cum aucta magnitudine, & solutione continui. Differentiæ & species horum tumornm oriuntur ex differentiis humorum. Humores autem quatuor sunt: sanguis, cholera, melancholia & pituita, quorum quilibet in parte vel sincerus est, vel alteri permixtus, vel naturalis vel non naturalis.

Tumores exquisiti. *Φλεγμονή.* Primum igitur omnes tumores, quibus adest dolor & fervor, Græci φλεγμονὰς communiter appellant. Propriè tumor ex sanguine sincero calidus rubens, renitens cum dolore pulsatorio φλεγμονὴ vocatur. Deinde ex pituita sincera in toto corpore *οἴδημα.* fit Anasarca in parte aliqua œdema tumor frigidus, laxus, mollis, indolens, albi coloris. Tertiò ex bile *ἐρυσίπελας.* flava generatur erysipelas, ardor cum dolore pungente in summam cutem effusus; Ex humore melancholico naturali sincero generatur scirrhus ex- *σκίρρος.* quisitus tumor, durus, concolor, doloris expers, ac etiam in cute maculæ nigræ, quæ Melasmata dicuntur & vitiligo nigra.

Tumores illegitimi. Ex humoribus naturalibus nō sinceris, sed permixtis oriuntur illegitimæ species tumorum, veluti si sanguini redundanti misceatur bilis, aut pituita phlegmone erysipelatodes, aut œdematodes: si bili redundanti permisceatur sanguis, aut melancholia erysipelas phegmonodes, aut scirrhodes, eadem in cæteris ratio est.

Furunculus. Ex his humoribus ut à naturæ modo recedunt, excitantur cæteræ species tumorum, veluti à sanguine crasso furunculus, tuberculum durum ovi columbini magnitudine cum ingenti dolore, deinde ex crasso, adusto, corruptoq; sanguine, qui ple- *Carbunculus.* rumque venenatam qualitatem assecutus est, carbunculus, tumor ferventissimus cum ulcere crustaceo.

Ex

Ex pituita non naturali variæ ſpecies tumorum excitantur: ſub pituita non naturali comprehendimus hîc aquoſos & ſeroſos humores, deinde flatus & flatulentos humores, tertiò pituitam ſalſam, quarto craſſam & mucilaginoſam, tandẽ gypſeam. A ſeroſis humoribus fiunt tumores ſeroſi, ſub quibus continetur aſcites, ex flatibus ἐμφυσήματα. Ex pituita ſalſa nitroſa ſcabies in corpore Achores tumores cum parvis ulceribus ex craſſa mucilaginoſa corrupta, abſceſſus illi, in quibus aliquid melli, pulticulæ, aut ſevo ſimile apparet, unde melicerides Atheromata & ſteatomata vocantur, ex craſſa ſalſa pituita ulcera fiſtuloſa; ex pituita gypſea genus Scirrhi minus exquiſitum, ſub quo continetur ſtruma ex materia craſſa collecta inter cutem & aſperam arteriam; Deinde ganglion tumor durus circa articulos; & glandula circa adenes: item verrucæ & clavi.

Tumores ex pituita non naturali. *Aſcites.* *ἐμφυσήματα.* *Achores.* *Meliceri-des.* *Athero-mata.* *Steato-mata.* *Scirrhus nõ exquiſitus* *Struma.* *Ganglion.* *Glandulæ*

Præterea bilis non naturalis craſſa mordax cutem exedens, herpetem exedentem; tenuis minus acris herpetem miliarem à puſtulis exiguis frequentibus, quæ milio ſimiles ſunt; quibus cognatæ ſunt φλυκταίναι puſtulæ ex ferventiſſima bile, flava bilis aduſta, ulcera cancroſa & φαγέδαινας excitat. Sed hi affectus ad atram bilem potius referuntur.

Tumores ex bile nõ naturali. *Herpes.* *φλυκταίναι.* *Vlcera cancroſa.*

Melancholia autem non naturalis, ſive atra bilis gignitur ex aduſtione vel melancholiæ naturalis, vel bilis flavæ, vel ſanguinis, peculiariter ſanguis dum aduritur pars tenuior in bilem flavamque, pars craſſior in atram tranſit, ex hac carbunculi fiunt, ut jam dictum eſt. Ex atra bile craſſa corrupta in habitum totius corporis effuſa Elephantiaſis; in parte cancer generatur; ex atra minus craſſa & corrupta impetigo & pſora Græcorum, atra ex aduſtione bilis flavæ, ulcera cancroſa & depaſcentia efficit.

Tumores ex melancholia nõ naturali. *Carbunculos.* *Cancer.* *Impetigo.*

Tumores partium.

Hæc ſunt præcipua tumorum præter naturam genera, quæ pro partis ratione interdum denominantur. Nam phlegmone oculi, ophthalmia; faucium, Angina; pulmonum, peripneumonia; pleuræ, pleuritis; glandularum poſt aures, parotis dicitur, &c. Item inflammatio adenum & propriè in inguine bubo; quæ ſi ex puro ſanguine ſit, & ad ſuppurationem tendat Phyma; ſi aliquid bilis permixtum habeat phlegethlon appellatur: ſimiliter ſeroſus tumor ſcroti, hydrocele; flatulentus tumor abdominis, tympanites nominatur, &c.

Bubo. Phyma. Phlegethlon.

Moborum partiũ organicarũ cauſæ. Figuræ vitiatæ cauſæ.

Conſequens eſt ut ad cauſas *morborum organicarum partium* perveniamus, initio facto à morbis conformationis, qui vel ſunt in figura, vel ſuperficie, vel cavitatibus & meatibus. Oritur *figuræ vitium* multis modis. Primùm, in ipſo utero & in primâ conformatione partium, ob imbecillitatem facultatis formatricis ſive motum naturalem ſpermatis impeditum, vel vitio materiæ in quantitate & qualitate, aliquando errore aliquo, à causâ externa comprimente. Deinde in ipſo partu vitiatur figura, quando ſuſcipitur, & ob infantis magnitudinem, & viarum anguſtiam, ubi cum difficultate extrahitur. Præterea à partu figura vitiatur, vel in tenellis adhuc, vel in iis qui firmâ ætate ſunt: tenellis, quia membra adhuc mollia & flexibilia ſunt, diſtorquentur facilè, ſi alia à nutrice arctius deligentur aut inæqualiter tendantur; alia leviora relinquantur, item ſi nimis citò ingredi permittantur, vel ſi crura intrò diſtorqueantur, pedes extra, ut in vatiis & varis, aut contra, ut in valgis. Diſtorquentur membra, & figura naturalis partium tàm in infantibus quàm ætate provectis mutatur, primùm, à vi aliquâ externa frangente, comprimente, collidente: ſecundò erroribus ipſius laborantis, aut alterius, ut Medici, qui colliſa, confracta & luxata vitio-

vitiosè reponit: tertiò ob nimiam copiam & inopiam alimenti, sicut iis evenit, qui aut nimium crassi facti sunt, aut jam contabuerunt, sive in unâ corporis parte sive in toto, ut in phthisicis; item ob materiæ crassitiem & siccitatem, ut in Elephantiacis. Tandem ex accidenti propter alios morbos veluti ob distensionem, resolutionem, aut sectionem per transversum, nervorum, tendinum, & musculorum figura vitiatur. Resoluto enim & secto per transversum nervo aut tendine, pars à contrariis musculis illæsis attrahitur: distensio verò sive sit ex convulsione sive ex inflammatione sive cicatrice durâ, partem proximam tendit attrahitque, atque ita figuram membri pervertit. Huc referuntur luxationes articulorum aliaq; structuræ vitia.

Causæ morborũ conformationis.

Secundus *morbus conformationis*, est superficiei asperitas vel lævitas non naturalis actionem lædens. Exasperatur autem pars præter naturam à materiâ acri abstergente & abradente, superficiem inæqualem reddente. Ea materia interdum est cibus, potus, aut medicamentum, plerumque humor aliquis, nimirum pituita salsa, flava bilis, vel atra, corrupta, à quibus intestina non raro exasperantur & exulcerantur: quæ enim exasperant, si invaluerint exulcerare & corradere solent. Huc addi poterunt vapores acres, item pulveres & fumi, à quibus oculi & fauces non raro exasperantur. Lævitas fit quando omnes superficiei particulæ æquantur, quod duobus modis contingit, vel cum aliquid iis adjicitur, quæ inter se dissident, vel quando detrahuntur particulæ, quæ præ cæteris eminent. Hoc autem detergentibus fit, licèt detergentia exasperandi vim habeant; illud ab humoribus pinguibus, lentis & humectantibus.

Causæ apertionis meatuum & cavitatum.

Præterea *vitia in meatibus sunt dilatatio & angustia*, sub meatibus comprehendimus hîc non solùm venas & arterias, in quibus continetur sanguis, sed etiam omnes cavitates sinus & canales, ac etiam parva foramina & poros. Apertionis autem & dilatationis meatuum causæ sunt plures. Nam laxantia emolliendo,& rarefacientia extenuando dilatant : amara & acria incidendo expurgandoque orificia vasorum aperiunt; ac non rarò expultrix vehementius concitata copiâ & qualitate contentorum, vasa nimium dilatat & orificia recludit : interdum retentrix imbecilla, orificia non benè claudit : aliquando non accedit, quod secundum naturam vias claudere debet, ut si in cerebrum non ascendant vapores à quibus somnus. Ex vase aperto humor contentus effluit; effluit autem sanguis ex vasis tribus modis,uno per ἀναστόμωσιν, id est orificiorum vasorum apertionem à causis jam enumeratis,deindè per διαπήδησιν, dum per tunicas vasorum transcolatur ob humoris contenti tenuitatem,& vasorum raritatem & laxitatem, tertiò per διαίρεσιν, qualis est ruptio, sectio, erosio vasorum, quæ species morbus conformationis non est, sed solutæ unitatis.

Causæ angustiæ meatuum.

Angustiæ & occlusionis meatuum plures sunt differentiæ pro varietate causarum, ut alibi dictum est. Nam subsidentia oritur, quando latera meatuum contrahuntur vel coincidunt : contrahuntur ab adstringentibus, refrigerantibus,vel siccantibus; coincidunt ob evacuationem eorum contentorum, quæ in meatu contineri debent. Secundò, coalescentia fit ulcere,vel vulnere,quando interiores superficiei partes adhærescunt & conglutinantur. Tertiò, constipatio à quocunq; tumore vel tuberculo in substantiâ partis,meatum interiorem occupante,

pante. Quartò obstructio ab humoribus viscosis & lentis, meatui impactis: item à lapide, grumo, & similibus. Postremò, compressio fit à quocunque intrinsecus constringente & comprimente, ut sunt vincula, tumores comprimentes. His additur in vesica & similibus organis nimia distentio, ut inde meatus seu orificium ejus occludatur, & corpus sese contrahere, aut à se expellere nequeat. Distentio ista oritur vel à tumore tendente & contrahente substantiam vasis, & potiss. cervicem ejusdem, vel à copia humoris cavitatem replentis, quod illis accidit, qui urinam diutiùs, quàm par est, retinent. Oritur autem coarctatio vel meatus angustia aut occlusio aliquando in utero, errore formatricis; plerumq; post.

Secundum genus morborum organicorum est *magnitudo præter naturam aucta, vel diminuta.* Aucta magnitudo partis ex rebus ipsi naturalibus servatâ debitâ figurâ, à copiâ vtilis materiæ & virium robore oritur; at aucta magnitudo ex rebus non naturalibus, ut tumores præter naturam, ex aliis causis provenit. Nam partes tumidæ redduntur sive præter naturam tumorem contrahunt, vel ob coacervationem inutilis humoris in substantia partis, ut in inflãmatione, œdemate, &c. vel per decubitum partis unius in alterius cavitatem, ut tumor scroti in Enterocele; inguinum in bubonocele, &c. Illud genus tumoris est aucta magnitudo cum intemperie, de cujus differentiis & causis supra dictum est. Decumbit verò pars in cavitatem alterius eam mole sua distendens, quia à loco suo excidit ruptis aut laxatis ligamentis aut membranis. Quare respectu partis, quæ intumescit ejusmodi morbi erunt in magnitudine aucta; respectu verò partis, quæ illabitur, morbi in situ. Minuunt verò magnitudinem virium imbecillitas, & penuria

Causæ morborũ in magnitudine.

Causa omniũ tumorum.

Causa tumorum ex decubitu partis.

materiæ utilis, ſcilicet ubi plus digeritur, quàm apponitur, item ſectio, uſtio, putrefactio, frigus, &c.

Cauſa morborũ numeri. Tertiò *morbus numeri* in exuperantiâ & defectu rei alicujus præter naturam conſiſtit ab ortu, vel poſt. Exuperantia autem morbifica non eſt rei naturalis, quæ actionem non lædit, ſed non neceſſariarum rerum, vel adhærentium illis, quæ in naturali habitu ſunt ſub naturali ſpecie, ut polypus, pterygium, &c. vel toto genere præter naturam, ut calculi & ſimil. Omnis autem exſuperantia oritur à validâ virtute expultrice, & ſuperfluitate materiæ. Verùm quæ ſub naturali ſpecie partibus adhærent, ex reduntantiâ materiæ utilis oriuntur; quæ toto genere præter naturam ſunt, ex inutili materiâ. Defectus autẽ rei naturalis ex toto vel parte cauſæ ſunt, putredo, ſectio, uſtio, nimia refrigeratio, &c.

Cauſæ morborũ in conſenſu & ſitu. Tandem *vitiata ſtructura in connexione ſive conſenſu* eſt, quando ea uniuntur vel disjunguntur, quæ uniri aut disjungi non debent: & in ſitu, quando è naturali loco pars abit. Abit autem pars à loco naturali, ruptis & laxatis vinculis quibus continetur: aut abrupto meatu, ut in ἐντεροκήλῃ, procidentiâ uteri, & ſimil. Item intentis & contractis ligamentis, ut in uteri aſcenſu & declinatione. Contrahuntur autem ligamenta, ſi nimio humore repleantur aut exſiccentur; laxantur autem ab emollientibus: rumpuntur ab iis, quæ unitatem ſolvunt. Deniq; à vehementi motu, à caſu & compreſſione partes à ſuis ſedibus removentur, & viſceris alicujus fibra complicatur. Articulis verò luxatio accidit, nonnunquam á motu violento & contorſione, aliquando ab articulorum immodicâ humectatione, totam articulationem lubricam reddente & ligamenta laxante. Interdum articuli ipſi ſuis ſedibus excidunt, ubi ſuſcipientis cavitas debito anguſtior eſt, ob tumorem vel callum circa articulũ; aut

laxior

laxior debito, ob id quia sinuum supercilia circumfranguntur, ac cotylæ ab ortu min⁹ capaces aut penitus in superficie factæ fuêre. Connexio partium vitiatur, si, quibus continentur, ligamenta relaxentur, contrahantur, aut abrumpantur, &c. Coalescunt verò, quæ coalescere non debent, ulcere, vulnere, & similibus.

Causæ solutionis continui. Ultimum genus morborum tàm similaribus, quàm dissimilaribus commune est *unitatis solutio*, cujus variæ sunt differentiæ pro causarum diversitate. Causæ autem vel externæ, vel internæ sunt, quæ omnes ad quatuor genera reducuntur, scilicet 1. ad incidentia, 2. erodentia. 3. frangentia & contundentia. 4. distendentia & disrumpentia. Sub incidentibus continentur quæcunq; vulnerant & pungunt, sive cæsim vel punctim partem dividunt, qualia sunt acuta corpora & tenuia, ut gladius, sica, &c. Item morsus ferarum, & similes causæ externæ. Erodunt & exulcerant propriè acria & mordacia, ut sunt medicamenta caustica septica & acria, ignis, &c. ex causis internis, humores corrupti acres & putridi, ut bilis flava atra pituita salsa, &c. Contundunt & frangunt causæ tantùm externæ, item corpora gravia, obtusa & dura, diversâ tamen ratione. Nam dura, obtusa, propriè ea frangunt, quæ tactui non cedunt, qualia sunt ossa. Contundunt verò & collidunt, quæ tactui & impressioni cedere possunt, ut sunt mollia. Huc referuntur casus ab alto, percussiones, saltus, lucta, &c. Tandem distendunt, disrumpunt, & convellunt quæcunq; partem nimium replent, ut flatus aut humores impacti unde tumores: deinde quæ nimium evacuant & contrahunt. Fit autem convulsio propriè dicta teste Hippocrate, à repletione; vel inanitione. Præterea quædam quoq; distrahendo & lacerando continuũ dissolvunt & disrumpunt, ut violenta tractio partis fune aut laqueo, &c.

Causæ different. accidentalium.

Hæ sunt simplicium morborũ causæ primariæ. Compositorum verò morborum causæ ex his simplicibus componuntur & intelliguntur. Restant *causæ differentiarum accidentalium*, quæ morbum, morbi causas, & subjecta consequuntur.

Causæ morbi parvi & magni.

Ac primùm, cum *Omnis morbus magnus aut parvus* dicatur, ex affectus quantitate, cognitâ propriâ cujusque affectus causâ, facilè erit intelligere causam magnam vel parvam, affectum absolutè parvum vel magnum ejus generis facere posse. At ratione loci & functionis læsæ interdum fieri solet, ut affectus magnus dicatur, qui suâ naturâ parvus sit, causamq; debilem habeat, ut alibi dictum est.

Causæ morbi brevis & longi.

Secundò, *morbus brevis* dicitur, qui celeriter ad terminum sanitatem vel mortem tendit, nimirum qui citò vincit, aut vincitur: contra *longus* qui tardè. Quòd citò vel tardè à naturâ vincatur, aut naturam vincat causæ sunt, primò, ipsius morbi forma vel natura: secundò magnitudo morbi: tertiò vehementia causæ morbificæ: quartò partis affectæ conditio & totius corporis dispositio: tandem robur virium & imbecillitas. Verùm in salutaribus & lethalibus morbis eadem ratio non est. nam quò lethalis morbus major est, eò semper brevior, quò minor eò longior. In salutaribus contrarium non rarò evenire solet. Deinde in lethalibus, quò virtus imbecillior, eò morbus brevior, & quò robustior eò longior. In salubribus semper contrarium est. Verùm de his in Prognosticis dicetur.

Causæ morborũ acutorũ, continentium, intermittentium.

Ex prædictis intelliguntur *causæ morborum acutorum*, qui simul breves & magni sunt, ac quatuor universalia tempora celeriter & cum vehementiâ percurrunt. Ea universalia tempora, ut alibi dictum est, à Galeno motiones causarum morbificarum dicuntur. nam ex motionibus causarum oriuntur & dependent. Hæ motiones si continuæ fuerint,

rint, *morbus* erit *continuus*; sin interruptæ, *morbus* erit *intermittens*. Nam ubi causa morbifica unica est, & ex totâ materiâ actu simul, continenter movet, morbosque continuos facit sine ullis periodis. Sin materia tota simul non sit, nec tota simul se commoveat, sed certis quibusdam periodis ad partem affectam confluat, aut per congestionem in parte colligatur, similem motum efficit; nimirum non absolutè unum, sed pluribus periodis distinctum; vel sine intermediâ quiete, ut in tertianâ continuâ, vel cũ intermedia quiete, ut in febrib⁹ intermittentibus, Epilepsiâ, Cephaleâ, & simil. Quomodo verò colligatur in parte humor, supra dictum est.

Tertiò, *morbi mali moris sive maligni* à malignis causis; *benigni* à benignis oriuntur. Malignæ autem sunt causæ, quæ non solùm naturâ suâ vehementer agunt; sed etiam quæ latentem lædendi vim habent, ut venena, bilis atra, & flava adusta, ac in summâ omnes penè humores putredine corrupti. Nam quò humor à naturâ suâ magis immutatur, eò malignior est. Fit tamen ut eadem causa ratione partium diversarum, nunc benigna, nunc maligna dicatur, veluti punctio partis carnosæ benigna, partis nervosæ maligna judicatur. *Causæ morborũ malignorum & benignorũ.*

Quartò, *absolutè salutaris morbi causæ* sunt, quæ naturæ aut artis operâ planè vincuntur; contra *absolutè lethales*, quæ naturam planè prosternunt. Prosternunt autem aut suâ naturâ & facultate, ut venena & maligni humores: aut magnitudine, ut vehementissima refrigeratio: aut partis ratione quam afficiunt, ut apoplexia: Item levis affectio in principe parte, & præcipuè corde lethalis est; at magna, in parte ignobili absolutè lethalis non est, ut podagra, elephantiasis: his adde virium robur & debilitatem. Morbus verò secundum quid salutaris vel lethalis causam habet materiam, quæ permuta- *Causæ morborũ salutariũ & lethalium.*

tione

tione suâ affectum alium curabilem vel incurabilem relinquit.

Causa morborũ in habitu, et habitudine, &c.

Præterea, morbus factus nullam antecedentem causam sive προκαταρκτικὴν actu conjunctam habet; sed ea præfuit morbumq; perfecit. At fientes morbi ejusmodi causam necessariò requirunt. Deinde *morbi in habitu* à causâ validâ & durabili oriuntur, quæ morbum planè absolvunt; cõtra *morbus in habitudine.* Inæqualis morbus, qui inæqualiter partes afficit in quibus consistit, causas habet, quæ non ex æquo omnes, quas lædunt, membri partes afficiunt; vel quæ contrariis motibus infestant, contrariæq; sunt, qualis affectus est in comate vigilante. Causæ morborũ æqualium omnes partes ex æquo afficiunt, & contrariæ nõ sunt. De causis morborũ per se, & ex consensu, item primariorum & secundariorum in primò capite dictum fuit.

Causa morborũ communium.

Tandem in morbis publicè grassantibus, aurea illa Hippocratis regula *libr. de Nat. Hum.* observanda est: Cum unâ ægritudine plures eodem tempore homines sine discrimine corripiuntur, nimirum juvenes, senes; fœminæ, mares; temperantes & intemperantes & dissimili victu utentes, causam ad id rejicere debemus, quod maximè commune est, & quo omnes utuntur. Id autem est aër ambiens, quem accipimus reddimusque, interdum ipsa aqua, præcipuè in Endemiis morbis. Quando verò eodem tempore plures diversi morbi gignuntur, causa sine dubio est propria cujusque victus ratio. Vitiatur autem aër in Endemiis, vitio ipsius loci à pravis vaporibus perpetuò exhalantibus ex terrâ vel aquis. At in morbis Epidemiis, qui certo tempore sæviunt, inquinatur aër potissimum syderum maligno influxu, & perniciosâ qualitate cœlitus demissâ, ac pravâ temporum

con-

constitutione: interdum cæde hominum, sordibus & similibus inquinamentis ex terrâ vel aquâ. Cæterarum differentiarum causæ ex se facilè intelliguntur.

DE SYMPTOMATIBUS ET SYMPTOMATUM differentiis.

CAPUT IV.

TErtium genus rerum præternaturalium est, quod morbum umbræ ritu consequitur, & à Medicis σύμπτωμα propriè vocatur. Sumitur autem vocabulum Symptomatis non uno modo: Nam si vocis significationē spectes, quæ Latinis est concasus, à συμπίπτω, i. simul cado, nihil aliud erit, quàm συμβεβηκώς, à συμβαίνω, quod idem significat: quare quicquid alicui accidit, aut aliud consequitur, sive secundum, sive præter naturam, ipsius σύμπτωμα dici poterit. Nihilominus usus invaluit, ut à Medicis id solum latissima quoque significatione dicatur Symptoma, quod animato corpori præter naturam inest. Nam à *Galeno 1. de Sympt. diff. cap. 2.* Symptoma bifariam accipitur: Uno communiter, ut omnia sine discrimine complectatur, quæcunque animali præter naturam accidunt. Qua significatione non solùm morborum accidentia, sed etiam omnes morbi, morborumque causæ symptomata dicuntur.

Symptoma largè sumptum quid sit?

Alio propriè & speciatim accipitur, ut à morbis, morborumque causis distinguitur, pro eo tantùm, quod morbos propriè consequitur, aut à morbis provenit: Unde alio nomine ἐπιγέννημα, id est, super-

Quid propriè symptoma.

superveniens & supergenitum vocatur. Nam ut alibi dictum est, constitutio ipsa, quæ primùm actionem lædit, morbus est; quod morbum producit, ipsius causa: quod morbum consequitur, symptoma propriè dicitur, à nonnullis ἐπιγέννημα.

Definitio symptomatis.

Quare σύμπτωμα propriè erit affectus corporis viventis præter naturam, morbum umbræ ritu consequens. Affectum dico, non propria significatione, ut in morbi definitione, sed communi, ut tam affectionem, quàm affectum propriè dictum comprehendat, cum nullum magis accommodatum genus dari queat. Nam nonnulla symptomata propriè effectus sunt; & permanentiam habent, ut qualitas mutata: alia affectiones tantùm, quæ in motu consistunt, ut delirium, tremor & similia. Deinde subjungitur, morbum immediatè consequens, ut discernantur symptomata ab iis actionibus & operibus, quæ solius naturæ sunt, non irritatæ à morbo, aut causa morbifica, ut sunt copiosæ excretiones, quæ fiunt virtutis robore. Nam ubi nullus est morbus in facto, aut fieri, ibi propriè symptoma non est. Nihilominus nonnulla symptomata opera naturæ dicuntur, ut criticæ evacuationes: alia morbi, ut convulsio, evacuationes symptomaticæ, &c. nonnulla utriusque, ut tremor. Verùm illa quæ naturæ opera dicuntur, licèt naturæ conferant, & robur ejusdem arguant, eaq; ratione secundum naturam dici queant: quia tamen fiunt vi naturæ, irritatæ à causâ aliquâ morbificâ, meritò symptomata vocantur. Nam non fierent, nisi naturâ à causâ illâ cogeretur aliquid agere & movere. Præterea vocabulo morbi intelligimus non solùm morbos factos, sed etiam fientes aliquando, & ex consensu: ut si visus obscuretur ob vapores à ventriculo ascendentes, symptoma quidem

dem est,non tam oculorum, quàm ventriculi. Verùm à symptomatibus propriè dictis,naturales impotentias distinguimus,ut sunt frustrationes facultatum ab errore externo,sive ratione objecti. Veluti si cruditas in ventriculo oriatur,sive cōcoctio aboleatur, ob nimiam alimenti ingesti copiam , aut alienam naturam,symptoma aliquando dicitur, licèt propriè naturalis impotentia sit, & ratione objecti tantùm eveniat. Nam quando assumpta inconcocta in ventriculo permanent, non vitio ventriculi, sed ipsorum assumptorum,læditur quidem actio ventriculi, sed non præter naturam. Nam præter naturam non est vinacea,lapillos, &c. non concoqui in ventriculo,quia secundum naturã illis concoctio non competit. Quare actio hoc modo læsa præter naturam non erit,& proinde nec symptoma propriè. Deinde ratione rei objectæ, & eorũ quæ ad eam spectant , nulla actio symptoma propriè dici poterit, alioqui tremor ex gravi onere, & concussio ex aspersione aquæ ferventis, vomit⁹ immissis in os digitis,symptomata propriè essent: quare quæcunq; actiones fiunt à causa aliqua solum irritante, si nihil morbi adhuc fecit , non sunt symptomata,sed opera naturæ : quod si cum læsione fiant, sunt naturales impotentiæ. Verùm ubi causa aliqua morbum fecit,nō sunt amplius actiones naturales, sed præternaturales. Nam sæpè naturæ opera & symptomata ita similia inter se sunt , ut & symptoma videatur opus,& opus symptoma: quod in magnis evacuationibus manifestè apparet. Deinde evenit,ut eadem actio in uno impotentia quædam secundum naturam sit,in alio præter naturam & symptoma. Veluti tremor membrorum, in decrepito naturalis est , in juvene præternaturalis & symptomaticus. Item profundior sómnus & pigrities , in pituitoso naturalis est , in cholerico præter

naturam, similis est ratio qualitatis corporis mutatæ. Quare illæ actiones & effecta propriè symptomata sunt, quæ præter naturam oriuntur, & morbum consequuntur, Verùm per morbum intelligo non solum proprium affectum partis aut in facto esse, sed etiam per consensum, & in fieri. Consequuntur quidem morbum omnem symptomata quædam, sed certo tantum ordine & modo: Nam actio læsa proximè, cætera propter actionem læsam: Unde actio læsa in definitione morbi ponitur, ut differentia, qua à sanitate distinguitur. Oriuntur itaq; symptomata omnia à morbis sed alia magis immediatè, nonnullis intervenientibus symptomatibus. Verùm propriè symptomata solius morbi sunt effectus, licèt nonnulla aliorum symptomatum dicantur, quatenus cum morbo complicantur, sic atrophiam plura præcedunt symptomata, ut alibi dicemus. Accidit autem interdum, ut idem sit symptoma, & morbi causa, sed diverso respectu, veluti catarrhus est symptoma cerebri, sed causa variorum morborum, ut phthisis, Asthmatis, & similium. Deinde ut morbus aliquis ex consensu, symptoma dicatur morbi per se, ut febris symptoma vocatur pleuritidis & peripneumoniæ: nihilominus idem propriè morbus, & symptoma non est.

Differẽtiæ symptomatum. *Tria genera symptomatũ.* His definitis restat ut ad differentias symptomatum perveniamus. Genera symptomatum tria præcipua sunt: quorum primum facultatem, facultatisq; functionem respicit, Actio læsa: Secundum in contentis consistit, excrementorum & humorum vitia: Tertium in solidis partibus, qualitas mutata, sive simplices corporis affectus, qui actionem per se non lædunt.

1. Genus actio læsa. Præcipuum symptoma morbum immediatè consequens, est actio læsa, quæ nobis morbum primum

mum aperit & demonſtrat. Cum enim omnis actio fiat ab inſtrumento, mediante conſtitutione; ſi functio aliqua fuerit expedita vel impedita partis, unde procedit conſtitutio ſecundum, aut præter naturam erit. Quare cognitis actionum differentiis, & partibus actionem producentibus, ex actionibus facilè erit colligere, quæ pars morbo laborat.

Actionum differẽtiæ.

Actiones omnes humani corporis à Galeno *3. cap. lib. de Diff. ſympt.* in animales & naturales dividuntur: Animales viciſſim in principem ſive gubernantem, motivam & ſenſitivam. Princeps in Imaginationem, Cogitationem & Memoriam. Motiva unica quidem genere eſt, & unicum commune inſtrumentum habet, videlicet muſculos: prout tamen in variis particularibus inſtrumentis, varia munera producit, diverſis nominibus donatur. Nam in manibus apprehenſio; in cruribus deambulatio; in thorace reſpiratio; in lingua locutio, dicitur; eademq; in cæteris ratio Senſitivæ actiones ſunt quinque, viſus, auditus, olfactus, guſtus, tactus, quibus additur ſenſus communis. Sub naturalibus verò functionibus hoc loco à Galeno continentur, non ſolùm illæ, quæ naturales propriè dicuntur, ut ſunt nutritio, auctio, generatio, & quatuor miniſtrantes functiones, in ſingulis partibus; Attractio, retentio, alteratio & expulſio: ſed etiam quæ à corde promanant, pulſus, animi affect⁹ & generatio ſpiritus vitalis. Nam propriè tres ſunt primæ functiones, totidemque principales partes, cerebrum ſcilicet, cor & jecur, quibus cæteræ partes, functionesque ſubſerviunt, ut alibi dictum eſt. Attamen *4. cap. de Sympt. differ.* naturales actiones communes ſeptem enumerat, quibus quatuor miniſtrantes facultates ſubſerviunt. 1. Appetentia cibi & potus. 2. χύλωσις concoctio in ventriculo. 3. ἀνάδοσις diſtri-

diſtributio chyli per venas meſeraicas. 4. αἱμάτωσις, ſecunda concoctio vi jecoris, cui ſubſerviunt functiones lienis, veſiculæ fellis, renum & veſicæ. 5. Τρέψις, ultima concoctio in ſingulis partibus, ex nutrimento perfectè elaborato. 6. Διάκρισις περιττωμάτων, expulſio & ſecretio excrementorum cujuscunq; concoctionis, & ex quocunque loco. Tandem pulſus, motus ſcilicet cordis & arteriarum, compoſitus ex ſyſtole & diaſtole, cum intermedia quiete.

Differẽtiæ actionis læſæ duplices.

1. Ex actionis differentia.

Ex his omnibus & ſingulis differentiæ ſymptomatum actionis læſæ primum ſumuntur: deinde ex ipſo læſionis modo. Nam primum ex illâ actionis differentiâ, alia ſymptomata dicuntur facultatis naturalis, ut δυσαιματωσία mala ſanguificatio: alia vitalis, ut deliquium animi: alia animalis. Deinde animalis alia ſenſus, ut cæcitas: alia motus, ut paralyſis, convulſio: nónnulla principis facultatis, ut delirium: atq; ita in cæteris, ut infra apparebit.

2. Ex modo læſionis triplex.

Ex læſionis verò modo tria oriuntur genera ſymptomatum in qualibet actione. Læditur enim omnis actio, vel quia non præſtatur, vel quia pravè: & pravè viciſſim, vel quia diminutè & debiliter, vix aut longo tempore: vel quia depravatè, id eſt, non debito modo. Quare omnis læſa actio cujuscunq; generis aut ſpeciei ſit, aut erit abolita, aut diminuta, aut depravata. Abolita autem actio eſt: quæ non fit, aut quantum ſenſu judicari poterit, prorſus periit. Diminuta, quæ vix, aut tardè fit, aut ad perfectionem nunquam pervenit. Depravata verò Galeno eſt, quæ nõ ſolùm alio modo & ordine fit quàm fieri debet, aut debitum tempus anticipat, ſed etjam quæ major vehementiorque eſt, quàm natura poſtulat: quare duplex meritò videri poterit: Una propriè depravata, quæ in qualitate peccat, ſive ordinem,

dinem, tempus, aut modum agendi non ſervat: alia aucta actio, quæ major eſt, quàm natura requirit.

His intellectis, non difficile erit numerum ſymptomatum actionis læſæ colligere. Atque ut à principe facultate initium faciamus, Abolita functio omnium actionum animalium eſt in apoplexia, deinde in catalepſia & epilepſia, diminuta imaginatio eſt λήθαργος, Abolita cogitatio ἄνοια, Latinis amentia & extrema fatuitas; diminuta cogitatio ſive ratiocinatio μώρωσις, Latinis ſtultitia. Abolita memoria eſt extrema oblivio, qualis teſte Thucydide in peſte Attica nonnullis accidit, ut nõ alios ſolùm, ſed ipſos etiam ignorarint. Diminuta memoria eſt oblivio non exquiſita, ſive torpor memoriæ. Depravata functio totius principis facultatis eſt Delirium, ſub quo continetur Phrenitis melancholia, Mania, &c. Nam delirat interdum ſola imaginatio, interdum ſola cogitatio, nonnunquam utraque & ſimul ipſa memoria, quando alio ordine & modo meminit, quàm debet. Depravata quoque imaginatio eſt in vertigine & incubo. *Symptomata ſenſus.*

Poſt principem facultatem ſequitur ſenſus primus & communis, cujus functio eſt vigilia, quam ſomnus naturalis interpellare debet: Læditur hæc functio tripliciter. Nam primùm aufertur, quando gravis & inexplebilis ſopor hominem planè opprimit, ut in lethargo caro & apoplexia. Deinde diminuitur, ubi magna eſt ad ſomnum propenſio, quæ coma dicitur; tertiò depravatur, quãdo ſomno privantur, quod ſymptoma ἀγρυπνία ſive pervigilium vocatur. Symptomatibus ſenſus primi additur propriè Vertigo: Nam in vertigine ſenſuum exteriorum ſpecies à cerebro non naturali modo percipiuntur, ſed cum motu, tenebris, &c. cujus

functionis læsio magis ad sensum communem, quàm imaginationem depravatam referri debet. Sequuntur symptomata sensuum exteriorũ. Primum autem abolita functio visus est cæcitas: diminuta & hebes, ἀμβλυωπία: depravata, hallucinatio: quibus tribus in auditu correspondet surditas, gravis auditus, & tinnitus aurium. Eadem in olfactu & gustu ratio est, licet nominibus propriis plerumque careant: at tactus abolitus est in paralysi; diminutus in stupore sive torpore; depravatus in pruritu, dolore, lassitudine, ulceroso sensu & similibus. Omnibus autem sensibus dolor communis est, à vehementi sensili proprio vel communi, ut alibi apparebit, sed præcipuè & peculiariter symptoma tactus est, ac cæterorum sensuum, aliarumque partium, quatenus tactu participant. Quare aurium est ὠταλγία, capitis κεφαλαία, oris stomachi καρδιαλγία, &c. Quo verò sensorii essentia crassior est, eo dolore & voluptate majori afficitur: at tactus organum crassissimum est, proinde orificio ventriculi, quod exquisitissimo sensu præditum sit, gravissima symptomata accidere solent, tam sui respectu, quàm ob consensum, quem habet cum corde & cerebro. Nam ex consensu cum corde, accidit καρδιωγμὸς, συγκοπὴ, &c. Ex consensu cum cerebro, ἐπιληψία, delirium, κάρος, &c. Ex utriusq; consensu ἄπνοια: at ipsi ventriculo ratione tactus, accidunt appetitus abolitus, diminutus, depravatus, de quibus infra.

Symptomata motus. Tandem, motus voluntarius abolitus est paralysis, vel totius corporis cum resolutione principis facultatis, ut Apoplexia: vel partis alicujus, aut plurium qui paralysis dicitur. Deinde debilis functio est stupidus aut torpidus motus. *Tertiò*, depravа-

pravatus & pravus motus *Galeno de Diff. sympt. c. 3.* quadruplex est: Tremul⁹, convulsiv⁹, vibrans & palpitans. Sub vibrante motu horror & rigor continentur: sub convulsivo motu, Convulsio propriè dicta, ut τέτανος: & quasi convulsio, ut γονόῤῥοια, singultus. Addunt nonnulli his tussim, oscitationem, pandiculationem, sternutationem; item expultrices motus ventriculi, uteri, vesicæ & similium. Verùm hi omnes motus nec propriè, nec pari modo motus depravati facultatis motricis sunt, sed propriissimè convulsio. Nam propriè convulsio est inuita retractio musculorum & nervorum, versus suam originem, & proinde depravata actio motivæ facultatis, quæ nervis & musculis perficitur. Ea retractio vel in toto corpore fit, cum principis partis læsione, & ἐπιλήψια dicitur, quæ tamen convulsio absolutè non est, sed potius motus convulsivus. Vel in parte unâ, aut pluribus. Ubi verò in omnibus partibus capiti subjectis tam prioribus, quàm posterioribus evenit, τέτανος: ubi in prioribus tantum, ἐμπροσθότονος: ubi in posterioribus, ὀπισθότονος vocatur. At depravatus motus in oculis στραβισμὸς, in dentibus σισμὸς dicitur. Sub motu voluntario continetur vox, loquela & respiratio, quatenus motu musculorũ perficitur. Vocis autẽ symptomata sunt ἀφονία, privatio vocis, deinde ἰσχνοφονία, quando vox ita gracilis & parva est, ut vix audiatur, aut cum difficultate proferatur, tertiò κακοφονία, vox prava, sub qua continetur vox aspera, rauca, clangosa, flebilis, &c. Deinde loquelæ sive sermonis symptomata sunt, loquela abolita, obmutescẽtia & loquela debilis ac depravata, ut μογιλαλια & ἀγκυλυγλώσσης ψελλότης, quando difficulter loquuntur, aut cum difficultate pronunciãt R, L, K, aut in loquendo restitantes ser-

Symptomata vocis.

Symptomata loquelæ.

monem præcipitāt,quos Galenus τραυλοὺς, Latini balbos aut blesos vocant. Respiratio abolita, ubi ad sensum perit ἄπνοια appellatur, cui vicina est diminuta respiratio, quæ parva, tarda, rara est: depravata verò respiratio propriè δύσπνοια vocatur, ubi respiratio est magna, velox, densa, sublimis aut inæqualis. Dyspnœa hæc triplex est, una quando respiratio naturalem mediocritatem in velocitate & frequentia non multum excedit, quæ generis nomine δύσπνοια simpliciter dicitur: altera ubi redditur valdè frequens & velox cum sibilo & stertore, quæ Asthma nominatur: tertia ubi ad summū frequentiæ ascendit, & non nisi erecta cervice perficitur, quæ ὀρθόπνοια inde appellatur, symptomatib. respirationis annumeratur tussis.

Symptomata respirationis.

Consequens est, ut symptomata facultatis vitalis & naturalis enumeremus. Conservatur primò vitalis facultas in corde & cæteris partibus pulsu, cujus symptomata sunt, 1. ἀσφυξία, pulsus abolitus, ut in gravi syncope. 2. Pulsus languidus sive debilis, quando imminuitur motus tam systoles, quàm diastoles, ut in lypothymia. 3. κακοσφυξία, depravatus pulsus, quando naturalem motum superat, & rhythmū ac ordinem non servat. Sub his omnes differentiæ pulsuum continentur. Deinde ipsa virtus & substantia spiritus in corde aliquando dissolvitur vel sensim, unde lenta mors: vel confertim, unde gravis syncope & subita mors: aliquando tantum debilitatur, & lypothymia consequitur: depravatus verò motus virtutis vitalis est cordis palpitatio. Præterea qualitas caloris qui à corde per arterias in totum corpus emanat, nonnunquā præter naturam augetur, ut in febribus: aliquando debilitatur & languescit, ut in hydrope aliisq; morbis frigidis: at salvâ vitâ extingui non potest.

Symptomata facultatis vitalis.

Ex

CAP. IV.

Ex naturalibus facultatibus propriè dictis, prima est appetentia. Inest autem omnibus membris naturalis appetitus restaurationis illius, quod perpetuo defluxu dissipatur: hic convenientis desiderio excitatur, & cum attractione conconjungitur: Verùm in ventriculo, præter naturalem appetitum ex partium inanitione, appetentia quædam animalis inest, nimirum desiderium plenitudinis ex suctionis sensu, cum venæ ex ventriculo attrahunt. Hic sensus si fuerit ex desiderio sicci, oritur fames; sin humidi, sitis. *Symptomata facultatis naturalis.*

Hujus appetitus symptomata sunt, ut supra dictum est, primò ἀνορεξία, abolitus appetitus, quando nullum prorsus cibum potumque appetit. 2. debilis appetitus, quando languidè. 3. depravatus & inordinatus qui duplex est. Unus δυσορεξία propriè dicta, ubi talia appetit, qualia secundum naturam appetere non debet, ut in picâ. Alius immodicus appetitus, quando adest insatiabilis fames, ut in βουλιμίᾳ: aut inexplebilis sitis, ut in febribus colliquantibus interdum accidit, plerumq; in diabete. Expletur appetitus naturalis convenientis attractione, verũ attractio duplex in corpore est: una ab appetitu animali oritur ope musculorum, qualis attractio ventriculi non est, licèt illi insit sensus indigentiæ, sive appetitus animalis: Alia sine musculis absolvitur, & excitatur non uno modo. Nam quædam oritur à familiaritate substantiæ, qua ob definitum à substantiâ alicujus partis calorem, certum quiddam pars illa appetit: Alia communis omnibus partibus est, & indeterminata ob indefinitum calorem trahentem spiritus & humores, ut in inflãmationibus: Tertia fit metu vacui, & successione ad id, quod evacuatur: quarta efficacia spiritus mediantibus fibris, quæ propriissimè attractio vocatur. *Appetitus sympt.*

Attractricis ventriculi symp. Quemadmodum enim in musculis fibræ spiritu animali repletæ ad principium suum retrahuntur: ita in partibus naturalibus fibras habentibus evenit. Nam efficacia spiritus naturalis fibræ rectæ intentæ attrahunt, ac eodem modo fibræ transversæ si intendantur expellunt, obliquæ retinent:quod si fibræ planè relaxentur, à munere suo cessant. Quare attractio ventriculi convenientis desiderio non excitatur,sed aboletur,si fibræ ventriculi & gulæ penitus relaxentur. Diminuitur, si vix longo tempore & imperfectè agant: depravatur ubi inter trahendum ventriculus quasi palpitat,tremit, convellitur, aut concutitur.

Retentricis sympt. Attrahit quidem ventriculus alimentum, ut eo fruatur: sed frui nequit,nisi commodè retineat. Commodè autem continet,si ita complectatur, ut inter ventriculum & cibos nullum spatium relinquatur. Deinde si justo tempore, & ad perfectam concoctionem contineat. Alterutrum, aut utrumque si non evenerit,vitiatur retentio. Nam retentio abolita est, ubi nullos omninò cibos complectitur, sed inconcoctos defluere sinit, unde lienteria: debilis si complectatur,vel leviter, vel non justo tempore: Si leviter, consequuntur fluctuationes & inflationes: si non justo tempore, imperfecta concoctio, & vel celer exitus per alvuum, unde coliaca passio,excretiones humidæ: vel corruptio ciborum in ventriculo & intestinis,unde excretiones fœtidæ. Depravata retentio oritur, quando ventriculus cibos comprehendit, sed cum palpitatione,vibratione, (ut in febrium rigoribus) singultu, aut cum tremore.

Symptomata concoctricis vētriculi. Retinet ventriculus cæteræq; partes alimenta sua, ut fruantur & concoquant,ac in suam qualitatem alterent,cujus actionis in ventriculo, tria sunt symptomata, 1. ἀπεψία, cruditas & abolita concoctio,

coctio, quando cibus planè non mutatur. 2 βραδυπεψία, quando vix, tardè & imperfectè concoquitur. 3. δυσπεψία, quando alimenta immutantur quidem, verùm non perficiuntur, sed corrumpuntur, & qualitatem naturæ alienam assumunt. Pars chyli utilissima à ventriculo & intestinis per venas meseraicas ad jecur naturaliter deferri & distribui debet, verùm hæc distributio aliquando tollitur, nihilq; de chylo venas ingreditur, unde fluxus chylosus: interdum diminuitur, quando non sufficienter chylus in venas rapitur. Nonnunquam depravatur, si citius, aut tardius distributio fiat, aut non eo modo, quo fieri debet.

Symptomata concoctricis iecoris.

Secunda concoctio alimenti ex chylo vi jecoris fit,& sanguificatio dicitur. Cujus symptomata sunt, 1. Abolita sanguificatio,quando nihil omnino sanguinis generatur. 2. diminuta, quando longo tempore parcè,&c. 3. depravata si pravus & vitiosus sanguis gignatur, quo corpus pro nutrimento satis commodè uti nequit. Ex abolita & diminuta sanguificatione, ac etiam chylificatone oritur ἀτροφία, licèt symptoma omnium naturalium facultatatum dici queat. Ex depravata verò sanguificatione magis κακοχυμία, καχεξία, ὕδρωψ & κακοτροφία, sub cacotrophia continetur, Elephantiasis Leuce,&c.

Symptomata concoctricis partiũ nutritionis.

Nam actio naturalis singulis partibus necessaria, est nutritio ex sanguine in substantiam partis converso & assimilato. Cujus symptomata sunt ἀτροφία & κακοτροφία, sub qua καχεξία, &c. Fit autem ἀτροφία, quando partes nullo fruuntur alimento,vel quia nõ sufficienter fruuntur, sive nutrimento frustrantur: non fruuntur, vel quia alimentum nõ ritè attrahunt, vel attractum non ritè retinent,vel non perfectè uniunt & assimilant: aut

non

non naturaliter expellunt. Quare atrophia multorum ſymptomatũ ſymptoma commune eſſe ſolet. Κακοτροφία propriè eſt, quando partes nutriuntur quidem, ſed pravè, ex alimento converſo in alienam qualitatem, quæ ſecundum naturam non eſt. Unde pars paulatim à naturali forma & conſtitutione recedit. Hæc ut ἀτροφία, plurium ſymptomatum ſymptoma eſſe ſolet, propriè verò facultatis aſſimilatricis, ac cum ἀτροφία interdum complicatur. Ubi enim partes pravo nutrimento non ſatis ſufficienter fruuntur, κακοτροφία & ἀτροφία conjunguntur.

Symptomata expultricis facultatis.

Quælibet concoctio ſive ea toti communis ſit, ut chylificatio & ſanguificatio: ſive ſingulis partibus propria, ut nutritio, ſua excrementa habet, quæ vi excretricis facultatis ſecernuntur, & extra corpus naturaliter expelluntur. Præter naturam verò hæc actio tripliciter læditur: aliquando enim planè aboletur, nihilq; per debitas vias excernitur, aliquando diminutè fit, id eſt, tardè & imperfectè: nonnunquam depravatè, nimirum non juſto tempore & modo, aut quod utile eſt expellitur, retento inutili, aut inutile cum utili. Quarè dejectionis alvi ſymptomata ſunt ſuppreſſio, aſtrictio, alviq; profluvium, ſub quo continetur lienteria, diarrhæa, dyſenteria, teneſmus, &c. Deindè excretionis urinæ, Iſchuria, ſtranguria, dyſuria, diabetes, mictus involuntarius, &c. Excretionis flavæ bilis ſymptoma Icterus flavus: melancholiæ, Icterus niger, &c. Huc referuntur omnes illi motus, qui fiunt vi expultricis facultatis, irritatæ à causâ morbificâ, ſive cum ſenſu aliquo tactus, ſive ſine ſenſu: quorum alii pluribus partibus communes ſunt, ut tremor, horror, rigor, pandiculatio, palpitatio: alii partibus nonnullis proprii, veluti ventriculo, vomitus, nauſea,

ſin-

singultus, ructus: Instrumentis respirationis, tussis: capiti sternutatio: maxillæ oscitatio: intestinis colica & iliaca passio, crepitus ventris, &c. vasis spermaticis gonorrhæa, seminisq; excretio abolita vel diminuta, utero mensium suppressio & profluvium, uteri strangulatus, ascensus, prolapsus, &c. De quorum omnium natura & causis suo loco agemus.

Numerus symptomatum functionis læsæ.

Ex his omnibus colligitur numerus symptomatum actionis læsæ. Nam pars quævis similaris quatenus nutritur, quatuor prædita est facultatibus naturalibus: quarum quælibet trifariam læditur. Quare 12. symptomata ei accidere possunt: verùm quæ publico munere naturali funguntur, quia duplices naturales functiones obtinent, communes & proprias, illa omnia duplicia habebunt. Pars enim quatenus sentit, tria habet symptomata: quatenus movetur, totidem. Quare quævis pars sentiens 15. pars movens 18. recipit. Verùm oculis, aliisque partibus, in quibus præter tactum alius sensus inest, duplicia accidunt sensus symptomata, quare oculis ratione visus tria, ratione tactus totidem accidunt symptomata, quibus adde tria ratione motus, & 12. quatenus nutriuntur: Verùm ventriculus 27. symptomata recipit, nimirum 12. ut nutritur, totidem ut commune instrumentum, 3. ratione sensus sive animalis appetitus.

Secundũ genus symptomatũ eiusq; differentia.

Secundum genus symptomatum consideratur in habitu corporis, nimirum sensibilis qualitas, sive simplex affectus sub sensum aliquem cadens, qui actionem per se non lædit. Sensiles autem qualitates duplices sunt, aliæ communes, ut magnitudo, numerus, figura, motus, quies: aliæ propriæ, ut color, sonus, odor, sapor & tactiles qualitates. Ac primum, præter naturam oriuntur colores, ut cæteræ qualitates in morbis, ex alterationibus & motionibus naturam lædentibus, vel in toto: ut flavus

color

color in icterico, niger in spleniticο; vel in parte; ut lingua nigra in febribus ardentibus, &c. Deinde sonus objectum auditus, permanens qualitas non est: nihilominus ubi naturalis sonus, nimirum vox immutatur, vel novus sonus percipitur, ut stridores dentium, crepitus & similia, sub hoc genere symptomatum interdum numerantur, licèt propriè sint symptomata actionis læsæ. Tertiò, odores non naturales ex graveolentiâ sese produnt, 1. in respiratione per os, & in transspiratione per poros cutis. Deindè in auribus, naribus, alis, & partibus putrescentibus: Item in ructibus fumosis, acidis, nitrosis. Verùm odor qui ab excrementis exhalat, ad tertium genus symptomatum potius referri debet. Quartò, gustu nullius partis saporem naturalem percipimus, nisi linguæ, quando imbuitur humore salso vel amaro, ut in febribus. Propriè verò contenta, quæ ad tertium genus symptomatū reducuntur, quatenus in os defluunt, gustu præter naturā, salsa, amara, acida & similia esse judicantur. Præterea sub tactum in ægris, qualitates & primæ & secundæ cadunt, quæ secundum naturam non sunt; & tamen per se actionem non lædunt, unde simplices affectus dicuntur, ut in febribus calor aut frigus extremarum partium, item cutis arida, dura, laxa, rugosa, intensa. Tandem ex communibus sensibilibus, magnitudo, numerus & figura præter naturam, si nullam actionem per se manifestè lædant, simplicibus affectibus annumerari poterūt, ut sunt signa illa lethalia, 1. Prognosticorum. Nasus acutus, oculi concavi, collapsa tempora, aures contractæ, crura disjecta, &c.

Tertium genus symptomatū: Tertium genus symptomatum est contentorum vitium, sive eorum quæ à corpore excernuntur, aut præter naturam retinentur, quorum alia secundum

dum naturam insunt, & necessariò gignuntur, ut quatuor humores & naturalia excrementa: alia non necessariò, sed præter naturam oriuntur, ut vermis, calculus, flatus, humores non naturales, pus, &c. Horum vitia si morbos antecedant, causa potius dicuntur: sin ratione morbi alicujus contingant, symptomata propriè vocantur. Excreta & retenta immodicè præter naturam, tribus potissimum modis dicuntur. 1. totâ substantiâ. 2. qualitate. 3. quantitate. Quibus addi poterit, excretionis modus & tempus. Excretio autem sive profusio sanguinis præter naturam, & excrementorum suppressio, toto excretæ & retentæ substantiæ genere præter naturam sunt. Profunditur sanguis præter naturam variis modis, nimirum vase rupto, vulnerato, eroso, aut oretenus recluso: item retentrice debilitata, & expultrice immodicè concitata: præterea quando vitio sanguificationis totus sanguis tenuis & serosus redditur. Deinde qualitatis vitia in excretis & retentis sunt calor, frigus, lentor, acrimonia, putredo, &c. Tertio quantitatis vitia sunt excretio & retentio immodica excrementorum, scilicet urinæ, ut in diabete & dysuria; fæcum alui, ut in lienteria, diarhæa, colica, &c. sudoris, ubi nimis rara cutis, vel densa est. His additur nimia mensium fluxio & suppressio. Nam una hæc sanguinis evacuatio sola quantitate peccat. Huc referuntur omnium pravorum humorum evacuationes & suppressiones, ut vomitus, alvi dejectiones, sputa, & horum suppressiones. Aliquando in modo excretionis vitium est, ut si non debita via, aut confertim, aut cum dolore, vehementia, strepitu & similibus, excrementa exeant: Item in tempore vitium est, si intempestivè & ante debitum tempus exeunt, quales excretiones symptomaticæ dicuntur, ad differentiam criticarum, quæ tempestivè fiunt.

Excreta et retenta præter naturam.

Qua-

Quare in omnibus excretionibus semper naturæ solius opera ab ipsis symptomatibus distinguere oportet. Nam potest una eademque excretio aliàs symptoma dici, scilicet si vi morbificæ causæ oriatur: aliàs naturæ opus: ut supra demonstratum est.

DE CAUSIS SYMPTOMATUM IN GENERE.

CAPUT V.

Causæ omnium sympt.

CUM symptomata propriè morborum effecta definiantur, & morbos umbræ ritu consequantur, necesse est omnium symptomatum causam morbos esse, & quodvis symptoma à morbo aliquo, vel immediatè vel mediantibus aliis symptomatibus, oriri. Nam actio læsa præter naturam à morbo procedit, & actionē læsam excrementorum vitia, & plerique simplices affectus, cæteri morbos immediatè consequuntur. Præsupponit enim actio præter naturam læsa necessariò partis illius affectum, in qua residet actionis causa, sive facultas: Residet autem facultas in partibus solidis, & pro partis constitutione agit, ut alibi demonstratū est. Quare læsa actio à læsa constitutione, sive à morbo dependet, & non immediatè à morborum causis: deinde ipsæ causæ sive internæ, ut contenta, sive externæ, nisi interveniente partis affectu, actionem præter naturā non lædunt. Igitur actionis præter naturam læsæ causa erit morbus aliquis simplex ut intemperies, mala compositio, unitatis solutio, vel ex his compositus affectus.

Requisita ad perfectam actionem.

Ad actionem aliquam perfectè edendam tria præcipuè requiruntur, facultas, instrumentum & objectum. Sub facultate & instrumento continentur quæcunq; operantur: in quorum numero sunt spiri-

CAP. V.

ſpiritus & calor nativus. Sub objecto omne id in quod operantur, item tempus, locus & cætera ſine quibus non fit operatio, præterea actionis uſus & neceſſitas. Objectum autem & quæcunq; ſub eo continentur, ubi proportione non correſpondent facultati; facultas fruſtratur, & functio ſatis commodè fieri nequit, ſed ſi alia nulla ſubſit cauſa propinquior, nullusvè morbus, ſymptoma propriè non erit, ſed naturalis impotentia aut naturæ opus, quale in tremore ex gravi onere & ſimilibus apparet, ut alibi demonſtratum eſt: nihilominus actiones tales ſymptomatibus plerumq; annumerantur, licet propriè nec præter naturam, nec ſecundum naturam dicantur. Verùm ubi objectum proportione correſpondet facultati & functio ſatis commodè non exercetur; in facultate, facultatisque inſtrumento, vitium neceſſariò erit, eaque functio præter naturam læſa dicitur, & propriè ſymptoma: quemadmodum ſi vitium ſit in objecto & facultate. Nam non raro objecti vitium cum partis affectu præter naturam conjunctum eſt, ut in vitiato pulſu, & reſpiratione, propter neceſſitatem & uſum. Neceſſitas enim in vitiato pulſu ab affectu, aut affectione præter naturam oritur, quæ cum cordi infeſta ſit, eam protinus excutere conatur. Facultas partis temperamentum per ſe primò conſequitur, temperamentum ſimilaribus propriè ineſt, proinde facultas ſimilaribus partibus primò debetur, & actio omnis à ſimilaribus primò procedit, licèt ſine debita inſtrumenti ſtructura non perficiatur. Conſpirant autem cujusque organi particulæ in unius actionis famulatum, ac in quolibet organo perfecto unica particula principalis eſt radix & domicilium facultatis à qua primò actio, & qua poſita ponitur, læſa læditur facultas, facultatisque functio. Cæteræ partes huic ſubminiſtrant, & in illius unius actionis

subsidium veniunt, ut in disputatione de differentiis partium dictum fuit. Quare ad actionem perfectam præter facultatem parti similari insitam, requiritur debita compositio omnium particularum instrumenti perfecti, quod facultati subservit. Ea consistit in apta figura, justa magnitudine, debito numero & idoneo consensu & situ, quorum unum si desideretur, facultas etiam illæsa expeditè agere nequit, & morbo organico impeditur. Quare læditur actio omnis, morbo similari, vel dissimilari, aut communi ut supra dictum fuit. Facultates in corpore duplices sunt, aliæ insitæ, quæ omnibus & singulis partibus insunt proprii muneris gratia; hæ perficiuntur & conservantur in singulis partibus vi nativi caloris, quatenus determinatur partis temperamento, quo læso facultas necessariò læditur: aliæ influentes dicuntur, quæ in principali parte sedem & domiciliũ habent, ac ab ejus proprio temperamento oriuntur, à quo principio ut à fonte per debitas vias emanant; ita vis sentiens & movens mediante spiritu animali per nervos, in motus sensusque instrumenta; ac vis vitalis à corde mediante spiritu vitali per arterias in omnes partes influit: à jecore verò alimentum per venas cunctis communicatur. Verùm vis illa quæ à corde influit; scilicet conservatio symmetriæ caloris innati, & quod per venas communicatur, insitas vires tantum tuetur, & conservat, nec alias inducit; at quòd à cerebro defluit facultatem movendi & sentiendi instrumentis sensus & motus tribuit. Nam in corpore nullius partis essentia permanens est, sed omnes nutrimento per venas; & conservatione symmetriæ caloris innati, per arterias indigent. Quare instrumenta motus & sensus à naturalibus plurimùm differunt: nam naturalia congenitam actionis vim habent, quæ non læditur illæsa parte aut sine pro-

Causæ symptom. actionis læsæ.

prio affectu; animalibus verò vis ſenſus & motus à principio ſcilicet à cerebro quemadmodum radii à ſole defluit. Unde non raró accidit ut ipſis partibus haudquaquam affectis, aut proprio morbo laborantibus, actio eorum nihilominus pereat. Ex his omnibus colligitur, actionem ſenſus & motus tripliciter lædi, vel læſa facultate influente, vel primo actionis inſtrumento, vel aliquo miniſtrantium: facultas læditur, læſa parte principali à qua, & via per quam ſcilicet cerebro & nervis; ſpirituum verò vitia vel fonti aſcribuntur unde oriuntur, vel membro in quo determinantur. Nam in membris illis ita determinatur ſpiritus animalis, ut proprius eſſe dicatur, & agentium membrorum quaſi pars aliqua, unde ſpiritus oculis proprius opticus dicitur. Magnitudo læſionis correſpondet magnitudini affectus. Nam parvi morbi parvam actionis noxam inducunt, majores ſemper actioni ad proportionem nocent. Eadem eſt ratio in cæteris duobus generibus ſymptomatum ut ſuo loco dicemus. Verùm ubi natura ſymptomatis explicatur, duplex definitio locum habere ſolet, una imperfecta, Galeno ἐννοηματικὴ, Ariſtoteli ὀνοματώδης, deſcriptio rei, in qua modus læſionis locum generis, actio ipſa partis, locum differentiæ obtinet. Ita convulſio definitur depravata ſive invita retractio muſculi vel nervi verſus ſuam originem; apoplexia privatio repentina animalis functionis. Altera definitio eſſentialis cauſalis & ſcientifica dicitur, quæ illam priorem complet & cauſam proximam illius læſionis in ſubjecto explicat, de qua alibi dictum eſt. Illæ læſionum cauſæ ſunt affectus partium præter naturam, ut ſupra demonſtratum eſt. Abolent autem actiones magni affectus quatenus generationem & diſtributionē ſpirituū impediunt, calorē innatū, & robur partiū planè diſſolvunt: debilitant verò, hæ

Symptomatis definitio duplex.

eædem causæ plerumque, si minores fuerint: depravant, quæcunque facultatem vehementius urgent, irritant, commovent, &c. His determinatis restat, ut causas symptomatũ in specie cõsiderem⁹, initio facto à symptomatibus principis facultatis.

DE CAUSIS SYMPTOMATUM CEREBRI, NIMIRUM Principis facultatis & sensus communis.

CAPUT VI.

ETsi Anima cum omnibus suis facultatibus radicaliter in corde sit, ut in centro microcosmi, tamen quia functiones illæ, quæ à Medicis principes vocantur, in corde non perficiuntur, nec manifestantur sed in cerebro: omnium ferè Medicorum consensu, cerebrum domicilium & instrumentum principum facultatum est, cui curatio adhibetur, quoties aliqua functionum principum læditur. Est enim cerebrum sensorium primum, sive sedes sensus communis, à quo dependent quinque sensus exteriores, & motus voluntarius. deinde à cerebro immediatè perficiuntur functiones illæ tres, quæ à Medicis principes vocantur, nimirum imaginatio, cogitatio, & memoria, ut alibi dictum est. Hæ functiones puræ similares nõ sunt, quæ à sola temperie inchoantur & absolvuntur, sed mixtæ: quamvis enim ab idonea cerebri temperatura primum proficiscantur, absq; tamen apparatu instrumentali non perfectè exercentur. Temperatura autem illa, est, primum substantiæ cerebri, unde actio; deinde spirituum animalium, sine quibus non; tertio, partium

mini-

ministrantium, ut membranarum, &c. Apparatus verò instrumentalis, est omnium partium apta compositio, in magnitudine, numero, conformatione, consensu & situ.

Horum unum si lædatur, pro modo læsionis, functio cerebri vitiatur. quare læduntur functiones cerebri, vitiata temperie, vel labefactatis iis, quæ ad organi integritatem pertinent. Intemperies autē authore Galeno 3. de locis, vel simplices sunt, vel compositæ, sine vel cum materia, humore scilicet aut vapore, sive flatu, quibus adduntur intemperies mixtæ, ex contrariis, qualis dispositio oritur, si bilis pituitæ, vel pituita sanguini in cerebro permisceatur, aut sanguis, melancholiæ, vel atræ bili. Hi humores interdum per arterias & venas defluentes & membranas aut cerebrum quasi alluentes intemperiem cum materia gignunt, aliquando vasa egressi in substantiam membranarum, aut cerebri impacti, & absorpti tumorem præter naturam efficiunt, exquisitum, ut phlegmonem, erysipelas, scirrhum, aut œdema, vel minus exquisitum, qualis est phlegmone erysipelatodes, &c. Intemperies illæ cerebri, non modò secundum magis, aut minus differunt, unde magna symptomatum varietas, sed etiam quia totum cerebrum, omnesque cerebri partes, pari modo non afficiunt. Nam aliquando his intemperantiis ventriculi cerebri tantum afficiuntur, vel omnes, vel aliqui tantum; interdum universa vasa. aliquando humor per totum corpus cerebri dispersus est; nonnunquam totum cerebri corpus intemperatum redditur. Præterea laborat cerebrū, vel per se, propria affectione, sive ea sit primogenia, sive secundaria; vel ex consensu partis alterius, item ex vaporibus, vel humoribus ad cerebrum ascendentibus. Tandem cerebrum ut pars instrumentaria laborat tumore præter naturam, & angu-

Causæ communes symptom. principis facult.

stia aliqua, ut obstructione, compressione, & subsidentia ventriculorum, & cavitatum ac etiam continui solutione, ut vulnere, ulcere, contusione & concussione, &c. Hi morbi sunt causæ præcipuæ symptomatum facultatis principis, sensusque primi, & sub nominibus symptomatum plerumque describuntur. Nam omnes ferè morbi capitis à symptomatibus denominantur. Quare de natura & causis symptomatum principis facultatis, sensusque communis ordine dicemus initio facto à desipientia.

De delirio sive desipientia.

Desipientia, authore Galeno 1 *Prorhet. Com. 1.* alia nuda & simplex est, qualis accidit in febris vehementis rigore, alia continua, cum febri acuta conjuncta, quæ Phrenitis dicitur, quædam sine febri, quæ à Galeno ibidem insania vocatur, à recentioribus desipientia Melancholica. Nam, ut ibidem Galenus, μαίνεσθαι omnes homines dicunt eos, significatione tantum communi, qui desipiunt sine febri, φρενιτίζειν, qui cum febre continua patiuntur: quod verò in febris vehementis rigore accidit, appellant & παρακόψαι & παραχθῶσαι & παραληρῆσαι, & παραφρονῆσαι. hæc desipientia simplex à recentioribus dicitur.

Desipiẽtia simplex.

Accidit autem desipientia simplex, aliquando in febris vehementis rigore, ab expiratione calida, vel humore calido per cerebrum effuso; aliquando sine febri, à causa aliqua procatarctica, spiritus animales conturbante, scilicet ab ebrietate, nimia sanguinis evacuatione, immodicis vigiliis, commotione cerebri & similibus.

Phrenitis.

Phrenitis, à læsa mente, quam græci φρένας vocant, nomen habet, unde ab Hipp. pro quovis delirio interdum sumitur. Phrenas verò veteres septum transversum appellarunt, ibique mentem se-

dem habere crediderunt, quod ex inflammatione τῶν φρενῶν, id est, septi transversi, delirium oriri viderunt; cerebro consentiente septo transverso per nervos. verùm ejusmodi phrenitis notha est, sive παραφρενῆτις, & ex inæquali respiratione, præcordiorum calore, & contractione cognoscitur, ac à vera phrenitide distinguitur. *Paraphrenitis.*

Vera autem phrenitis ex cerebri proprio affectu oritur, ac definitur, delirium continuum cum febri acuta, orta ex calida cerebri intemperie, conjuncta cum inflammatione membranarum, obvelantium cerebrum. *Definitio Phrenitidis.*

Necesse enim est in phrenitide læsam esse sedem facultatis principis, nimirum cerebrum, vel primariò, vel secundariò ex meningibus. affici autem membranas, ostendit pulsus durus, quare à ratione alienum non est, incipere inflammationem à membranis, præcipuè à tenui meninge, ac procedente morbo, humorem illum calidum interdum diffundi per totam substantiam cerebri, & phrenitidem hecticam inducere. *Pars affecta.*

Nam morbus causa immediata Phrenitidis est intemperies calida substantiæ cerebri conjuncta cum inflammatione meningum, ea inflammatio vel erysipelas exquisitum est, vel erysipelas phlegmonodes, vel phlegmone erysipelatodes, intemperies autem cerebri, vel inæqualis est, occupans partem cerebri, aut in una parte intensior, in altera remissior; vel æqualis, totum cerebrum occupans. Ex hac oritur phrenitis hectica, tremula & blanda, omnium pessima, in qua omnes functiones depravantur: ex illa, phrenitis tumultuosa, in qua omnes functiones non semper læduntur. Nam, ut vult *Galen. 1. Prorhet. Com. 37.* si humor in aliqua cerebri parte firmetur, conse- *Causa.*

quitur ſymptomatis ſpecies, quæ peculiaris & affinis eſt, tum naturæ partis, tum humoris. Materia, ex qua intemperies cerebri,& inflammatio oritur, eſt humor tenuis & calidus, putreſcens in meningibus,& circa cerebrum, nimirum aut bilis,aut biliosus ſanguis,ſed in quo bilis maximè dominatur. Bilis illa erit vel pallida,quæ omnium mitiſſima eſt, vel flava,acrior & calidior,vel peraſſata,dum aduritur,unde omnium peſſima phrenitis. verùm bilis, quæ jam aduſta eſt, nō putreſcit, nec propriè phrenitidem gignit, ſed Maniam.

Differētiæ Phrenit. Ex his omnibus differentiæ phrenitidis colliguntur,quæ ſuis certis ſignis judicantur. præcipuæ verò differentiæ ſumuntur à cauſis & forma delirii. Nam à ſanguine deliria tutiora ſunt cum riſu;à bile flava cum iracundia & jurgiis, ab atra cum ſævitia & rabie. Dignoſcitur quoq; humor peccans ex habitu, temperamento, & colore corporis, excrementis,ætate,anni tempore,diæta,&c.ut in doctrina ſignorum. Deinde in delirio, vel depravantur omnes principes functiones, præcipuè imaginatio & ratio, interdum imaginatio ſola,aliquando ratio cæteris illæſis. Cur autem una functio lædatur, altera illæſa, dubitant Medici.

An facultates principes ſedibus diſtinguantur. Aëtius,Arabes, & ex recentioribus non pauci,has functiones,functionumq; læſiones, ſedibus diſtinxerunt, lædiq; imaginationem dicunt, læſa anteriori cerebri parte: cogitationem, læſa media: memoriam,læſa poſteriori parte. Verùm cum temperamentum cerebri, ſit primum inſtrumentum omnium facultatum principum, ſive cerebrum ſecundum propriam ſubſtantiam, omneſque partes, organum ſit omnium facultatum principum,nulla neceſſitas exigere videtur,ut illas functiones læſas, earumque facultates, his ſedibus tantum definiamus & circumſcribamus; licèt alienum à ratione

non

non ſit, vim imaginatricem, ſenſumq; communem in anteriori parte magis vigere, quæ mollior eſt, & ad recipiendum aptior, memoriam magis in poſteriore, quæ durior, & ad conſervandas ſpecies magis idonea. Probabile quidem videtur imaginationem ſolam lædi, à vaporibus aſcendentibus, & à commotione humorum: imaginationem verò, cum ratione & memoria, à morbo valido & confirmato: nam in initio, cum malum leve eſt, à commotione humorum, & à vaporibus in cerebrum aſcendentibus, non aliter cerebrum & imaginatio afficitur, quàm ſi ab externis objectis afficeretur. ob tranſitum enim humorum & vaporum, ſpecies externorum ſenſibilium non clarè figuntur, ſed pro iis viſa plurima obverſantur, juxta humorum & vaporum naturam; at, ſi cauſa in motu non ſit, nec quaſi tranſitu ulterius offendat, ſed temperamentum cerebri lædat, tum rationem vitiat, non neceſſariò imaginationem, niſi intemperies magna ſit, nam ex leviori intemperie tollitur cogitatio, quæ præſtantior actio eſt, quàm imaginatio.

Deſipientia melancholica eiuſq; ſpecies. Deſipientia melancholica, ab humore melancholico, duplex potiſſimum eſt, ſcilicet melancholia propriè dicta, & Mania, quibus addunt nonnulli Lycanthropiam, Cynanthropiam, &c. Melancholia autem inter illos affectus à Galeno numeratur, qui à cauſis nomen habent, nam nomen tum effectui, tum efficienti cauſæ convenit. *Melancholia quid?* præterea interdum pro ipſo affectu cerebri, genito à ſucco fæculento & nigro, ſumitur: interdum pro ipſo delirio, ſive ſymptomate, quod illum affectum conſequitur. Hoc modo definitur Melancholia, delirium ſine febri cum metu & mœſtitia, abſq; manifeſta cauſa, ab intemperie frigida, ſicca, ex humore, vel vapore melancholico, cerebrum occupante, & ſpirituum in cerebro ſubſtantiam alterante.

Causa melancholiæ. Affectus ad quem consequitur Melancholia, est cerebri quatenus pars similaris & non dissimilaris, quia sensim fit, Deinde quia teste *Hipp. 6. Epid. sect. 7.* Melancholici magna ex parte Epileptici fiunt, & epileptici melancholici, prout in hanc, vel illam partem infirmitas, & humor Melancholicus repit. nam ubi in corpus, epilepsiam, ubi in mentem, melancholiam procreat; in corpus autem repit, authore Galeno 3. *de locis cap. 7.* si in cerebro obstructiones excitarit. in mentem verò, si cerebri & spirituum substantiam in suam naturam transmutaverit, sive ea intemperie affecerit, quæ tenebris correspondet, qualis intemperies est frigida sicca, cum humore & vapore melancholico, quæ ex consensu quoque cordi tandem communicatur. *Signa communia melanch.* Communia omnibus melancholicis signa, sunt delirium cum timore sine evidenti causa, diffidentia, odium hominum, cogitationes profundæ, & pro dispositione corporum & humorum, vitæq; studio variæ ferè ut in ebrietate; alij enim irascuntur, quidam flent, nonnulli rident, aliqui mortem expetunt, hi reges, divinos vates, divites se esse imaginantur, illi miseros, pauperes, defunctos, bruta animalia, &c.

Species melancholia tres. Ratione materiæ hujus, melancholia in tres species dividitur, quarum una primaria, sive per essentiam vocatur, altera ex consensu totius: tertia, hypochondriaca & flatulenta. Primaria autem quæ continua est, cum cogitationibus intentis, fit ab humore melancholico, cerebrum duntaxat obsidente: melancholia ex consensu totius, fit ab humore & vapore melancholico, redundante in toto corpore, & ambitu omnium venarum, & propterea cerebrum ipsum afficiente: cujus notæ sunt, gracilis, niger, hirsutus corporis habitus ex toto melancholicus vel à natura, vel contractus ex curis, vigiliis, victu crasso, &c. Melancholia verò hypochondriaca,

driaca, fit propriè à vapore melancholico ex hypochondriis, sive quibuscunque partibus imi ventris in cerebrum sublato. Hi vapores in cerebrum ascendentes variis modis oriuntur, primò, ab effervescentia quadam sanguinis, ex venis illis, quæ alimentum ad jecur deferunt, ut Diocles voluit. Secundò, magno pylori, & incumbentium partium ardore, chylum & sanguinem in primis venis adurente, non autem à vera inflammatione, ut ipsi Galeno videtur 3. *de Locis cap.* 7. Tertiò, vitio lienis, à seroso humore, è liene in ventriculum irruente, ut testatur *Gal.* 5. *de Locis cap.* 6. vel à melancholico humore, circa viscera detento, qui à liene non expurgatur, tandem à putredine in vasis uteri & seminalibus, ex suppressis mensibus, & semine retento; quod viduis, & grandioribus virginibus accidit, ut vult *Galen.* 6. *de Locis cap.* 5. *Hipp. lib.* de Morbis virginalibus. In his omnibus penè, malum prius ventriculo, quàm cerebro communicatur, & concoctio vitiatur, undè æstus in præcordiis, fluctuatio, dolorque ventriculi ad dorsum se extendens, & scapulas, compressio interdum diaphragmatis ut suffocari videantur, anxietas, nausea, ructus acidi aliaq; circa ventriculum accidentia: nonnunquam, ubi effervescentia in arteriis est, malum cordi quoque communicatur, quæ omnia ructu, vomitu, alvi dejectione mitigantur, refrigeratoque cibo, deindè per intervalla recurrunt, præcipuè post cruditates.

Mania. Melancholia si intendatur, in maniam abire solet. Est autem Melancholia adeò maniæ cognata, ut mania pro melancholia, & melanch. pro mania, à Gal. & Hipp. non rarò sumatur. Verùm mania propriè dicta, à melancholia, non tantum symptomatum magnitudine, ut Tralliano videtur, sed etiam

Causa Maniæ.

etiam modo delirii, ac etiam cerebri affectu, & caussis distinguitur. Nam in mania ægri timidi nullo modo sunt, ut in melancholia, sed audaces, & temerarii, quiq; iracundia, jurgiis, clamoribus, aliisque perturbationibus pro qualitate humorum, omnia agunt, ac interdum, ut feræ, obvios invadunt. Deinde in Mania, ut in Melancholia, læditur cerebrū, quatenus pars similaris, vel per se, vel per consensum, ex toto, aut præcordiis; sed mania, propriè ab intemperie vehementer calida, oritur, sive à fervente calore cerebri, spiritus animales in suam naturam alterante, id est, igneos reddente: ea intemperies calida, aliquando sola est, plerumq; cum materia, scilicet cum succis calidis & mordentibus, sed sine tumore, quales succi sunt sanguis fervens, unde mitissima mania; vel succus melancholicus adustus, vel bilis flava perassata, unde immanissimus furor. Quare erit Mania depravata functio principum facultatum, sine febri continua cum excandescentia à fervida cerebri intemperie, cum humore calido sine tumore. Dico sine febri & sine tumore, ad differentiam phrenitidis, deinde dico cum excandescentia, & à fervida cerebri intemperie, ad differentiam Melancholiæ propriè dictæ. Ad hæc genera omnes disipientiæ formæ reduci poterunt. Sunt autem variæ delirii formæ, quæ omnes consequuntur dispositionem corporis, & naturam causæ lædentis, aut humoris peccantis, aliquando vitæ studium & conditionem, ut sunt Lycanthropia, à Melancholia adusta; Cynanthropia à bile præassata; Hydrophobia insania, ex morsu canis rabidi: item furor ex vesano amore.

De vertigine.

Est præterea depravata imaginatio, cum læsione motus voluntarii in Incubo, ac quoq; in vertigine, verùm in vertigine per se, est depravata perceptio sensationum primarum, præcipuè specierum visi-

visibilium, ex accidente depravata imaginatio, quatenus falsa motus species à sensibus ei offertur; nam in vertigine judicium imaginationis non propriè pervertitur, quia motum à quiete discernit, & illam motus speciem falsam esse intelligit: Cujus contrarium in delirio apparet, nam melancholici se falsa imaginari non putant; at vertiginosi, visionem illam, in qua omnia circumaguntur, falsam esse non dubitant: nihilominus quia in vertigine, cum falsa motus specie, imaginatio sensationes apprehendit, depravata functio imaginationis dici poterit.

Causa hujus depravatæ functionis, est inordinatus motus spiritus animalis, insigniti visibilibus speciebus. nam spiritus animales in cerebro, ministri imaginationis, non solum vim sentiendi externis sensibus tribuunt, sed etiam eorum objecta deferunt ad interiorem sensum: proinde species visibiles ab imaginatione, cum eo motu percipiuntur, quo moventur spiritus animales. *Causa vertiginis*

Quare erit vertigo falsâ conversionis imaginatio, affecta cernendi facultate, aliquando oculis caligine offusis, unâ cum læsione motus voluntarii, ex inordinato motu spiritus animalis, insigniti speciebus visibilibus, à flatulento vapore permixto spiritibus, coarctante ventriculos cerebri. Concurrunt enim in vertigine cum falsa imaginatione conversionis, ex inordinato motu spirituum, depravata visio, & in gravi vertigine, quæ σκοτωμία dicitur, oculorum obtenebratio, ac prætera, quia non habent, ubi gressum figant, cum omnia circumagi videantur, voluntarii motus læsio sive lapsus periculum. *Definitio.*

Circumaguntur autem spiritus animales in cerebro, ob angustiam aliquam anteriorum ventriculorum cum debilitate retentricis specierum in cerebro; ea angustia interdum est obstructio ab hu- *Morbus.*

more flatulento, aut crasso vapore spiritus animales commovente, & liberum transitum impediente; aliquando compressio à cranii fractura, aut depressione ex ictu, casu, &c. nonnunquam subsidentia à dolore ex acri maligno, aut venenato & flatulento humore, crassovè vapore expultricem cerebri irritante. Nam plerumque vertigo calidam causam includit, aut inæqualem intemperiem, partim frigidam ratione materiæ, ex qua flatus, partim calidam ratione causæ materiam moventis, cerebrumq; irritantis; sæpè enim tenuis calidusq; spiritus per arterias in cerebri ventriculos irruens vertiginem excitat, unde teste *Gal. 3. de Loc. aff. c. 8.* nonnulli sectione arteriarum pone aures ab hoc malo curati fuerunt.

Differētia vertiginis

Materia expultricem cerebri irritans, spiritusque commovens, aliquando in cerebro coacervatur, nonnunquam à ventriculo transmittitur, utero, aliisq; partibus. Quare vertigo alia primaria erit aut ex proprio cerebri affectu, quam demonstrant dolor, gravitasq; capitis, tinnitus aurium, oblæsio olfactus, aut alicujus sensus; alia per consensum & potissimum ventriculi, quam arguit inappetentia, nausea, oris amaritudo, cardialgia, &c. Deinde alia levis δῖνος, qua omnia tantum circumagi videntur à leviori spirituum commotione, ex tenuioribus vaporibus: alia gravis, quæ σκότωμα, & σκοτόδινος, dicitur, ubi dum circumaguntur, tenebræ oculis offunduntur. hæc à graviori affectione oritur, spiritibus, qui ad oculos tendunt, ita transversim motis, ut visum prorsus destruant, ex vapore crassiore & copiosiore; quare hæc species Epilepsiam, aut Apoplexiam præcedere plerumq; solet.

De Incubo

Vertiginis & incubi magna cognatio est, utrumque enim phantasma quoddam est, & á vaporibus,

poribus, cerebri ventriculos obstruentibus; ac etiam præludium Epilepsiæ, aut Apoplexiæ; sed vertigo vigilantibus obvenit; Incubus dormientibus, cum sensu gravitatis & suffocationis, à vapore magis crasso sursum ascendente, cerebri ventriculos aliquo modo obstruente. Quare erit Incubus insomnium pravum, sive phantasma rei gravis & suffocantis, id est, vocem & respirationem intercipientis, à vapore crasso sursum ascendente, cerebriq; ventriculos implente, & liberam spirituum ad nervos penetrationem impediente. *Causa eius.* *Definitio incubi.*

Nam sedes affecta est cerebrum, cum phantasia lædatur; & incubus sit nil nisi phantasia rei gravantis licet diaphragma quoque afficiatur. Morbus causa læsionis est levis aliqua obstructio ventriculorum cerebri liberum transitum spirituum ad nervos impediens, cujus ratione ad instrumenta respirationis, quæ in somno non quiescunt, quia spiritus liberè non descendit, ipsa respiratio impeditur, sensusq; suffocationis & gravitatis percipitur. *Pars affecta.* *Morbus.*

Causa morbi est crassus vapor à præcordiis initio somni potissimum ascendens, cerebriq; ventriculos implens, genitus ex crassa pituita, aut melancholia coacervata potissimum in ventriculo primisque venis; hic vapor dum ascendit, quia diaphragma comprimere solet, nonnulli recentiorum à sola illa compressione ex crassis vaporibus ascendentibus incubum fieri putant, cum ea sola nō sufficiat, nisi cerebrum quoq; afficiatur. Comitantur hunc affectum motus difficilis, & in somno sensus torpidus, suffocationis imaginatio, & quasi ab aliquo super incumbente oppressio, ita ut exclamare nequeant, sed confusam vocem edant, &c. *Causa morbifica.*

Hactenus de depravatis functionibus principum facultatum diximus, consequens est, ut de diminutis & abolitis agam⁹, ut sunt ἄνοια, μώρωσις,

oblivio

oblivio, ſoporiferæ affectiones. Ἄνοια Latinis Amentia & extrema fatuitas eſt, abolita functio mentis ſive cogitationis: μωρία ſive μώρωσις ſtultitia eſt debilitas tantùm rationis: Nam amentia definiri poterit defectus rationis, quem plerumq; comitatur defectus imaginationis & memoriæ, adveniens ſine læſione ſenſus & motus ex defectu caloris nativi reſidentis in ſubſtantia cerebri. Dico defectum rationis ſine læſione ſenſus & motus ad differentiam apoplexiæ, cari & ſimilium: ubi cum functionibus mentis perit ſenſus & motus. Nam in amentia illæſo ſenſu & motu tantus eſt rationis defectus, ut nil omninò dijudicare & inter ſe conferre queant, ſed ſtupidi ad brutorum modum omnia ſine animadverſione negligant.

Amentia.

Definitio amentiæ.

Cauſa.

Cauſa proxima amentiæ eſt defectus nativi caloris reſidentis in ſubſtantia cerebri, qui vel privativus eſt, ex defectu ſpirituum & ſubſtantiæ caloris nativi in cerebro, vel poſitivus, ubi vis ejus obtunditur à contrario frigore, graviq; intemperie frigida humida plerumq; cum materia pituitoſa, quæ actiones omnes torpidas reddit. Deinde defectus ille vel eſt, ab utero & in formatione fœtus ob non debitam quantitatem & formam cerebri, vel poſt ortum à vehementiſſimis cerebri affectibus calorem nativum debilitantibus, ut ex apoplexia, peſte, gravi epilepſia, &c. Ab iiſdem cauſis ſed levioribus oritur μωρία diminuta functio rationis, orta à debilitate caloris nativi in cerebro ex intemperie frigida potiſſimùm.

Oblivio.

Ad amentiam plerumq; conſequitur oblivio. Nam abolitâ ratione læditur unâ imaginatio & memoria: at contrà læsâ memoria non ſemper læditur unâ ratio aut imaginatio: memoria abolita & debilis communi nomine oblivio dicitur, propriè

verò

verò & absolutè memoria deperdita, ubi nil omninò præteritorum recordantur, oblivio: debilis verò aut diminuta memoria, ubi difficulter aut ex non longo tempore reminiscuntur, stupor tantùm memoriæ & minus absolutè oblivio. Est igitur oblivio abolita aut deperdita memoriæ functio orta à debilitate aliqua caloris nativi in cerebro ex defectu aliquo spirituum & substantiæ ejusdem, vel ex intemperie frigida, conjuncta plerumque cum siccitate, aut humiditate, & materia pituitosa vel melancholica. *Eius definitio.*

Sedes affecta est cerebrum secundum substantiam: causa verò est debilitas quædam caloris nativi residentis in substantia cerebri, sed non tanta ut cum memoria imaginatio & ratiocinatio lædatur. Nam à potiori non oblivio, sed amentia aut stultitia tunc diceretur. Debilitas illa nativi caloris provenit ex defectu aliquo spirituum & substantiæ caloris in cerebro ab utero, vel gravi morbo cerebri, ut apoplexia, peste, vehementi ictu, senio, &c. Plerumq; à contrario frigore, frigidaq; intemperie: lædit autem memoriam intemperies frigida, aliquando per se sola, plerumq; cum humiditate, aut siccitate conjuncta, vel cum materia pituitosa, aut melancholica in cerebro coacervata: per se autem ipsa intemperies sicca cerebrum ineptum reddere potest ad species suscipiendas; & humida ad conservandas, ut in pueris. Ab iisdem causis, sed levioribus oritur debilis memoria. Qualis sit intemperies, & ex quo humore, deprehendimus ex habitu corporis, excrementis, victus ratione, &c. *Pars affecta.* *Morbus causa oblivionis.*

Soporiferæ affectiones sunt, ut alibi dictũ est, in quibus sensus communis aut primus, (cui debetur somnus aut vigilia) propriè læditur, vel solus, unde κῶμα, vel simul cum facultate motiva & principe, ut in apoplexia, caro, lethargo, & catalepsia,

quibus addi poterit epilepsia. Horum symptomatum communis quædam ratio est, omniũ enim sedes affecta est cerebrum,& causa frigida. Differunt tamen & modo læsionis,& varietate affectus lædentis. Nam coma propriè dictum symptoma est sensus communis, cæteræ affectiones , & sensus communis & principis facultatis. Deindè in comate & lethargo magis læditur substantia cerebri ; in cæteris magis ventriculi, & in caro magis anteriores, in catalepsia posterior,In apoplexia & epilepsia omnes ventriculi.

Apoplexia

Apoplexia ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν nomen habet, quòd ægri hoc malo correpti repentè corruant, nō aliter,quàm si gravissimè percussi essent,undè syderatio dicitur,quasi fulmine percussi : & morbus attonitus,quia stupet mens & corpus : item universalis paralysis, quia resolvũtur omnes functiones animales. Discernitur autem vera apoplexia à cæteris symptomatibus,primùm quod ægri repentè concidant cum privatione omniũ functionum animaliũ, excepta respiratione,quæ læsa aliquo modo permanet : deindè quòd excitati partẽ corporis resolutam ut plurimum habeant. Causa immediata hujus mali non est sola intemperies, quæ repentè non fit, sed morbus instrumentalis,& potissimùm angustia ventriculorum cerebri,licèt sine valida intemperie substantiæ cerebri facultatem ipsius debilitante non oriatur,quò inprimis à caro & epilepsia distinguitur. Verùm de causa non planè consentiunt Medici.

Diversæ opiniones circa causam Apoplexiæ.

Aliqui à sola obstructione ventriculorum & cavitatum cerebri apoplexiã immediatè fieri arbitrantur: nonnulli non à sola obstructione , sed cum Galeno *com.42. aph.4.* à compressione ventriculorum cerebri,& potissimum ab affectu inflammatorio,ex sanguine copioso irruente in cerebrũ,venas & arterias tendente,& ventriculos cerebri comprimente : aliquando ab ipsa inflammatione aucta, cujus ratione

phrenitis & lethargus in apoplexiam interdum terminatur. Aliqui ex *Hipp.4. de Vict. in acut. cont.23.* apoplexiam quoq; fieri arbitrantur ab interceptione aut obstructione carotidum, aut venarum sive arteriarum, per quas materia in cerebrum defertur, & spiritus animalis generatur, à copia sanguinis irruente, in quam affectionẽ plethorici incidere solent. Verùm cum legitima apoplexia sit, in qua ægri repentè sine motu & sensu concidunt, & excitati partem corporis resolutam habent, non erit à sola obstructione aut interceptione jugularium. Nam his ligatis & interceptis hominẽ non repentè motum, sensumque amittere sua experientia demonstravit *Gal. 4. de placitis cap. 6.* attamen rationi consentaneum est, si ista interceptio diu duraverit, nihilque virtutis à corde in cerebrum influxerit actiones animales sensim debilitari, donec prorsus aboleantur; quare in hoc affectu cerebrũ per consensum tantũ afficitur non aliter, quàm in gravi syncope, unde vera apoplexia dicit nequit, sed notha. Deindè quando ob interceptionem vasorum in toto corpore à plenitudine suffocatur calor nativus, præceps est omnium virium, non modo animalium, sed etiam vitalium lapsus, sed nõ vera apoplexia; nec etiam propriè, ubi sanguis tanta copia in cerebrum irruit, ut ventriculos planè repleat, & spiritus omnes elidat, caloremq; nativũ subitò opprimat, sed tantum ubi vias spirituũ intercipit, & substantiam cerebri constringit, vasáq; comprimit. Hæc affectio à *Gal. com. 42. Ap. 2.* dispositio inflammatoria dicitur, non vera inflamatio, quãdo sanguis in parte coacervatus putrescit, verùm ista species apoplexiæ rara est, & juvenibus plethoricis accidit. Plerumq; causa proxima veræ apoplexiæ est obstructio omniũ ventriculorũ cerebri effluxũ spirituũ impediens ex humore crasso repentè influẽte, ac ipsam etiã substantiã replente, ut turgescat.

Definitio Apoplexiæ

Quare vera Apoplexia definiri poterit repentina privatio omnium functionum animalium, respiratione solâ læsâ manente, ab angustia ventriculorum & cavitatum cerebri cum debilitate expultricis ejusdem ex crasso humore confertim irruente. Dico respiratione læsâ manente, quia sublata omni respiratione animal vivere nequit. Manet quidem respiratio, sed læsa, & proindè ex læsione respirationis judicamus periculi aut ipsius apoplexiæ magnitudinem.

Causa Apoplexiæ.

Causa proxima veræ apoplexiæ est angustia ventriculorum cerebri cum intemperie debilitante facultatem cerebri, ut ad expulsionem causæ morbificæ statim insurgere nequeat; sicut in epilepsia fit, angustia illa, vel obstructio, vel compressio ventriculorum & cavitatum cerebri est. Obstructio autem fit à crasso frigido humore confertim irruente, qualis est pituitosus, aut melancholicus, genitus ex prava crassaque victus ratione, crapula, &c. Quæ dignoscitur ex causis evidentibus progressis propriisque effectis. Compressio verò fit ab affectu inflammatorio ex sanguine irruente in cerebrũ, quæ plethoricis potissimùm accidit. Cujus signa sunt oculi, faciesq; rubicunda, pulsus magnus, tensio venarum jugularium & capitis, &c. Irruunt isti humores in cerebrum incitati & commoti à causis plerumq; externis, ut immodico calore aut frigore, ab ebrietate, intempestiva venere, timore, fulmine, &c. Obstructis ventriculis & viis, spiritus animalis non descendit, unde sensus & motus perit.

Epilepsia.

Επιληψία Latinis morbus caducus comitialis & lunaticus, gravis, & portentosa affectus species est, ad cujus nomen teste Plinio despui consuetum fuit. Continetur à Galeno sub genere convulsionis, licet convulsio exquisita non sit σὺν πάσει, ut

teta-

tetanus perpetua, ſed ex temporum intervallis accidens cum ſenſuum mentisq; oblæſione; qualis motus convulſioni ſimilis eſt, ſive convulſivus cum contractione membrorum voluntarii motus. Nam in Epilepſia concurrit motus convulſivus, ſive concuſſio & conquaſſatio cum nervorum contractione: unde membra & contrahuntur verſus initium ſuũ, & concutiuntur. Concutit autem ſe cerebrum principium nervorum, ut expellat id quod noxium eſt, ſive quod facultatem expultricem cerebri irritat, non aliter quam in ſternutatione. Contrahunt autem ſe omnes nervi & muſculi corporis ad cerebri contractionem, & ſimul mens ſenſusq; læduntur ob anguſtiam ventriculorum cerebri: Verùm illa contractio perpetua non eſt, qualis in convulſione propriè dicta accidit, ſed cum relaxatione interpolata, ut in motu voluntario.

Quare erit Epilepſia motus convulſivus totius corporis unâ cum ſenſus & principis functionis læſione, ortus à pituitoſo melancholico, vel maligno humore, aut vapore cerebri ventriculos arctante, & expultricem cerebri irritante, ut ſua contractione extrudat id, quod noxium eſt. Pars affecta, ubi reſident facultates læſæ, eſt cerebrum. Deindè quia ſubitò fit, & deſinit, morbus cauſa immediata hujus læſionis, non erit intemperies, nec quemadmodum in melancholia cerebrum ſecundum ſubſtantiam hîc afficitur, ſed ſecundum ventriculos tantum non ob anguſtiam perfectam cum intemperie ſubſtantiæ cerebri, qualis eſt in apoplexia, ubi ad expellendum id, quod noxium eſt, facultas expultrix inſurgere nequit. Nam in Epilepſia concurrit anguſtia ventriculorum cerebri cum motu facultatis expultricis, ut id, quod noxium eſt, expellat; Ob anguſtiam ventriculorum mens ſenſusque læduntur, & eo magis quo major obſtructio, dum

Definitio epilepſiæ.

Pars affecta.

Morbus cauſa immediata.

verò ad expellendam id,quod noxium est, principium nervorum contrahitur & concutitur, omnes partes motum convulsivum patiuntur.

Angustia illa,est vel obstructio, vel subsidentia ventriculorum. Obstructio autem sit quidem à materia crassa, veluti pituita, aut melancholia,sed non sub propria forma, verùm quia tenuior spumosiorque facta; à crasso vapore obstruente rarò aut levis epilepsia fit. Subsidentia verò ventriculorum interdum fit ab humore,plerumquè à vapore maligno irritante cerebrum & meninges, ut sese violenter concutiat; dum autem principium nervorum sese concutit, spiritus aut suffocantur, aut dissipantur, & extra ventriculos protruduntur, undè ventriculi cerebri concidunt, & ægri sine motu & sensu jacent, donec spiritus in debita quantitate regenerentur. Ab obstructione ventriculorum epilepsiam fieri ostendit translatio materiæ morbificæ, interdum à ventriculis ad nervos. Nam Epilepsia in paralysi linguæ, aut alterius lateris nonnunquàm terminatur,& teste *Galen. Com.27. lib.4. de victus ratione*, apoplexia per mediam Epilepsiam in paralysin quandoq; terminatur.

Epilepsia triplex. In omni Epilepsia afficitur cerebrum, aut per se primario affectu, aut per consensum alteri⁹ partis nimirum vel visceris alicujus potissimum ventriculi vel partis in ambitu corporis, unde à Galeno triplex constituitur Epilepsia: una primaria ex cerebri proprio affectu: alia ex consensu viscerum, imprimis orificii ventriculi,aliquando uteri,lienis, &c. tertia ex consensu partis alicujus in ambitu corporis: ut manus, pedis, &c. ab aura maligna ascendente in cerebrum; vel à venenata qualitate alteratis per continuationem partibus cerebrum non tam obstruente, quàm irritante ut sese contrahat,&,quod noxiũ est, excutiat: huc refertur morsus

sus venenatus, ubi nerveam substantiam venenum aggreditur. Affectus hic ex eorum numero est, qui accessiones intermissionesquè habet; incipiente paroxismo ægri repentè concidunt, sæpe cum clamore convelluntur, totoque corpore concutiuntur, &c. spuma ex ore erumpit, functiones omnes animales læduntur, &c. Epilepsiam ex primario affectu demonstrant sensuum mentisque stupor, oblivio, capitis gravitas, & dolor, turbulenta somnia, & quod paroxismus subitò invadat: Ex consensu ventriculi cardialgia & palpitatio, difficilis inediæ tolerantia, nausea, vomitus præcipuè instante paroxismo & præsente, &c. A parte in habitu corporis, ut à manu, &c. quando instante paroxismo sensus auræ frigidioris per continuitatem in cerebrum ascendentis percipiatur, &c.

Λήθαργος, Latinis iners oblivio & veternus, duplex deprehenditur: unus illegitimus, somnus nimirum inexplebilis, à pituitoso vapore vel humore computrescente in cerebro: alius legitimus, qui à Galeno 3. *Meth.* passio dicitur, secundum speciem phrenitidi contraria; utriusq; enim causa est humor putrescens in cerebro, sed materiâ & loco differunt. Nam materia phrenitidis est bilis putrescens circa meninges potissimùm: materia lethargi est pituita, putrescens magis in substantia cerebri, ac proindè in lethargo cum stupore principum facultatum & inexplebili somno adest febris continua, lenta, & symptomatica, quæ simul principem facultatem aliquo modo depravat: quod ex indecentibus ægri motibus apparet. *Lethargus*

Quare erit Lethargus inexplebilis somnus cum diminuta functione principum facultatum & febri continuâ, lentâ, & symptomaticâ; ortâ ex pituita putrescente in cerebro. Putrescit autem pi- *Definitio Lethargi.*

tuita aliquando non impacta, ſed diffuſa circa cerebrum & meninges, interdum impacta cerebro aut meningibus: undè in lethargo inflammatio pituitoſa cum febri lentâ & continuâ, ut in phrenitide inflammatio bilioſa cum febri ardente continuâ. Lethargicos comitatur febris lenta, altus ſopor ex quo excitati & interpellati vix reſpondent, obliviosi & amentes ſunt, crebrò oſcitant, ac hiante ore aliquando perſiſtunt, tanquam claudere id obliti, pulſus undoſi ſunt, reſpiratio rara, debilis, urina jumentorum ſimilis, faties tumida, aliquãdo tremunt & deſudant, &c.

Carus. Carus exquiſitus propriè dictus cum Lethargo & Apoplexia magnam cognationem habet: fiunt enim omnes ab intemperie frigida, & principes functiones pari ratione lædunt, ſed differunt modo læſionis & causâ. Nam in lethargo principes functiones tantùm debilitantur, in cæteris abolentur. Peculiariter verò in Apoplexia ſenſus & motus planè aboletur, & reſpiratio læditur, & ægri excitati, ut dictum eſt, partem aliquam reſolutam habent. Nam apoplexia, quæ curatur in paralyſin deſinit. Verùm in Caro ſenſus tactus planè abolitus non eſt: nam puncti tantùm, aliquo modo ſentiunt, aliâs non; & reſpiratio non læditur, niſi affectus nimiùm augeatur, nec in paralyſin deſinit. Deindè Lethargus fit affecto cerebri corpore: Apoplexia & Carus, ſicut & Epilepſia, ventriculis: verùm in Apoplexia cum obſtructione ventriculorũ cerebri ipſum corpus cerebri intemperie quoq; afficitur, & facultatis tranſitus ſecundum poros omnes cerebri impeditur: In caro tantùm impeditur ſecundum ventriculos cerebri, præcipuè anteriores & medios.

Diſtinguitur carus ab aliis affectib. ſoporiferis.

Deſinitio cari. Quare Carus erit abolita functio animalis facultatis, reſpiratione manente, orta ab anguſtia aliqua ventriculorum cerebri impediente tranſitum ſpiri-

ſpirituum animalium. Nam cauſa cari eſt anguſtia ventriculorum, quæ tribus modis fit: 1. compreſſione à capitis ictu, tumore premente, ut colligitur ex *42. Aphor. ſect. 2.* Deindè ſubſidentiâ ventriculorum cerebri à qualitate dolorifica, ut vult *Gal. lib. 4. c. 2. de Locis affectis*: vel à magna cerebri frigiditate, qualis iis evenit, qui per loca frigida iter faciunt, aut opium aliaq; Narcotica ſumſerunt. Tertiò obſtructione, ex humore frigido obſtruente ventriculos cerebri, ſed non adhærente parietibus ventriculorum, nec ita debilitante temperiem cerebri, ut in apoplexia, vel à vapore craſſo, à toto corpore, ventriculo, hypochondriis, &c. quod accidit in rigore febrium. Huc referri poterit obſtructio aut interceptio carotidum, de qua ſupra. *Cauſa.*

Catalepſis & Catochus vocabula ambigua ſunt. Nam catochos pro comate vigilante, & aliis ſimilibus affectionibus interdum ſumitur, & catalepſis ab Hipp. pro Aphonia ſc. pro apoplexia, aliiſque affectibus, in quibus ſubitò vocis, ſenſus, & motus privatio. Verùm *auth. Galeno. comm. in 3. Aphor. ſect. 2.* idem propriè eſt catalepſis & catochos, ac utroque vocabulo eadem affectio denotatur, nimirum latinis detentio, occupatio, & congelatio, quod laborantes eo corporis habitu permaneāt, quo correpti primum erant, ſtatuamq; referant. Hæc paſſio, quo ad formam corporis, tetano non abſimilis eſt: in utroque enim corpus rigidum eſt, verùm in tetano partes contrahuntur, à depravato muſculorum motu, & nec ſenſus, nec imaginatio læditur: in catalepſi muſculi planè quieſcunt, immemores officii ſui, & qua forma diſpoſitæ ſunt partes, permanent, quaſi congelatæ, deinde ægri puncti punctionem non ſentiunt, quod phantaſia abolita ſit, licet, teſte Galeno, aliquando audiant, & videant; præterea reſpiratio manet, interdum ita exigua eſt, *Catalepſis* *Signa.*

ut nulla appareat, pulsus debiles crebriq; sunt, facies subtumida rubore tincta, urina alvusq; supprimitur: qui minus graviter afficiuntur liquorem ori infusum diglutiunt; si à malo victi sunt ad nares regurgitat. Quare læditur cerebrum potissimum, quo ad partem, undè nervi motorii, scilicet posteriorem, sicut in caro anterior magis, in apoplexia utraque pars cerebri afficitur. Causa hujus mali putatur intemperies cerebri frigida sicca, principium nervorum quasi gelu constrictum detinens, & spiritus animales immobiles reddens; verùm quia subitò fit, subitoque solvitur, non erit à sola intemperie, sed potius à materia cerebrum afficiente aut principium nervorum obstruente, constringente, & tendente, undè musculi omnesque partes inflexiles redduntur, eademque forma permanet. Materia illa plerumque est humor melancholicus omnium aptissimus ad tensionem illam efficiendam, deindè pituitosus, potissimùm pituita vitrea: non raro vapor crassus pituitosus aut melancholicus, qualis in paroxismis febrium, in suffocatione uteri, morboque hypochondriaco aliquando accidit. Nam initio paroxismorum interdum Catalepsia oritur, quæ in declinatione febris desinit. Aëtius Catalepsiam fieri quoque dicit ob tensionem vasorum ex repletione capitis, ut in adolescente illo, qui quarto die per hæmorrhagiam liberatus fuit.

Definitio Catalepsis. Quare erit Catalepsis abolita functio principum facultatum cum tactus & voluntarii motus destructione, in qua ægri servatâ respiratione eo corporis habitu permanent, quo correpti erant, orta quidem plerumq; ab intemperie frigida sicca, sed propriè ex materia, humore aut vapore cerebri posteriora obstruente & tendente, spiritusque congelante.

Cere-

Cerebro ut communi sensorio vigiliæ animalis functio, & somnus ejus quies propriè & primò accidit. Nam vis vitalis hac quiete non indiget & naturalis vehementius in somno operatur, quando sensus omninò feriantur, sive quando parùm aut nihil virium à cerebro influit. Quo autem minus virium influit, eò profundius dormit animal. Verùm non omnis impotentia sensus somnus propriè dicitur: sed naturalis, instaurationis virium animalium gratia, ab utili humore cerebrum madefaciente; vel quæ à naturali magnitudine parùm differt; non toto genere præter naturam; quæ somnus non naturalis stupor & insensibilitas dicitur, qualis accidit in soporiferis affectibus. *Causæ symptom. sensus communis.*

Læduntur autem functiones sensus primi tribus modis, ut alibi dictum est. Somnum propriè excitant, quæ humectant. Vigilias quæ nimium exiccant; stuporem verò inducunt & insensibilitatem, quæ nimium refrigerant. Contra sensus irritant & perturbant, quæ nimium calefaciunt, mordent, erodunt, &c. Quare quæ cerebrum refrigerant, & simul humectant, ut sunt pituitosi morbi stuporem cum sopore gignunt, & affectus omnes soporiferos. Quæ verò nimium calefaciunt & exiccant vigilias cum irritatione sensuum & delirio inducunt. Attamen in omnibus affectibus soporiferis frigida intemperies primas obtinet; in sensuum perturbationibus, calida.

Coma, & Cataphora, *Galen & Hipp.* eadem passio est, licèt Cataphora, *13. Meth. med.* tanquam genus omnium stuporum sine febri sumatur. Significat autem uterque nihil aliud, quàm propensionem sive delationē in somnum, quod ægri vigilantiū munia obire, & oculos apertos tenere nequeant, sed perpetuò vel verè dormiant, vel quod palpebras conniventes, aut clausas more dormientium habe- *Coma & Cataphora.*

habeant, cum tamen re ipſa non dormiant. Proindè comatis ſpecies duæ erunt, una in qua ægri profundè & diu dormiunt, quæ Coma vel Cataphora ſimpliciter dicitur, plerumq; cum adjectione, Coma ſomnolentum, ſymptoma non facultatis principis, ſed ſenſus communis, *ut in 5. cap. path. dictum eſt.* Altera in qua ægri palpebras conniventes, & clauſas habent, ſpe ſomni conciliandi, cum tamen rarò dormiant, & plerumq; multis phantasmatibus infeſtentur, quæ principem facultatem depravant, ac verum ſomnum impediunt. Hæc, Coma aut Cataphora ſimpliciter nunquam dicitur, ſed quia ex contrariis affectionibus componitur, cum adjectione coma vigilans. veteres verò, ante Galenum, κατοχὸν appellarunt. Cauſa autem comatis ſomnolenti eſt intemperies frigida, vel humida, vel frigida ſimul & humida, plerumque cum materia, ſcilicet cum humore pituitoſo; vel vapore in cerebrum aſcendente, primum ſenſorium nimis humectante, & ligante, ac liberam ſpirituum animalium diſtributionem impediente, verùm ubi frigiditas dominatur, cum gravi ſopore, ſenſus mentisq; ſtupor ſemper conjungitur, unde alii affectus ſoporiferi, ut ſupra demonſtratum eſt. Quare erit Coma functio diminuta ſenſus communis aut ſomnus profundus & immodicus, ortus ab intemperie frigida humida plerumq; cum vapore vel humore pituitoſo cerebrum afficiente. Cataphoræ vigilantis plures ſunt ſpecies. Nam aliquando ſine delirio eſſe poteſt, cujus generis eſt illa paſſio, qua ægri ob imbecillitatem virium, genas apertas tenere nequeunt, cum tamẽ parum, aut nihil dormiant: plerumque cum delirio conjuncta eſt, vel ſimplici, vel phrenetico. Coma vigilans cum ſimplici delirio, in ebrietate interdum accidit, ob mixtos vapores acres & humidos in cerebrum aſcendentes. Coma

vigilans

vigilans cum delirio phrenitico, mixta affectio est, ex Lethargo & phrenitide, ac febrem symptomaticam conjunctam habet, sub hoc continetur Cataphora pigra, cujus meminit *Hipp. 3. Epid.* & illa affectio, quæ τυφομανία à nonnullis dicitur. Causa verò Comatis vigilantis, quæ ex infirmitate virium non oritur, est mixta intemperies cerebri, orta ex bile, permixta cum pituita, vel ex sanguine copioso & pituitoso cum bile, vel ex vaporibus biliosis & pituitosis. Bilis autem cum pituita in cerebro coacervata, si non putrescat, sive inflammationis expers sit, cataphoram vigilantem, non phreniticam gignit: sin putrescat & inflammetur, cataphoram phreniticam producit, omnesq; mixtas ex Lethargo & phrenitide passiones, quæ ex dominio sive exuperantia bilis aut pituitæ distinguuntur. Nam ubi exuperat pituita, ad somnolentiam ægri magis inclinant; ubi bilis, ad vigilias & phrenisin; ubi verò utraque æqualiter dominatur, & ad finem usque desipientia cum somnolentia persistit, affectio planè media oritur, quàm τυφομανίαν veteres nonnulli vocarunt.

Profundiori somno opposita est dormiendi impotentia, quàm Græci ἀγρυπνίαν vocant, Latini pervigilium, immodicas aut superfluas vigilias. Hoc symptoma depravata functio sensus primi est, non quod per immodicas vigilias aliter, quàm secundum naturam sentiamus, sed quod diuturniori tempore, quàm vires exigunt, & præter voluntatem nostram in ea functione perseveremus. Somnus naturalis, quies sensus primi fit, quia retracto calore nativo ad interiora effluxus spiritus animalis in organa sensus, motusq; prohibetur ab utili vapore cerebrum madefaciente, viresque ejus ligante.

De pervigilio.

Quare

Definitio pervigilii

Quare pervigilium erit immodica functio facultatis sentientis, orta à nimia effusione spiritus animalis, à cerebro in organa sensus & motus, ob defectum utilis vaporis cerebrum madefacientis cum irritatione sensus communis. Causa præcipua pervigilii est defectus vinculi illius sensus primi contra naturam irritato & excitato sensu communi. Deficiunt autem vapores utiles in cerebro, quia non generantur in corpore, vel quia geniti absumuntur, aut à cerebro avocantur & evertũtur. Non generantur propter inediam aut usum ciborum acrium flatulentorum & similium, qui nullos benignos vapores excitant, ac corruptione ciborum in ventriculo. Absumuntur & dissipantur vapores humidi, simulque sensus communis excitatur à calida sicca intemperie ipsius cerebri, aut totius corporis sine vel cum materia. Calida autem intemperies primas partes in cerebro irritando & vaporibus discutiendis obtinet; secundarias sicca, quæ vapores humidos exiccando absumit.

Causa.

Materia illa, quæ cum intemperie conjungitur, est humor aut vapor; & humor acris calidus vel siccus, ut bilis flava adusta, melancholia, pituita salsa; vapor verò est calidus acris, aut malignus ex vino potenti, calidis succis genitus: ab his omnibus interdum totum cerebrum afficitur, aliquando ventriculi & universa vasa, ut in febribus ardentibus accidere consuevit, nonnunquam materia per menynges & substantiam cerebri disseminata est, ut in phrenitide & Mania, ubi vigiliæ continuæ cum delirio sunt. Vapores utiles à cerebro avocant, simulque discutiunt, sensumq; primum excitant, dolores vehementes non solùm capitis, sed etiam cujuscunque partis corporis, deindè vehementes animi perturbationes, ut ira, timor, tristitia, curæ,

item

item fluxus sanguinis, evacuationes alvi immodicæ, & quæcunq; siccant, sensusq; irritant.

De paralysi & convulsione cæterisq; symptomatibus motus suo loco dicemus. Catarrhus symptoma quidem facultatis non animalis, sed naturalis cerebri est, aut exiens mutatum præter naturam, tamen cum multorum morborum causa sit utile esse existimavimus ejus considerationem cæteris cerebri symptomatibus subjungere. *De Catarrho.*

Est autem catarrhus propriè defluxus præter naturã humoris excrementitii, à capite in subjectas partes, geniti ob læsionem concoctionis cerebri, vitio alteratricis ejusdem, vel alimenti. Nam ut in omni fluxu, ita in catarrho quatuor considerantur, 1. quod defluit, 2. terminus à quo, 3. terminus ad quem decumbit, 4. via per quam: Quod defluit, est humor excrementitius, sive excrementum cerebri præter naturæ modum redundans. Cerebri autem ampla medulla est, quæ copioso alimento indiget, & copiosum excrementum gignit, sed eo copiosius quo vis concoctrix cerebri debilior fuerit, & alimentum affluens magis copiosum, aut minus competens. *Definitio catarrhi.*

Nam redundantiæ excrementorum in capite causa præcipua est, frustratio facultatis concoctricis, vitio vel alteratricis cerebi, vel alimenti: Læditur vis alteratrix, quia in sua substantia debilitatur ex intemperie cerebri, præcipuè frigida humida, rarius calida, aut sicca, & tantũ cum materia; vel quia impeditur morbo aliquo cerebri organico, aut communi. Vitia alimenti sive humorum ascendentium in caput, sunt nimia copia, & aliena qualitas. Nam nonnulli sunt, quibus caput aptissimum est, ut impleatur, & universi corporis habit⁹, ad id implendum admodum idoneus; nimirum corpora composita ex membris contrarii temperamenti, quorũ *Causa redundantiæ excrementorũ cerebri.*

cere-

cerebrum frigidum debileq; est, & hepar calidum, in quibus sanguis vaporosus generatur. Humor excrementitius cerebri magna ex parte tenuis pituitosusque est, naturam cerebri referens, & vel simpliciter talis, vel cum humore bilioso aut melancholico permixtus. Hoc excrementum, si moderatum fuerit, ex sinubus cerebri per palatum & nares sine noxa expurgatur: sin immodicè redundaverit; aut qualitatem præter naturam contraxerit, partes ad quas decumbit, variè afficit, atque hic defluxus catarrhus propriè est.

Causa destillationis. Defluit humor coacervatus in capite sua tenuitate & copia irritata expultrice plerumque ab externis causis, ut nimio frigore, aut calore, crapula, &c. Undè qualis passio est diarrhæa ex mala concoctione ventris, talis catarrhus ex mala concoctione cerebri. Terminus à quo defluit humor & locus, ubi primò coacervatur, est aut intra cranium maximè in ipsis ventriculis cerebri, aut extra potissimum sub cute verticis, quo venarum in caput irrepentium extrema desinunt, quem demonstrat tumor mollis dolorq; externus, qui contactu aut inversis pilis exacuitur.

Differẽtia catarrhi. Ab his locis in subjectas partes plerumq; defluit humor. Quare via per quam, & terminus ad quem duplex à Fernelio judicatur, ac ipsa destillatio quoque duplex: una interna; altera externa. *Destillatio interna.* Nam primùm è cerebri ventriculis, partibusque sub calvaria in partes internas prolabitur humor & pro natura partium ad quas decumbit varios morbos efficit; ac interdum ipsa destillatio peculiare nomen accipit; ubi enim in superius os, aut capacitatem pectoris defluit, generis nomine catarrhus dicitur; ubi in nares, coriza; in fauces, branchus sive raucedo; si ad initium nervorum, paralysin, aut tremorem excitat; in sensuum organa cæcitatem, surditatem

ditatem, &c. sin ad pulmones, tussim, peripneumoniam, asthma, sputum sanguinis, &c. in ventriculum, & intestina, diarrhæam catarrhalem, &c. Deinde à parte capitis extra calvariam fertur humor, non tantum inter cutem & carnem, ut Fernelius voluit, sed etiam per continuitatem musculorum, membranarum, nervorum, ac per venas & arterias in partes externas, ut in oculos, unde epiphora catarrhalis: ad dentes, maxillam, cervicem, unde dolores & tumores; in scapulas, brachia, articulos, unde arthritis, &c. His modis feruntur plerumq; humores à capite; verùm fluxiones omnes non semper ita concitantur. Nam natura irritata copia aut qualitate humorum ab interioribus partibus ad exteriores eos per venas & arterias aut continuitatem nervorum & membranarum interdum propellit. Quare ex dyssenteria aut diarrhæa intempestivè suppressa, ac ex colica converso humoris impetu ad venas arthritis sæpè orta fuit, item ex suppressione consuetæ evacuationis sanguinis, ac in crisibus, &c. Quare unus catarrhus multorum morborum causa est, licet omnium nec sola nec semper, ut infra apparebit.

Destillatio externa.

DE CAUSIS SYMPTOMATUM QUINQUE SENsuum externorum.

CAPUT VII.

LÆduntur singuli sensuum externorum tribus modis. Causa verò læsionis triplex est. Nam læditur sensus, sicut & motus, læsa facultate sentiendi; deinde affecto primo sensus instrumento; tertiò aliqua illarum partium, quæ primo instrumento subserviunt. Spiritus

Causa symptomatum quinquè sensuum.

ritus animalis sive facultas sentiens à cerebro ut à fonte promanat,& per nervos peculiares in organa singulorum sensuum distribuitur, ut in physiologicis demonstratum est.

Causa læsionis facultatis vitio cerebri.

Quare læditur facultas sentiendi vitio cerebri, ubi spiritus gignuntur, deindè nervorum per quos in organa sensuum distribuuntur: Cerebri autem, quia spiritus non generantur aut non debita quantitate, ob gravem intemperiem, præcipuè frigidam aut defectum spirituum vitalium, ut in morituris, in gravi syncope, & immodicis evacuationibus sanguinis, quibus etiam spiritus animales in ventriculis geniti resolvuntur. Deindè quia spiritus in cerebro distrahuntur & discutiuntur, quod in magnis vulneribus capitis, aliquando temporum accidit, ubi oppositæ partis paralysis oritur ob dolorem & calorem spiritus in partem læsam trahentem; Tertiò quia spiritus in cerebri ventriculis obruuntur & eliduntur, à copioso humore confertim irruente; vel viæ spirituum intercipiuntur, propter angustiam omnium ventriculorum cerebri, ut in epilepsia, aut apoplexia: aut quarundam cavitatum, per quas spiritus ad nervos distribuuntur, qualis affectus apoplexiam interdum consequitur. Quartò quia cerebrum spiritus crassos, opacos aut humidos gignit, ex intemperie cerebri cum humore, aut vapore pituitoso vel melancholico, vel spiritus inficiuntur, & impuri redduntur à pravis tetrisq; vaporibus permixtis, vitio proprio cerebri, ut in phrenitide & vertigine & melancholia primaria; vel per consensum ex vaporibus ascendentibus à toto corpore, sive omnibus venis, ut in febribus ardentibus, vel à parte, & potissimum à ventriculo, jecore, liene, primis venis, ut in hypochondriacis, vel ab utero ut in hystericis, &c.

Affectus

Per nervos non distribuuntur spiritus aut non debita

debita quantitate, ob intemperiem frigidam humidam cum materia, aut angustiam nimirùm obstructionem à crassis humoribus infarctis; constipationem ex inflammatione aut tumore in substantia nervi; compressionem à tumore partis incumbentis; & subsidentiã à siccitate & tabe; tandem propter solutionem continui, ut sunt vulnus, contusio, &c. Ab his causis ipsi nervi, & quibus inseruntur organa paralysin, torporem, tremorem aut convulsionem patiuntur, undè sensus aut tollitur aut diminuitur, aut depravato modo perficitur. Deinde pars instrumentaria sive primum instrumentum in singulis sensibus est, cui cæteræ organi sensitivi partes subserviunt, quemadmodum in Physiologicis demonstratum est.

nervorum impedientes influxum spiritus animalis.

De visione læsa.

Quarè ut à sensu visus incipiamus, cujus organum adæquatum est oculus. Pars instrumentaria est humor crystallinus, cui subserviunt cæteræ partes oculi, primùm nervi optici, qui vim sensus communicant, deinde humor aqueus, & vitreus, sex tunicæ, ac gratia motus musculi, nervique motorii, Adduntur palpebræ, cilia, supercilia, cæteræque partes, quæ commoditatem aliquam visioni præstant.

Affectus nervorum opticorum

Affectus ergo sensum videndi lædens, vel est in cerebro, aut in nervis opticis, vel in humore crystallino primo visus instrumento, vel in aliquâ partium ministrantium, ut in cæteris humoribus, tunicis, &c. quibus adduntur morbi toti oculo communes. Quomodo lædatur facultas vitio cerebri aut nervorum ex supra dictis constat. Lædi autem visum ex consensu cerebri dignoscitur, si cum visu alii quoque sensus afficiantur, & gravitas dolorque capitis percipiatur, aliaque circa caput accidentia.

Peculiariter nervorum opticorum morbi sunt,

valida intemperies, ſolutio continui, & anguſtia, ut obſtructio, compreſſio, ſubſidentia; his additur diſſolutio incruciationis nervorum opticorum, ubi uniuntur ſpecies, & abſolvitur viſus. Ab hac diſſolutione oritur depravata viſio, quæ omnia, quæ videntur, duplicia apparere facit. A cæteris morbis aut ſpiritus influere prohibetur, undè cæcitas; aut non debita quantitate, undè debilis viſio; veluti à perfecta anguſtia nervorum opticorum oritur ἀμαύρωσις, Latinis obfuſcatio, à nonnullis gutta ſerena; quia nullo vitio in oculo apparente perit viſus: ab imperfecta nervorum anguſtia fit ἀμβλυωπία viſus debilis, ſive hebes. Per nervum opticum ſpiritus deſcendere non judicatur, ſi uno oculo clauſo alterius pupilla non dilatetur. Nam confluit ſpiritus animalis in cryſtallinum & locum inter cryſtallinum & foramen rhagoidis complet & dilatat.

Cæcitas.

ἀμαύρωσις.

Deinde ſpiritus animalis in oculo, qui miniſtrat cryſtallino ſua natura, multus, purus, tenuis ſive æthereus eſſe debet, non paucus, craſſus aut impurus: paucus autem redditur, ut jam dictum eſt, craſſus aut impurus vitio cerebri, ubi gignitur & vitioſis vaporibus permiſcetur, aliquando vitio oculorum, ubi determinatur. Paucus autem licet purus μυωπίαν gignit, ſive luſcioſos facit, qui propinqua exactè diſcernunt non remota: At paucus ſimul impurus & humidus nec propinqua nec remota exactè diſcernit; multus, ſed craſſus & humidus remota & propinqua videt quidem, verùm non exactè diſcernit; craſſities ſpirituum & tunicarum cum debilitate cerebri νυκτάλωπας facit, qui interdiu vident, noctu aut in obſcura luce nihil.

Affectiones ſpirit⁹ animalis.

μυωπία.

νυκτάλωπία.

Tertiò

Tertiò affectus visum lædentes in ipso Crystallino humore præcipuo instrumento visus sunt 1. intemperies simplex & composita sine & cum materia, undè nimia tenuitas & raritas Crystallini specierum retentionem impediens, aut nimia crassities, quando ægri non vident, aut obscurè, aut quasi per nebulam, quod malum propriè γλαύκωμα dicitur. Verùm alia species γλαυκώματος secundum Aëtium est ex prægressa suffusione, humore circa pupillam vehementissimè congelato. Deinde morbi compositionis crystallini vel in superficie sunt, si non satis polita ad speculi morem est, sed aspera & obscura, ut species recipere nequeat: Vel in quantitate, si nimium diminuatur: Vel in situ, si è sede sua transferatur. Nam quando sursum & deorsum transfertur, dissolvitur incruciatio nervorum opticorum, eaque species Strabismi oritur, quæ duplicia omnia, quæ videntur, apparere facit: Sin ad angulos, quia non dissolvitur incruciatio, nulla quidem in ipsa objecti perceptione apparebit noxa, sed hallucinatio tantum ratione situs, scilicet, ut quod videtur magis dextrum vel sinistrum appareat, sicut de pupilla testatur, *Galen. 10. de Usu part. cap. 12.* Tandem solutio unitatis Crystallini, quando in partes dividitur ab erodentibus, secantibus & similibus, visionem labefactat, quæ rarò evenit sine totius oculi corruptione.

Morbi humoris crystallini:

γλαύκωμα.

Hallucinatio visus.

Post crystallinum autem sequuntur tenuiores tunicæ, inter quas est ἀραχνοειδὴς, quæ crystallinum cum vitreo conjungit. His tunicis eadem vitia accidunt, quæ corneæ; Peculiariter dissecta aranea crystallinus à sua sede exit, & in foramine uveæ cum aqueo coincidit, qui crystallinum humectat, & à lucis splendore & cornea defendit.

Morbi partiũ ministrantiũ.

Tunica aranea.

Albuginei autem humoris vitia sunt augmentum

Albuginei

tum & diminutio, crassities & coloris mutatio. Aucto autem humore albugineo non solum pupilla magis dilatatur, sed etiam crystallinus magis obumbratur, spiritusq; in transitu obtunduntur, unde visus hebetatur. Contra diminuto aut evacuato hoc humore, tunicæ contrahuntur & corrugantur, ac simul pupilla contrahitur minorq; efficitur, deinde spatium inter tunicas & crystallinum, ubi externi splendores occurrunt, brevius redditum persimilem gignit affectum eorum, qui nictando solem intuentur.

Suffusio quid & quotuplex. Crassities verò aquei humoris impediens transitum spirituum & specierum visibilium, visionem lædit, quæ dupliciter contingit. Uno modo dum humor aqueus in tota substantia patitur ab exiccatione potissimum: Alio dum humor aliquis præter naturam ei permiscetur, spirituum transitum impediens, sive tenuis aqueus humor à cerebro per nervum opticum, aut meninges inter tunicam rhagoidem & crystallinum humorem sensim defluens, concrescit, quæ propriissimè suffusio dicitur. Verùm suffusio duplex est: Alia vera morbus proprius oculi ex humore aqueo concrescente inter corneam & crystallinum humorem: Alia spuria per consensum, quando visa suffusorum similia ante oculos obversantur ex vaporibus aut fumis à ventriculo, cerebro, toto corpore ad oculos delatis. Quod evenit interdum instante crisi, vomitu, hæmorrhagia, item vertigine & similibus. A vera suffusione pro modo materiæ oritur non solum abolita & diminuta visio, sed etiam depravata. Nam si materia opplens pupillam stabilis fuerit crassa & copiosa, cœcitatem, si pauca, rara, æquabilis diminutum visum excitabit. Sin vaga aut per partes raras crassasque divisa, phantasmata & imagines ob oculos volantes. Verùm si materia concreta centrum pu-

Symptomata suffusorum.

pillæ

pillæ occupaverit omnia feneſtrata apparebunt: Sin circumferentiam tantùm, viſio noxa carebit. Coloris mutatio viſum potiſſimum depravat. Nam ſi in glaucum vel fuſcum colorem vergat, per nebulam aut fumum ſe videre putabunt. Sin glaucus ille color oriatur ex prægreſſa ſuffuſione, vehementique congelatione humoris circa pupillam, altera γλαυκώματος ſpecies ſecundum Aëtium orietur, quæ cœcitatem inducit. Sin in alium colorem mutetur aqueus, ejus phantaſiã viſibilibus impertit & ſimul conſiſtentiã & figuram, ſi inæqualis fuerit. γλαύκωμα. παρόρασις.

Deinde pupillæ (ſive pro foramine Rhagoidis ſumatur, ſeu pro ſpatio inter cryſtallinum & hoc foramen) affectus ſunt nimia amplitudo & anguſtia. Nimia autem amplitudo & relaxatio pupillæ ſive naturalis ab utero, ſive morboſa quæ propriè μυδρίασις dicitur, quia ſpiritus diſſipare ſinit & in conum non cohibet, viſionem debilitat, unde hoc modo affecti ut aliquid exactè videant, genas contrahunt ſive adductis & conniventibus oculis acutius cernunt. Anguſtia verò ſive conſtrictio pupillæ nativa ſpiritus cogit & auctam viſionem efficit, præternaturalis à morbo viſum ſemper lædit. Dilatatur pupilla propter tenſionem Rhagoidis vel propria ratione ab intemperie quidem humida, ſed cum humoris aquei copia replente & diſtendente. Deinde ab exiccatione tunicam contrahente ut foramen dehiſcat. Item ab inflammatione & diſruptione tunicæ; Ex accidente ab humoribus diſtendentibus. Anguſtia verò pupillæ oritur ab humectatione dilatante & relaxante tunicam ſine tenſione, non aliter quàm in cribri foraminibus accidit quando humectantur. Deinde contractione tunicæ ex diminutione & evacuatione humoris aquei. Ad anguſtiam pupillæ refertur obſtructio forami- *Pupillæ affectus.* μυδρίασις. *Anguſtia pupillæ.*

nis ab humore & vapore, ut in ſuffuſione, de quibus ſupra.

Affect⁹ tunica Rhagoidis.

Affectus autem ipſius tunicæ Rhagoidis potiſſimum ſunt intemperies aliqua, ſolutio continui, ut ſunt ulcus & vulnus, diſruptio, &c. quibus ſi tenuis humor effluat, coincidit uvea ſuper cryſtallinum, aliquando totus ſpiritus à cerebro in pupillam non pervenit, ſed per ulcus exit, atque hoc modo oritur uveæ procidentia. His accedit tenſio uveæ facta à ſiccitate vel ab humore redundante, tumorem aliquem excitante: Item à copia contentorum humorum inter uveam & cryſtallinum.

Uvea procidentia & tenſio.

Cornea affectus.

Poſt uveam eſt cornea pupillæ objecta ſua natura dura & pellucida, ut partes contentas defendat, & lumen ſpeciesque viſibiles commodè admittat, cujus vitia ſunt: 1. Craſſities nimia, denſitas, humiditas & rugoſitas, ſpecierum tranſitum impediens. 2. Coloris mutatio. Tertium vitium accidit ob cohærentiam vicinarum partium affectarum, ſcilicet adnatæ in ophthalmia, ſi augeatur affectus, ut corneam & pupillam obſcuret. Verùm proprii morbi ſunt corneæ, 1. Intemperies ſine, plerunque cum aliqua materia, corneam craſſam, ſpiſſam, humidam, aut rugoſam efficiente, aut alio colore tingente. Nimia craſſities interdum à ſola frigiditate oritur vel ſimplici, ut in decrepitis, vel à medicamentis opiatis, plerunque tamen cum affluxu materiæ, unde cœcitas, aut obtuſa viſio, aut quaſi per nebulam. Corrugatio verò corneæ fit à nimia ſiccitate, ut in ſenibus, aliquando diminutione pupillæ ab effluxu humoris aquei. Coloris mutatio fit, quia alieno humore colorato imbuitur; nimirum flavo, rubro, & ſimilibus. Unde hallucinatio viſus, qualis accidit ictericis & in ſugillatione, potiſſimum, ſi pars pupillæ objecta tincta fuerit, &

eundem

eundem colorem albugineus susceperit. Secundum genus morborum corneæ sunt pustulæ, & tubercula, ex affluxu humoris, cujus ratione distinguuntur: Nam pustulæ, aliæ à sanguine sunt, ut ἐξανθήματα, variolæ, &c. aliæ à sanguine bilioso, ut Φλύκταιναι: quædam ab humore aqueo, ut ψυδράκια, &c. Deinde in oculo à melancholico & adusto humore, oritur cancer & carbunculus, gravissima mala, quæ cæteris partibus plerumque communicantur. Ruptis pustulis, & tumoribus ulcera cava oriuntur.

Tertium genus morborum corneæ est solutio *Ulcera*
continui, sub qua ulcus, vulnus, disruptio. Ulcus *corneæ.*
ex tumore, pustulis, aut erosione oritur. Ulceris autem sicut & rupturæ variæ sunt differentiæ. Nam alia exulceratio superficiaria dicitur; alia cava. Ex superficiariis una cava est similis aëri caliginoso
colore cœruleo propè, Caligo dicta. Altera pro- *Caligo.*
fundior, minor, alba quodammodò, Nebula 3. In *Nebula.*
nigro oculi profundior colorem cinericium refe- ἐπίκαυ-
rens ἐπίκαυμα: Quod si exulceratio altius pene- μα.
traverit, cum crusta in nigro & albo oculi, ἔγκαυμα ἔγκαυμα
vocatur. Hæ exulcerationes ab Aëtio superficiariæ dicuntur, licèt duæ posteriores ita interdum augeantur, ut ad uveam pertingant, & humores effluant. Ulcera cava juxta Paulum quadruplicia sunt.
Unum cavum, angustum, purum βότρυον à fossu- βότρυον.
la. Alterum latius sed minus profundum κοίλωμα. κοίλωμα.
Tertium in iridis circulo nascens, ita ut intra iri-
dem albus, extra rubeus color appareat, ἄργεμον. ἄργεμον.
Quartum ulcus sordidũ crusta obductum, quo repurgato humores oculi effluunt, quod ἐπίκαυμα à Paulo dicitur, sub quo continetur ἐπίκαυμα & ἔγκαυμα Aëtii.

ὑπόπυον. ὄνυξ. Ex ulcere corneæ oritur ὑπόπυον collectio puris ſub cornea tranſlucens, quæ ſi determinata fuerit circulo iridis, à ſimilitudine ὄνυξ vocatur. Ex eroſione & ruptura corneæ oritur deſcenſus uveæ & prolapſus pupillæ morbus in ſitu ad totum oculum pertinens. Rupturæ autẽ corneæ quatuor ſpecies recenſet Paulus, quarum una quia exigua eſt

μυοκέφαλος. σαφύλωμα. μῆλον. ἧλος. λευκώματα. adhuc μυοκέφαλος dicitur. Altera, quia amplius ſuccrevit, ut acinum uvæ referat σαφύλωμα. 3. Quando ita augetur ut extra palpebras emineat μῆλον malum. 4. Ubi obducta cicatrice occalluit ἧλος clavus. Poſt curationem ulceris & vulneris corneæ oriuntur cicatrices viſionem lædentes, quæ ſi tenuiores magisq; ſuperficiariæ fuerint, nebulæ: Sin craſſiores λευκώματα appellantur.

Adnata affectus. Adnata tunica quia pupillam non tegit, igitur morbi eius non per ſe primò ſed ex accidenti videndi actionem lædunt, nimirum ſi ita augeantur, ut in conſenſum aliæ partes trahantur & pupillam obſcurent, quod in πτερυγίῳ aliquando accidit & in ὀφθαλμίᾳ ſi in χύμωσιν degenerarit. Morbi adnatæ ſunt intemperies, tumores, puſtulæ, &c. ut in cornea. Peculiariter verò morbi adnatæ ſunt,

πτερύγιον πτερύγιον & ὀφθαλμία. Pterygiũ autem eſt membranoſa adnatæ tunicæ excreſcentia ex affluxu craſſi vitioſi ſanguinis ibi concreti. Hæc à majore angulo oculi plerunque exoritur & motum palpebræ interdum impedit, quæ ſi augeatur pupillam tegens, viſum obſcurare ſolet: Sub hoc affectu continetur Sebel Arabum ſubſtantia venoſa in ſuperficie Corneæ.

Ophthalmia. Sub ophthalmia communiter continetur ταράξις, ξηροφθαλμία & χύμωσις. Verum propriè ophthalmia eſt inflammatio membranæ adna-

tæ ex affluxu materiæ vitiosæ, quæ duplex est: Alia humida propriissime dicta ex sanguine potiss. aut humore crassiore; tumor sc. cum dolore, rubore, lachrymis & materia crassa adhærente. Alia sicca Ξηροφθαλμία ab humore tenuiore magisque bilioso, quæ ulcus magis inducit. Χύμωσις est inflammatio magis profunda consequens ut plurimum ophthalmiam & non solum tunicæ adnatæ, sed etiam corneæ & palpebrarum. Nam oritur propriè, quando inflammatio ita augetur ut rubedo nigrum oculi occupet, albumque sublimius appareat, simulque palpebræ ita invertantur, ut oculos contegere nequeant. At τάραξις conturbatio oculi levis inflammatio est aut principium inflammationis cum exiguo dolore & rubore à fumo, sole & similibus causis externis.

ξηροφθαλμία. χύμωσις. τάραξις.

Hi morbi partes oculi propriè dictas primò obsident. Ad totum globum oculi referuntur nonnulli morbi, qui ab una parte initiũ habent, ut pterygium, chymosis & procidentia pupillæ. Verum toti oculo communes affectus sunt, 1. ratione situs ἐκπιεσμὸς elisio seu prominẽtia oculi cui opponitur nimia cavitas & strabismus. Ἐκπιεσμὸς autem est mutatio situs oculi versus exteriora, ut à palpebris contegi nequeat, aliquando & malas contingat, proveniẽs à strangulatione, plaga, gravi fluxione, aliquando ex ulceribus tunicarũ carbunculosis ruptis. Strabismus verò est oculorũ convulsio, qua in obliquum ita contorquentur ut amborum unus aspectus esse nequeat. Oritur similis affectus interdum ex prava consuetudine in pueris, propriè verò ex convulsione musculorum oculos moventium. Huc referri potest paralysis oculi resolutis oculi musculis aut nervis, ut oculus nequaquam intendi queat nec consistere. Deinde morbi totius oculi ratione

Morbi totius oculi. ἐκπιεσμός. *Strabism.*

tione

ἀτροφία tione magnitudinis sunt ἀτροφία oculi, extenuatio & diminutio eiusdem, quando minor redditur defectu alimenti, cui opponitur immodica oculi magnitudo ob redundantiam superfluæ materiæ, sive à tumore. Præterea ratione formæ accidit oculo

σύγχυσις confusio σύγχυσις, quando humores permixti sunt citra eruptionem, proveniens potiss. à vehementissima plaga, aliquando ab inflammatione tunicæ Rhagoidis ruptis in ipsa vasis.

Ad totum oculum ejusq; ambitum refertur

ἐπίφορα ἐπίφορα, latinis delachrymatio, licèt nonnulli ad solos angulos ejusq; carunculas lachrymales referant. Est autem ἐπίφορα fluxus tenuis humoris lachrymarum specie à capite ad oculos. Humor autem ille nunc frigidus est fluens sine ardore, nunc calidus, salsus, acris cum ardore palpebras exulcerans, fluitque plerunque à pericranio, aliquando à vicinis venis ad angulos oculorum totumque oculum palpebrasque afficiens & potiss. cilia. Ab epiphora differunt involuntariæ lachrymæ, quæ oriuntur ex rhyade morbo carunculæ lachrymalis in

Morbi angulorum. majore angulo oculi. Nam morbi angulorum sunt, 1. ῥύας diminutio carunculæ in majore angu-

ῥύας. lo oculi ab erodentibus, qua ipse angulus augetur

ἐγκανθὶς & lachrymæ involuntariè fluunt. Deinde ἐγκανθὶς quæ Rhyadi opponitur, immodica carunculæ illius eminentia ex redundantia humorum. 3. αἰγίλωψ

αἰγίλωψ & ἀγχίλωψ, quæ duo sumuntur communiter pro inflammatione & abscessu inter majorem oculi angulum & nares. Verùm proprie juxta Paulum abscessus priusquam in ulcus erumpat, Angilops, post eruptionem, si in fistulam dehiscat, αἰγίλωψ vocatur.

Palpe-

Palpebrarum vitia per ſe viſum non lædunt, niſi ad tantam deveniant magnitudinem, ut partes oculi in conſenſum trahant. Vitia palpebrarum, 1. ratione formæ ſunt Τράχωμα aſperitas interioris partis palpebrarum ex defluxione acrium humorum & ſcabie, quæ ſi augeatur palpebras diſtendens & inciſuras faciens, σύκωσις, ſi callum contrahat, τύλωσις dicitur. Huc refertur à nonnullis, ſcabies pruriginoſa palpebrarum, ex ſalſis humoribus. 2. Ratione magnitudinis ſunt tumores palpebrarum, in quorum numero eſt ἐμφύσημα tumor laxus, mollis œdemati ſimilis: in ipſis ciliis κριθὴ, id eſt, hordeolum, tuberculum in abſceſſum plerunque deſinens: & χαλάζιον ſeu grando tuberculum durum mobile. 3. Ratione ſitus & conſenſus morbi ſunt σύμφυσις oculi, quando oculorum palpebræ ex ulcere vel viſcoſis humoribus ita glutinantur ut aperiri nequeant. Item ἐκτρόπιον, ſi ſuperior palpebra invertatur ob cicatricē vel carnis excreſcentiam. Huc referuntur μαδάρωσις defluvium pilorum, & δυστριχίασις, generatio & inverſio pilorum cum pediculis interdum.

Morbi palpebrarum *τράχωμα.* *σύκωσις.* *τύλωσις.* *ἐμφύσημα.* *κριθή.* *χαλάζιον.* *σύμφυσις.* *ἐκτρόπιον.* *μαδάρωσις.* *δυστριχίασις.*

Læſio cæterorum ſenſuum eodem penè modo fit, quo viſus: præcipuè verò auditus. Nam facultas communis eſt, & extremitas auditorii meatus, ubi nervus dilatatus cum aëre incluſo conjungitur, cryſtallino correſpondet, ſimiliter quæ circa anfractum auris ſunt, pupillæ, & cæteris quæ circa cryſtallinum. Quare læditur auditus læſa facultate audiendi à morbo nervi auditorii vel cerebri ipſius, qua parte hi nervi oriuntur. Deinde primò auditus inſtrumento affecto ſc. aëre congenito & extremitate auditorii meatus: tertiò læſis partibus miniſtrantibus, hoc eſt, affectis ipſis meatibus, tympano,

Cauſæ ſymptom. auditus.

vici-

viciniſque partibus. Facultas læditur ab iisdem cauſis, ut in viſu: vitia aëris congeniti ſunt defectus, & impuritas, ut ſpecies ſonorũ non debitè repræſentet. Extremitatis auditorii meatus & tympani morbi ſunt intemperies, ſolutiones continui, inflammationes, aliique tumores præter naturam, quibus tria auditus oſſicula à ſua ſede interdum removentur. Morbi meatuum ſunt obturatio ſive anguſtia.

Surditatis cauſa.

Quare ut à ſurditate incipiamus, quæ à gravi auditu ſolâ magnitudine differt. Oritur ea primùm læsâ facultate vitio cerebri, vel nervi quinti paris. & peculiariter extremitatis auris, ubi nervus ille dilatatur. Deindè defectu aut impuritate aëris congeniti, qui ſonos repræſentat. Defectus autem fit, quia aut egreditur ob vulnus, ulcus, aliamvè ſolutionem continui: aut diſſipatur ex ingenti ſonitu, gravi contuſione capitis, vehementi cerebri affectu, &c. aut ipſe meatus auditorius, ubi continetur aër, complanatus eſt, malevè conformatus; quod aliquibus ab ortu, & ex malo hæreditario evenit; aut ex parte vel toto repletus eſt vitioſis humoribus, aut craſſis vaporibus, à quibus etiam ipſe aër congenitus impurus redditur. Omnis autem humor collectus intra meatum internum auditorium, ſurditatem inducere poterit, & non ſolum humor craſſus pituitoſus, qui maximè ſenſus obtundit, ſed etiam bilioſus: quare in febribus acutis bile ſurſum delatâ, aut repreſſis bilioſis alvi dejectionibus ſurditas oritur, quæ teſte *Hipp. 28. Aph. 4.* bilis dejectione ſanatur. Tertiò fit ſurditas obturatione, ſive anguſtia meatus interni vel externi: ea anguſtia eſt, vel obſtructio à craſſis humoribus influentibus, à ſordibus, & rebus externis illapſis; vel conſtipatio ex inflammatione aliovè tumore præter naturam; aut tuberculo carnoſo, aut callo, ex ulcere malè curato

rato: interdum compressio meatus ex ictu & fractura ossium. Præterea fit surditas nimia crassitie & densitate tympani, inflammatione aut tumore præter naturam. Tandem dislocatione, malaque conformatione trium ossiculorum auditus ex affluxu humoris, aut inflammatione, solutione continui, ut ulcere, vulnere, &c. Nam in interiore auris parte, & circa tympanum oritur nonnunquam inflammatio; quæ vehementi calore, dolore & pulsatione cum febricula se prodit, ea dum in pus convertitur rupta, aut exesa membrana, ulcus excitat, undè multa sanies emanat potissimùm in iis, quorum cerebrum imbecillum est: solet etiam sanies ab ipso cerebro manare ad aures, si in eo apostema disruptum fuerit. In aure, ulcere neglecto sæpè caro excrescit, quæ auris meatum obturat. Hæ causæ si leviores fuerint pro surditate gravem auditum tantum excitant.

Obauditionis definitio. Παρακουσις Latinis obauditio est perceptio soni intra aures absq; externa causa, proveniens ex commotione aëris congeniti præter naturam à flatulento spiritu, aut vapore in auribus. Habet quidem aër congenitus, teste Aristotele, motum naturalem, cuius ratione ab acri subtiliq; sensu leves susurri noctu potissimùm audiuntur, sed hæc affectio opus naturæ est. *Causæ.* Obauditio Symptomatica oritur ex commotione aëris congeniti præter naturam: Cujus causa præcipua est, vapor aut spiritus flatulentus aërem congenitum movens. Hic vapor aut spiritus interdum in ipsis auribus aut capite gignitur, aliquando ab inferioribus partibus sursum ad aures ascendit, vel ex ambitu totius corporis, & ex arteriis potissimum propter commotionem humorum in vasis, qualis in febribus initio paroxismorum ac instante crisi per hæmorrhagiam accidit; vel à parte aliqua, præcipuè à

ven-

ventriculo, liene, jecore, primis venis, ut in hypochondriacis, ab utero in hystericis, &c. Vapores flatulenti sursum ascendentes, per venas & arterias, vel nervum auditorium, vel membranarum continuitatem in interiorem auris meatum feruntur, & non aliter ferè sensum auditus, quam falsa suffusio visionem lædit. Plerumque ipsæ arteriæ circa aures spirituoso aut flatulento sanguine distentæ ex calida exspiratione sursum ascendente, dum vehementius pulsant, multum calidi spiritus in caput & aures effundunt. Quare corporis & capitis repletio & agitatio, ictus aut percussio temporum, Parotis sive inflammatio post aures, ulcus auris malè curatum obauditionem excitant. Differentiæ obauditionis oriuntur à tenuitate aut crassitie, quantitate, & motu vaporis flatulenti. Nam ex tenui vapore, minusque copioso exiliter labente sibilus; ex motu spirituum interrupto, ultro citroque impulso, tinnitus: ex crasso flatu plenius erumpente, sonitus: ex crassiore validius impulso, strepitus: ex magis adhuc crasso, fluctuatio in aurib⁹ percipitur.

Causa symptomatum olfactus. Tertiò olfactus læsio consequitur morbos vel cerebri, vel primi instrumenti, nimirū processuum ab anteriore cerebri parte prope meatus ossium colatoriorum desinentium: Vel partium inservientium. Inserviunt autem meatus & membranæ internæ narium & ossium colatoriorum, ac sine his meatibus in homine non fit olfactus. Aufertur igitur aut diminuitur olfactus, quia facultas à cerebro non descendit. Deinde affectis processibus mammillaribus intemperie, ut plurimum frigida, cū materia pituitosa à cerebro defluente ut in gravedine, aut interdum ex naturali debilitate ab utero aut vitio ætatis. Præterea ab inflamatione, abscessu aut ulcere purulento circa anteriores cerebri ventriculos, à quo fœtidus halit⁹ semper expirat. Unde

ex iis qui ozœna laborant aliqui nihil prorſus olfaciunt. Præterea obturatione foraminis oſſis colatorii, aut meatus narium: anguſtia meatus eſt vel compreſſio à contuſione & ictu, vel conſtipatio à carnis excreſcentia aut intra nares perſiſtens vel extra dependens, quæ polypus dicitur, aliquando ab inflammatione, quæ in abſceſſum & ulcus fœtidum interdum terminatur. Nam ulcus narium oritur ab inflammatione, vel ab eroſione ex acrimonia humorum præterlabentium; quod in lue venerea ſæpè accidit, interdum ab externis cauſis, ut vulnere, contuſione: Ulcus diu neglectum ſi ſordeſcat putridum & graveolens fiat, ozœna appellatur: Hoc ulcus latè depaſcens tenera oſſa exedit, nariumque alas ac interdum ſerpendo palatum perforat, & loquelam vitiat. Ulceribus recentibus neglectis caro ſæpè excreſcit ὑπερσάρκωμα, quæ ſi in longitudinem tantum excreverit, ut è naribus aut foraminibus palati prolabatur à varietate coloris polypus vocatur, qui in cancrum abire ſolet. Depravatus olfactus oritur ab ulcere putrido à pravis & corruptis ſuccis in naribus pravum odorem exhalantibus & ſuo halitu inſtrumentum odoratus ita lædentibus, ut externos etiam odores non rite percipiat ſed ſub aliena ſpecie.

Cauſa ſymptomatum guſt⁹.

Cauſa ſymptomatum guſtus, aut eſt in cerebro aut in nervis, per quos deſcendit facultas, vel in lingua proprio guſtus inſtrumento, vel aliquo miniſtrantium. Præcipua cauſa guſtum tollens eſt παράλυσις ſenſus tact⁹ in lingua & palato, refrigeratis aut inciſis nervis guſtatoriis, tertii & quarti paris cerebri, aliquando affecto cerebro gravi morbo, ut in aliis ſenſibus. At depravatus guſtus oritur, quia lingua humore ſapido præter naturã imbuta eſt, quæ per ſe guſtum movet, nimirum humore

ſalſo,amaro,&c. ſicut in febribus ardentibus accidere ſolet. Nam quo ſapore lingua imbuta eſt, eodem objecta omnia, quæ offeruntur, prædita judicantur.

Cauſa ſymptomatũ tactus. Tandem nullus tactus abolitus aut diminutus excepta hæmodia,quæ dentium ſtupor eſt,ab acidis & acribus cibis propria appellatione exprimitur. Nam torpor ex diminuto ſenſu & motu compoſitus eſt, & paralyſis ex utroq; abolito. Propriè tamen & ſimpliciter, ut admonet *Galen. lib. 3. de Loc. aff. cap. ult.* privatio motus paralyſis dicitur, non autem ſenſus; Unde nonnulli privationem ſenſus non abſolutè, ſed cum adjectione paralyſin ſenſus vocant.

Cauſa ſtuporis et paralyſis ſenſus tactus. Omnis autem affectus, qui facultatem à cerebro per nervos in totũ corpus vel partem aliquam influere planè prohibet, ſenſum motumque tollit. Talis in apoplexia eſt obſtructio ventriculorum cerebri & carotidum; in paralyſi partium, obſtructio,compreſſio, ſolutio continui, ut eſt ſectio,immodica craſſities,& refrigeratio ſpinæ vel nervorũ. Nam in paralyſi partium omnium infra caput, initium ſpinæ aliquo ejusmodi affectu laborat; in manus quinta vertebra,ejusq; nervi,&c. ut infra de paralyſi motus latius dicemus. Hæ eædem cauſæ ſi minores fuerint,& tranſitum facultatis non omnino impedierint, & nervi ſpiritum eo penè modo transmiſerint, quo aër caliginoſus & fumidus, aut aqua limoſa ſplendorem ſolis tranſmittere ſolet, pro paralyſi ſtuporem tantum inducunt.

Cur ſenſus pereat illæſo motu & contra. Accidit interdum ut partis alicujus motus aboleatur ſenſu illæſo: ſicut è converſo ut ſenſus aboleatur ſervato motu; Verùm ubi idem nervus ſenſum motumq; ſuppeditat; motus quidem aboleri poterit ſervato ſenſu, ſed nunquam ſenſus abolетur motu illæſo. Nam ſenſus patiendo,motus agendo

gendo exercetur. Ad agendum verò major vis ſpirituum influentium, quàm ad patiendum requiritur, & ſenſus parva virtute perficitur. Ubi verò alius nervus ſenſum, alius motum ſuppeditat; poterit ſenſus aboleri ſervato motu, & motus ſervato ſenſu.

Cauſæ voluptatis et doloris in ſenſibus.

Omnibus ſenſibus voluptas, & triſtis ſenſatio dolor communiter dictus accidit ab objecto non proportionato. Verùm dolor propriè dictus ſenſui tactus tantum accidit, cæterisq; ſenſoriis, quatenus tactu participant. In ſenſu autem tria concurrunt: 1. apprehenſio objecti ſub ratione propria. 2. Apprehenſio ſub ratione jucundi vel moleſti. 3. Perſecutio jucundi, fuga moleſti. Apprehenſio autem objecti ſub ratione propria & ſub ratione jucundi aut moleſti re ipſa & tempore non differunt, ac una ſenſatione perficiuntur. Nam ubi objectum eſt proportionatum jucundam ſenſationem affert, ubi non proportionatum, triſtem & moleſtam, ut in guſtu dulcis & amari manifeſtum eſt. In perfecta ſenſatione 2. requiruntur, 1. Perpeſſio ab objecto ſeu receptio ſpeciei in ſenſorio. 2. Receptionis perceptio ſeu dignotio vi facultatis internæ reſidentis in cerebro. Quare læſo cerebro ſenſuq; interiori, paſſio ſeu receptio in ſenſorio dignoſci nequit. Unde *Hipp.6. Aph 2.* Qui parte dolentes dolorē non ſentiunt, id eſt, dolorificam cauſam, iis mens laborat. Ex quibus colligitur quod effectivè voluptas in ſenſu ſit ſenſatio jucunda ab objecto proportionato, Dolor cōmuniter dictus ſenſatio triſtis ab objecto nō proportionato. Omne objectū, quod organon ſenſitivū vehementius movet quam ſenſus ratio patitur, ſive omnis affectio præter naturā repentè & affatim incidēs ratione proprii objecti ſenſoriū lædit, vel triſtem ſenſationē ſive dolorē efficit; maximè verò in tactu ut alibi dictū eſt: in cæteris & rationē proprii objecti, & quoq; tact⁹, quo ōnes participāt.

Quid voluptas & dolor in ſenſibus.

Nam sensui tactus & cæteris sensibus, partibusqu corporis, quatenus tactu participant, dolor eviden tissimus & vehementissimus accidit, unde tristis sen satio in tactu propriè dolor dicitur; in cæteris sen sibus à proprio objecto non proportionato, qual in sensu visus sunt illustrissimi splendores, in audit vehementissimi fragores, in gustu sapor amarus &c simpliciter molestia aut tristitia vocatur, non pro priè dolor.

De Dolore proprie dicto.

Subiectũ causa doloris.

Subjectum doloris est pars sensu tactus præ dita nervosa aut nervis non destituta. Quare quæ o mni sensu carent, ut ossa, cartilagines, &c. propri ratione non dolent. Causa autem excitans dolorem est repentina alteratio partis sensitivæ, aut solutio continui. Alteratio autem violenta & subita à calo re & frigore primario dolorem excitat. A siccitate verò & humiditate quatenus calori & frigori jun guntur. Solutio verò continui scil. erosio, sectio, ruptio, tensio, quatenus fit, dolorem infert, nõ qua tenus facta est, nisi ex accidente. Quare dolor erit tristis sensatio partium nervosarum proveniens à repentina alteratione aut continui solutione. So lutionem unitatis hîc intelligo evidentem & mani festam, quæ partem à parte separat; & non obscu ram, ut in dolore ab alteratione. Nam caliditas di latando, frigiditas constringendo dolorem gignit. Verùm ea dilatatio & constrictio, quia evidens non est, solutio continui dici non solet. Deinde quæ alterant etsi continuum solvant, non tamen illa so lutione dolorem per se faciunt, sed sua intemperie & alteratione vehementi. Constat enim natura non minus temperamento quàm unione. Quare ubi so lutio manifestè sentitur, dolor à solutione erit, ubi intemperies tantum, ab alteratione vehementi. Sen titur verò solutio quando fit, sive in motu est ex i pso motu per se & non mediante intemperie aliqua ut

Definitio doloris.

ut Averrhoës arbitratur. Delectamur autem in omni sensus genere, dum per idonea contraria, quæ per se immediatè agunt, ad naturalem statum simul & celeriter reducimur & non paulatim. Verùm eadem doloris & delectationis ratio in omnibus partibus non est, sed major semper in illis, quæ exquisito magis sensu tactus præditæ sunt. Exquisito sensu prædita sunt membra genitalia, ac vis expultrix seminis in viris; attractrix uteri in fœminis vehemens est, quam comitatur ingens voluptas: Verùm dolor, qui ex retento semine oritur, quia paulatim fit illi voluptati non correspondet. Exquisitissimè autem sentit superius orificium ventriculi ob nervos maximè sensibiles & dolores gravissimos atque symptomata plurima sustinet non solum per se, sed etiam ob consensum, quem habet cum cerebro & corde, ut alibi dictum est. Nam nullum est membrum, quod utrunq; principium ita secum afficit, ut os ventriculi.

Symptoma ventriculi ratione appetentiæ animalis.

Per se ventriculo naturaliter inest appetentia quædam animalis ex defectu cibi vel potus gratia nutritionis. Hoc desiderium naturaliter vel est ex defectu alimenti sicci sive cibi, unde fames, vel humidi, undè sitis. Symptomata verò appetentiæ hujus sunt ἀνορεξία, debilis appetentia, & depravata, sub qua continetur βέλιμος, canina appetentia, pica, malacia, sitis immodica. Hæc appetentia, primæ concoctioni servit: quare de causis horũ symptomatum dicemus in explicatione symptomatum ventriculi.

Dolor vẽtriculi.

Deinde ventriculo ratione sensus tactus simpliciter considerati, dolor accidit ex repentina alteratione, vel continui solutione; propriè verò superiori ejus orificio, quod exquisitissimo sensu præditum est, & ob vehementiam symptomatum, quæ

καρδιαλγία. iis similia sunt, quæ à corde proveniunt, veteres Græci καρδίαν vocant, καρδιαλγία propriè dicta, & καρδιακή: καρδιαλγία autem est dolor ventriculi ex acribus humoribus superius os ventriculi afficientibus sive mordentibus; qualis biliosos vomitus & dejectiones plerumque antecedere solet: morsus autem orificii ventriculi à *Galen. Com. 14. Aph. 4.* καρδιώγμος vocatur, quâ significatione coincidit καρδιαλγία & καρδιώγμος, verùm propriè, ut notat *Gal. Com. 65. Aph. 4.* καρδιώγμος est motus deparvatus cordis palpitationi similis, de quo in symptomatibus cordis dicemus. Καρδιακή propriè est vehemens oris ventriculi dolor, cor in consensum trahens, cum sudore immodico, anxietate, & exolutione caloris nativi, λυποθυμία, &c. proveniens à virulentis & malignis humoribus os ventriculi infestantibus, hi humores vel orificio ventriculi impacti sunt, undè vehemens anxietas, vel in capacitate ventriculi tantum continentur, Deinde generantur aliquando ex cibis pravis, aut putredine humorum in vasis, à quibus in ventriculum confluunt, ut in febribus malignis accidere consuevit.

καρδιώγμος.

καρδιακή.

Quomodo dolores ventriculi cor aut cerebrum in consensum trahant.

Propter dolores orificii ventriculi trahuntur in consensum aliæ partes, potissimum autem cor, & cerebrum. Cor autem ob vicinitatem per arterias, unde lypothymia, syncope cardiaca, pulsuum privationes, &c. Cerebrum verò per nervos, unde Epilepsia, Melancholia, coma, &c. Cor simul & cerebrum, unde apnæa, dyspnæa. In his gravissimis affectibus ex consensu quatuor concurrere solent, 1. vehemens affectus ventriculi, 2. sensus acer stomachi. 3. nervi & arteriæ debiles. 4. cor aut cerebrum infirmum. Vehementes autem affectus ven-

triculi ſunt frigus validum orificii ventriculi ex pituita vitrea, alimentis aut medicamentis refrigerantibus, item vitioſi humores, aut flatus diſtendentes. Præterea eroſio & morſus ab acribus & mordacibus ſuccis, ut bile flava æruginoſa, atra, pituita ſalſa, corruptione ciborum in ventriculo, &c. quibus non modo ſtomachus ipſe, ſed etiam cum eo per nervos cerebrum; per arteriam magnam, venamque cavam, cor in conſenſum trahitur.

Dolores aliarum partium.

Secundò accidit etiam aliis partibus ſenſu præditis dolor propter nervos, membranas, & tendines, ex repentina alteratione & continui ſolutione, ut capiti propter membranas affectas, Cephalalgia, &c. auribus ὠταλγία; dentibus ob nervos inſertos ὀδονταλγία; inteſtinis, dolor colicus, & iliacus; articulis arthritis; renibus ex calculo νεφρῖτις, &c.

Cephalalgia. Cephalæa Hemicrania. Clavus.

Dolor autem capitis recens cephalalgia, diuturnus & inveteratus levi occaſione recurrens totius capitis, cephalæa & galea, partis dimidiæ cum temporum pulſatione Hemicrania dicitur; ad quam referri poterit clavus & homonopogia, ubi in una parte dolor altè infixus eſt. Eſt autem dolor capitis triſtis ſenſatio partium nervoſarum capitis orta ex ſubita alteratione aut continui diviſione. Nam in capitis dolore partes affectæ ſunt nervoſæ ſenſu tactus præditæ, ut meninges & pericranium, deinde cutis & nervi. Cauſa verò eſt alteratio ſubita ab intemperie, vel continui ſolutione. Intemperies illa eſt ſimplex, vel compoſita ſine aut cum materia; ſimplex intemperies eſt primario calida & frigida, deinde ſicca, tandem humida non per ſe ſola, ſed

Pars affecta. Cauſa.

quatenus cum caliditate aut frigiditate conjuncta est. Plerumque intemperies cum materia est humore aut vapore, qui ſanguineus, bilioſus, melancholicus, aut pituitoſus, vel ex his mixtus, genitus aliquando in cerebro, plerumq; aſcendens à toto corpore, & ambitu vaſorum, vel à parte ut, ut à ventriculo, hepate, liene, utero, unde dolor capitis alius primarius, alius per conſenſum. Nam plerisq; eorum, qui cephalæa aut hemicrania infeſtantur, caput debile eſt, ſive aptum ut impleatur, & univerſi corporis habitus ad id implendum idoneus, in quibus ſanguis calidus & vaporoſus generatur, quo arteriæ turgeſcentes vehementius pulſant partesque nervoſas concutiunt. Materia autem dolorem excitat, aliquando ſola qualitate, alterando, interdum ſolvendo continuum quatenus replet, gravat, & diſtendit, vel mordet & erodit membranas capitis. Adduntur his cauſis externæ, ut vulnus aut ictus capitis, aëris vehemens intemperies calida aut frigida, crapula, & ebrietas potiſſimùm ex vino, cibi flatulenti, aut qui caput facile petunt, venus intempeſtiva, vigiliæ immodicæ, ira, triſtitia, timor, &c.

Differētia doloris & Signa. Sola intemperies dolorem fixum facit ſine ulla gravitate, aut tenſione; ſed intemperies calida cum ſenſu caloris; frigida cum ſenſu frigoris: ſicca cum ſquallore: humor aut vapor acris, aut bilioſus membranas erodens dolorem acrem excitat; humor craſſus frigidus, aut pituita aut melancholia partes premens dolorem gravantem debilemque: flatus aut humores mitiores minꝰ copioſi dum intra membranas ſe inſinuant, easque diſtendunt dolorē diſtendentem. Deinde dolor intra craniū profundus eſt ad radices oculorum pertingens: extra cranium ſuperficialis & ad cutis capitis contactū, levemq; compreſſionem exacerbatur.

Tertiò

 CAP. VII.

Tertiò ὠταλγία dolor auris oritur ab intemperie, aut ſolutione continui partium nervoſarum auris: Intemperies rarò ſine affluxu materiæ eſt, niſi frigida, quæ auribus aliisq; membranoſis, oſſeisq; partibus inimica eſt: nonnunquam à calida intemperie fit, ſed cum materia, præcipuè ſanguine acri & bilioſo, qui vel membranas alterat, vel divellit, & erodit, unde ulcus; vel replet & diſtendit, undè inflammatio, adduntur his vulnus, contuſio auris, &c. ὠταλγία

Quartò dentibus vehemens dolor accidit propter affectos nervulos inſertos, aut gingivas, Affectus eſt intemperies non ſola ſine affluxu materiæ excepta frigida, quæ peculiariter dentibus inimica eſt. Nam plerumque oritur dentium dolor à deſtillatione, ex humore calido, vel frigido delato vel in dentium radices & nervulos, vel in ipſas gingivas, qui eas alterat, vel erodit & divellit, vel replet & diſtendit, inflammationemque inducit. Deſtillatio ſæpè recurrens dentes exedere & excavare ſolet. Excitatur quandoq; dentium dolor à ventriculis, genitis in cavitatibus dentium ex materia excrementitia, aut cibis ibi relictis. ὀδονταλγία.

Quintò ἀρθρῖτις communiter pro quovis articulorum dolore ex affluxu humoris ſumitur, propriè pro dolore, qui omnes aut pleroſque articulos afficit. Nam dolor, qui unam partem ejuſque articulos affligit, ab ea interdum denominatur, veluti qui articulos manus χειράγρα; qui pedum ποδάγρα; qui genua γονάγρα; qui coxendicem ἰσχιὰς vocatur; cæteri dolores proprio nomine carent, ut homoplatæ humeri, dorſi, &c. *De Arthritide.* χειράγρα. ποδάγρα. γονάγρα. ἰσχιάς.

Definiri poterit Arthritis communiter ſumpta dolor articulorum ex intervallis ferè affligens ortus ex affluxu humoris ob debilitatem laxa, va- *Definitio Arthritidis.*

cuaque articulorum ſpatia implentis, partes nervoſas divellentis comprimentis & alterantis. Pars affecta articulus dicitur, compoſitio oſſium unà cum ligamentis, cartilaginibus, tendinibus, &c. gratia voluntarii motus. Verùm pars affecta propriè non eſt totus articulus, ſed tantùm partes ejus nervoſæ ſenſu præditæ, ut tendines muſculorum, quibus adduntur nervi & ipſa cutis.

Pars affecta.

Morbus cauſa doloris.

Morbus cauſa doloris non eſt ſola intemperies, ſed potius continui ſolutio ex affluxu materiæ, quatenus partes replet & diſtendit, vel à ſe mutuo divellit vel comprimit. Nam affluxu humoris ad articulum replentur & tenduntur potiſſimũ membranæ ac etiam ligamenta, & ſimul teſte Aëtio permadeſcunt; Comprimuntur vero aut à vicinis partibus divelluntur nervi & tendines. Nam ſi replerentur & diſtenderẽtur neceſſe erit arthriticos convelli, & in internodiis dolorem ſentire.

Cauſa morbi.

Cauſa morbifica (*Gal. Com. 25. Aph. 4.*) eſt imbecillitas articulorum & affluxus materiæ vitioſæ; quæ duo propriè in arthride requiruntur, cum una ſine altera efficax non ſit. Imbecillitas autem oritur ex debilitate caloris nativi in articulis, ex raritate & laxitate ligamentorum & tendinum; contrahitur ea imbecillitas nonnunquam à parentibus hæreditario malo, plerumque ab adventitiis cauſis, ut vino, venere, inordinata victus ratione, &c. Deindè coacervatur in parte ſuperflua materia per cõgeſtionem & influxionem, verùm cum arthritis nõ ſenſim fiat, ſed confertim, non orietur per congeſtionem, ſed influxionem; quamquam circa articulos per congeſtionem materia ſuperflua coacervari ſoleat, undè dolor perioſtii ſine tumore excitatur, qui lue venereâ laborantibus quandoque accidit, qui propriè arthritis non eſt.

Influ-

In fluxione quatuor conſiderantur; materia ſive humor influens, deinde pars mandans, tertiò pars recipiens, quartò ſpatium ſive via per quam. Pars recipiens, ut diximus, eſt articulus & potiſſimùm ligamenta & tendines. De cæteris dubitatur. Nam Fernelius materiam illam arbitratur excrementum cerebri, ſive pituitoſum aut ſeroſum humorem: Deinde partem mandantem, undè profluit, eſſe pericranium ad occipitium potiſſimùm: tertiò defluere ab occipitio non per venas & arterias, non per continuitatem nevrorum aut muſculorum, ſed ſolum inter carnem & cutem, & ſubſiſtere in articulorum ligamentis & membranis. Verùm quod defluit, non eſt ſemper pituitoſus aut ſeroſus humor, ſed etiam interdum ſanguineus, bilioſus aut melancholicus, raró ſincerus plerumque ex pluribus permixtus, ac interdum maligna qualitate affectus. Nam ingens dolor, calor rubor, febris aliaque ſymptomata, quæ juvenibus naturâ calidis & bilioſis arthritide laborantibus æſtate media contingunt humori pituitoſo aſcribi nequeunt. Quare materia cauſa arthritidis diverſa erit, plerumque humor pituitoſus, ſeroſus, aliquando ſanguineus, aut bilioſus, nunquam ſolus humor craſſus aut melancholicus. Nam ut humores craſſi fluant, tenuium vehiculo ſemper indigent. Deinde pars mandans non ſemper eſt pericranium, nec ſpatium per quod fluit humor inter cutem & carnem, ſed plures ſunt & fontes, & viæ fluxionis. Nam pars mandans plerumque eſt caput, interdum jecur, lien, venter, uterus, renes, omnia viſcera aut totum corpus. Via verò, per quam fluit, eſt aut inter cutem & carnem, aut per continuitatem membranarum, muſculorum, nervorum aut vaſorum, aut per ipſas venas & arterias, plerumque enim à pericranio inter carnem

Opinio Fernelii de cauſis Arthritidis.

Cauſa materialis.

Pars mandans.

Via fluxionis.

nem

nem & cutem humor in articulos defluit, quod arguunt præcedens capitis gravitas, tumor ac dolor ad occipitium, qui contactu exacuitur.

Origo fluxionis. Verùm nullis ejusmodi signis præcedentibus, sæpè arthritis oritur materia à toto corpore, ut in plethoricis, aut à jecore per venas in articulos dimissa, cui phlebotomia sæpè profuit; quod non eveniret, nisi materia per venas influeret. Deindè teste *Gal. Com. 6. Epid. sect. 4.* ex dyssenteria, aut diarrhæa intempestivè suppressa; aut ex colica converso humoris impetu per venas ad articulos, arthritis orta fuit; item ex nephritide, conversa pituita à renibus ad articulos; ex suppressione hæmorrhoidum; & in mulieribus menstruorum, aut consueta venæ sectione omissa. Putereà suppressione evacuationis per habitum corporis, materia in ambitu ejus collecta, ad articulos interdum decumbit. Tandem per arthritidem febres critice solvuntur, materia per venas ad articulos transmissa, imò in ipso paroxismo arthritico partes ferè omnes ad articulos sua excrementa transmittunt.

Quomodo cõcitatur fluxio. Concitatur fluxus humoris à membro mandante per expulsionem; aut à recipiente per attractionem. Nam pars mandans irritata qualitate, aut copia humoris, sua vi expultrice à se propellere conatur ad partes magis debiles, & hæ vicissim ad debiliores: attrahit pars recipiens, præcipuè intemperie calida, deinde ratione doloris, quatenus partes vicinas commovet ut spiritum cum sanguine, in partem dolentem transmittat. Adjuvant hunc motum ipsius humoris tenuitas, deinde viarum amplitudo & laxitas.

Causæ redundãtiæ humoris. Coacervatur humor ille superfluus ex prava viscerum constitutione & mala victus ratione, ut sunt repletio, crapula, vini & veneris immodicus usus, quarè poëtæ podagram Bacchi & Veneris filiam

liam finxerunt, deinde ex ſuppreſſione conſuetæ evacuationis ex otio, vita delicata, unde Podagra Dea μισόπτωχος vocatur, id eſt odio habens pauperes, &c. Colligitur in parte mandante humor per congeſtionem aut transmiſſionem, qui ut moleſtus eſſe cæperit, vi expultricis facultatis ad partes imbecilliores expellitur, tandemq; ad articulos decumbit. Quare arthritis erit è numero affectuum, qui acceſſiones habēt certisq; periodis recurrunt. Nam ubi ad articulos materia defluit, dolor incipit, ceſſante influxu, & diſcuſſa omni materia tam diu remiſſiones haber, donec nova materia coacervetur, undè novus fluxus recurrit. Verùm poſt paroxiſmum aliquando craſſus viſcidus humor in articulis diu contentus, reſolutis partibus tenuioribus à validè diſcutientibus, aut congelatis, à refrigerantibus, in tophum aut callum concreſcit, qui ibi relictus motum articulorum impedit. De dolore iliaco colico nephritico, &c. in progreſſu dicetur. Præter dolorem ſunt aliæ ſpecies depravati ſenſus, ut pruritus, ſenſus ulceris, laſſitudinis, quæ cum motu complicantur, aut ſine motu non perfectè intelliguntur, de quorum cauſis dicetur in explicatione ſymptomatum motus.

DE CAUSIS SYMPTOMATUM MOTUS.

CAPUT VIII.

SEnſum motumque voluntarium ab uno fonte emanare, & lædi, vel læſa facultate influente à cerebro per nervos, vel primo inſtrumento, vel aliquo miniſtrantium, in ſingulis ſenſibus ſupra demonſtratum fuit: Conſequens nunc eſt, ut in motu voluntario idem oſtenda-

ſtendamus; & primò cauſas ſymptomatum motus voluntarii; Deinde illorum motuum depravatorum, qui licèt animalis facultatis propriè non ſint, ſed virtutis expultricis: tamen quia ſine animali virtute nec perficiuntur nec planè intelliguntur, voluntarii motus ſymptomatibus annumerantur.

Differētiæ ſymptom. voluntarii motus eorumquè cauſæ.

Symptomata autem motus, quædam ſunt naturæ ſive facultatis opera, ſed coactæ & irritatæ à cauſa præter naturam: alia morbos conſequuntur, naturâ nihil conferente ad eorum generationem; nonnulla utriusque opera ſunt. Morbi autem ſolius opera ſunt convulſio, Paralyſis & palpitatio. Symptomata quæ opera naturæ ſunt irritatæ ſenſu rei moleſtantis ab unâ eâdemque facultate immediatè non fiunt, nec uno eodemque modo: nam nonnulla ab animali facultate, ſed irritata ab expultrice naturali immediatè perficiuntur, ut ſternutatio, tuſſis, oſcitatio & pandiculatio, ac motus convulſivi ut in Epilepſia. Quædam à naturali producuntur quatenus cum animali virtute concurrit, ut ructus & ſingultus, quibus addi poterunt expultrices motus ventriculi, uteri, veſicæ, inteſtinorũ, &c. qui immediatè quidem ab expultrice naturali fiunt, ſed adjuta motu muſculorum. Nonnulla à vitali facultate violento motu caloris nativi à corde: ut timor, ira, aliique perturbationes animi: aliqua ab omnibus tribus, ut rigor & horror: Utriusque opera morbi ſcilicet & naturæ, ſunt tremor & torpentium motus, laſſitudo ſpontanea. Motuum verò depravatorum quatuor genera ſunt vibrans, convulſivus, tremulus & palpitans: ſub convulſivo continetur convulſio, ſingultus, ſternutatio, tuſſis, &c. De horum ſymptomatum cauſis ordine dicemus, initio facto à ſymptomatibus ſolius voluntarii motus. Functionis autem voluntariæ, quæ muſculis perficitur, ſymptomata propriè ſunt, paralyſis, ſtupor, con-

convulſio & tremor; quæ in particularibus inſtrumentis ſpeciem & nomen interdum variant: his addi poterunt vertigo & incubus. Fit autem paralyſis & torpentium motus in toto aut parte aliqua corporis ab iis affectibus, à quibus paralyſis ſenſuum, & ſtupor: licèt voluntarius motus, qui muſculis abſolvitur, plus virtutis & roboris requirat, & nervos duriores ſiccioresq; quam ſenſus. Quare à leviori cauſa tollitur motus quàm ſenſus. *Paralyſi.*

Definiri autem poterit paralyſis, abolita functio voluntarii motus in partibus citra ablationem actionum principis facultatis à cauſa prohibente ſpiritus animales influere, in organa motus. Dico citra ablationem functionum principum, ad differentiam apoplexiæ. Cauſa immediata eſt omne quod influxum animalis ſpiritus, per nervos in muſculos prohibet. Prohibetur affecto vel cerebro, vel ſpinali medulla, unde nervi motorii, vel ipſis nervis, qui in muſculos diſtribuuntur. Quare pars primario affecta erit aut cerebrum ipſum, aut ſpinalis medulla, aut nervus, adduntur muſculi ſecundum tendines, parteſque nervoſas, quatenus vim per nervos ſuſcipiunt. *Definitio paralyſis.* *Pars affecta.*

Quomodo verò vitio cerebri ſpiritus per nervos non influit initio præcedentis capitis demonſtratum fuit. Propriè paralyſis oritur, quando diſtrahitur & diſſolvitur ſpiritus in cerebro, quod in magnis vulneribus capitis & temporum accidit, ubi oppoſitæ partis paralyſis oritur, ob inflammationem ſpiritus in partem læſam trahentem. Deinde quia intercipiuntur ſpiritus ob anguſtiam non omnium ventriculorum, ut in apoplexia, ſed ſinuum & cavitatum partis dextræ aut ſiniſtræ, unde hemiplexia, vel læſo cerebro aut meningibus in exortu peculiarium nervorum. *Cauſa Paralyſis vitio cerebri.*

Plerum-

Causa paralysis vitio spinalis medullæ aut nervorum.

Plerumque morbus causa paralysis est in spinali medulla, vel ipsis nervis. A spinali medulla omnes sub facie partes exceptis visceribus & vocis organis nervos accipiunt. Deinde quo pars læsa superior est, eò gravior. Morbi autem spinalis medullæ aut nervorum, qui influxum prohibent, sunt intemperies, meatuum angustia, & solutiones continui, intemperies autem est vehementer frigida, & plerumque unà humida, quæ nervos relaxat, sensusque obtundit crassioresq; reddit, qualis interdum sine materia est ex contactu torpedinis, piscis, usu opiatorum, longa mora in aqua, aut aëre frigido, &c. plerumque cum materia frigida, ut humore pituitoso. Angustia meatuum spinæ & nervorum est potissimum obstructio, compressio, & constipatio. Obstructio autem spinæ & nervorum est potissimum secundum medullarem substantiam ut plurimum ex humore pituitoso, deinde ex melancholico sanguineo, aut ex mixto non propriè à bile, licet ex colica biliosa, teste Paulo; & febri biliosa, teste Fernelio, paralysis interdum oriatur, sed quia bili multa pituita permixta est, aut febrilis calor pituitam in cerebro colliquat, & tempore rigoris ad nervos propellit. Compressio spinæ aut nervorum oritur ex contusione aut ictu, vel à luxatione vertebrarum, spinæ ad latus, vel à tumore extrinseco comprimente, vel à vinculis injectis partibus nervosis, &c. Constipatio fit præcipuè à tumore in substantia spinalis medullæ vel nervi. Additur his à nonnullis subsidentia meatus, spinæ & nervorum à siccitate substantiam cogente & contrahente, sed à tali affectu potius convulsio fit & si augeatur, transitum spirituum impedit.

Tertium genus morbi influxum spirituum impediens est solutio continui, præcipuè vulnus & sectio spinæ vel partis nervosæ per transversum con-

contritio nervi à gravissima contusione,&c. Atque hæ causæ paralysis, si leviores fuerint, pro paralysi stuporem aut motum torpentem inducunt coeuntibus in unum morbo & facultate.

Differētia Paralysis. Differentiæ paralysis sumuntur à parte affecta. Nam affecto cerebro secundum dextram aut sinistram partem, dextræ aut sinistræ partes corporis, & faciei resolvuntur, & unà vox impeditur; si morbus totum spinæ exortum afficiat omnes sub facie partes: sin dimidiam tantum nimirum dextram partem, dextra pars sensu motuq; privatur. *Signa loci affecti.* Verùm si alibi morbus sit, partes quæ inde nervos accipiunt, tantùm resolvuntur; ut brachia & manus affectis vertebris cervicis, pedes læsis vertebris lumborum, ubi verò una pars sensum motumq; amittit, in illius nervo, aut ejus exortu affectus erit; veluti resoluto motu oculorum in secundo pari nervorum cerebri; resoluto motu linguæ in septimo pari ejusdem; ablata voce, in nervis recurrentibus; resoluto diaphragmate in quarto pari cervicis, &c.

Secundò convulsio paralysi opponitur, utraque partibus motui dicatis proprè accidit: sed in resolutione pars affecta mollis & laxa redditur, & à sana attrahitur: in convulsione pars læsa dura, intenta & contracta sanam ad se trahit. Deinde in paralysi & convulsione nervi quidem & musculi afficiuntur; sed in paralysi magis nervi, in convulsione potius musculi: nam non contrahitur pars, nisi musculo contracto à nervo.

De convulsione. Σπασμὸς Latinis convulsio non eodem modo semper sumitur. Nam aliquando tàm latè accipitur, ut omnem motum convulsioni similem sive convulsivum comprehendat; plerumque magis propriè pro involuntaria contractione musculorum, quæ duplici modo fit; vel ab expultrice facultate partium nervosarū irritata à causa dolori-

Convulsio legitima. *Illegitima*

fica, ut id, quod noxium est, expellat; vel à morbo abbreviante, & violenter tendente partes nervosas. Hæc affectio, quia morbi solius opus est σύν τάσει, convulsio exquisita propriissimeq; dicta est: illa illegitima tantum. Definitur autem legitima convulsio contractio involuntaria & perpetua musculorum versus suum initium, orta ob brevitatem nervosarum partium ex inanitione & repletione. Dico contractionem perpetuam ad differentiam convulsionis illegitimæ, quæ ἀνά τάσει est. Nam in vera convulsione musculi, qui contrahuntur, à morbi initio ad finem rigidi & contracti permanent. Contrahuntur autem musculi ut in motu voluntario ad suum initium, non secundum ventrem à facultate, sed præter voluntatem à nervo affecto sive contracto; qui musculos unà contrahit, & in eodem situ detinet.

Definitio convulsionis legitimæ.

Morbus causa immediata veræ convulsionis.

Quare causa immediata veræ convulsionis erit contractio sive brevitas nervorum, deinde musculorum, quæ morbus est in magnitudine diminuta, cum quo plerunq; conjuncta est solutio illa continui, quæ spasma sive divulsio dicitur, ac ad quem consequitur totius membri vitiata figura. Pars primario affecta sunt nervi, aut initium aliquod nervorum, nimirum cerebrum aut spinalis medulla: Deinde propter nervos, musculi, ac propter musculos articuli. Nam dum principium nervorum violenter contrahitur, contrahuntur unà nervi, & dum nervi ipsi etiam in quos distribuũtur musculi, quare membra in quæ tendines musculorum inseruntur, necessariò contrahuntur, à sua naturali figura desciscunt ac vehementi dolore torquentur.

Pars affecta.

Causæ morbificæ inanitio

Causæ autem omnes brevitatis sive contractionis partium nervosarum ab Hipp. ad inanitionem & repletionem reducuntur; quas *Gal. 2. de Sympt.*

caus.

 CAP. VIII.

caus. cap. 2. exemplo chordarum in musicis instrumentis explicat; dum enim nervi replentur, eorum latitudo dilatatur,& proindè longitudo minuitur; dum exsiccantur sive evacuantur, longitudo cum latitudine contrahitur. *& repletio.*

Convulsionis autem ex repletione causæ duæ sunt *Gal. lib. de Tremor. cap. ult.* affluxus materiæ tendentis nervos sine inflãmatione; deinde inflammatio nervosarum partium, præcipuè cum in nervorum principio,aut propè ipsum inflammatio excitatur: tum enim inflammatio nervos attrahens tendit prout artifices extrinsecus instrumẽtis chordas. Affluxus ille materiæ non est secundum medullarem nervorum substantiam meatus spirituum obstruens,nervosq; relaxans,ut in paralysi; sed potius secundum tunicas, sive dum inter tunicas colligitur,eas replens & distendens, qualis materia præcipuè est humor pituitosus, deinde melancholicus. Verùm pituita non salsa,nec tenuis,sed magis crassa & viscida,quam in paralysi,& interdum flatulenta. Deinde oritur inflammatio in spina,aut circa exortum nervorum ab ictu, contusione, ex affluxu sanguinis,aliquando ex punctione nervi. Verùm convulsio universalis ex punctione nervi illegitima est. Inflammatio partis vicinæ nervos tendens convulsionem excitat, undè gravem anginam cõsequitur nonnunquam convulsio. Ad eundem modum luxatio vertebrarum,quatenus nervos secum trahit tenditq;, convulsionis quandam speciem inducit. Deinde ubi ad latera luxatio fit nonnunquam ægri in ea parte, quâ vertebræ inclinatæ resolvuntur, ab altera convelluntur, *teste Galen. 4. de locis aff. cap.3.* *Causæ cõvulsionis ex repletione duæ.*

Convulsio ab inanitione oritur, quia nervi breviores redduntur ob nativæ humiditatis cõsumptionem. Consumitur autem ab exiccantibus non *Causæ cõvulsionis ab inanitione.*

ſenſim, ſed confertim magnaq; violentia, qualia ſunt, quæ evacuant, vel ſenſibiliter, ut immodicus ſanguinis, aut alvi fluxus, ſudores copioſi, vomitus vehementiſſ. ex helleboro, &c. vel inſenſibiliter, quæ vehementer calefaciũt & exiccant, ut febres ardentes, phrenitides lethales, perpetuæ vigiliæ, curæ, labores, inedia, alimenta immodicè calefacientia, ut vinum potens, &c. adduntur cauteria aut veſicatoria nervoſis partibus temerè admota. Hæ cauſæ convulſionem excitant, ſi nervi debiles & diſpoſiti fuerint, & affectus nervoſas partes invaſerit.

De cõvulſione illegitima.

Convulſio illegitima eſt ἀνάλογοι πάσει & non ſolius morbi opus, ſed motus expultricis naturalis nervorum & muſculorum, Deinde cauſa ejus non eſt materiæ redundantia aut defectus, ſed affectio dolorifica ſtimulans nervoſas partes, ut ſeſe concutiant, quare à nonnullis convulſio non proportionata ad materiam dicitur, quod inter partem affectam & materiam nulla ſit proportio. Definitur igitur iſta convulſio, depravatus motus inſtrumentorum voluntarii motus, ob facultatem expultricem partium nervoſarum ſtimulatam ab affectu dolorifico, ut ſua cõtractione & concuſſione, quod noxium eſt, extrudant. Pars primariò affecta ſunt partes nervoſæ potiſſimum nervi & tendines muſculorum. Cauſa proxima, eſt affectus dolorificus nimirùm intemperies & ſolutio continui: intemperies autem illa fit ex repentina alteratione ſine, aut cum materia, & vel à qualitate evidente potiſſimùm calida vel frigida, vel venenata & maligna, ut ex ictu ſcorpii, &c. Materia verò eſt humor aut vapor, & vapor vel flatulentus, vel ſpiritus aut aura venenata, qualis oritur ex febre maligna, ex ulcere maligno, punctione nervi, &c. Continui verò ſolutio eſt vel eroſio & morſus ab acribus malignis humoribns, vel punctio nervorum aut tendinum; vel

Definitio convulſionis illegit:

Pars affecta.

Morbus.

vel distensio à flatib⁹ aut flatulentis humoribus,&c. Hæ causæ convulsionem efficiunt, vel per essentiam ex proprio partis nervosæ affectu, vel per consensum, dum alteri membro nervi compatiuntur aut nervorum principium. Compatiuntur autem nonnunquàm per nudam condolentiam, plerumq; vel à prava qualitate alteratis per continuitatem partibus,donec ad initium nervorum deveniat passio, vel à spiritu flatulento, aut aura maligna per partes nervosas transmissa, quando verò ad initium nervorum & ventriculos cerebri pervenit affectio, Epilepsia oritur. Fit autem convulsio per consensum primùm orificii ventriculi, vel ab acri & maligno humore, ut æruginosa bile aut à veneno aut vermibus os ventriculi mordentibus, aut potu aquæ vehementer frigidæ, ubi ventriculus valdè sensilis est. Deindè per consensum uteri, ut in hystericis aut vasorum spermaticorum ex semine retento, &c. ac partis in habitu corporis ex ulceris putridi virulenta aura per nervosas partes transmissa, &c.

Differẽtia convulsionis illegitima.

Ex his patet,quid & quotuplex sit convulsio, verùm ratione loci affecti dividitur convulsio in universalem & particularem : convulsio illegitima universali; cum sensus & mentis oblæsione est Epilepsia,sine sensus mentisq; læsione, convulsio universalis simpliciter vocatur : convulsio illegitima particularis est spasmus flatulent⁹ vulgò Gramphus ex flatulento spiritu replente musculos aut tendines, præcipuè pedum, qui levi frictione sanatur, &c. Convulsio legitima nulla tàm universalis est Epilepsia, sed ea propriè universalis vocatur, ubi musculi caput & spinam moventes, vel anteriores, vel posteriores, vel utrinq; convelluntur, unde triplex convulsio; una ἐμπροσθότονος,quando musculi anteriores partes flectentes contrahuntur, ut mentum annectatur pectori, corpusq; carinam

Differẽtia convulsionis legitima.

repræsentet: altera ὀπισθότονος, ubi musculi posteriores caput partesq; extendentes convelluntur: Tertiò τέτανος motus compositus quando musculi tàm anteriores, quàm posteriores ita contrahuntur, ut caput totumque corpus erectum & rigidum maneat; malum peracutum quod citò interimit. Horum causa in exortu spinalis medullæ, nisi cum universo corpore musculi faciei convellantur: Nam tùm in cerebro erit. Particularis convulsio legitima fit contractis musculis partis alicujus à nervo, quæ ab effectu interdum peculiare nomen sortitur. Nam convulsio musculorum oculi στράβισμος, mandibularum & musculorum temporum τρίσμος: oris, contracto lato musculo ab una parte, convulsio canina; ab utraq; risus Sardonicus: item convulsio musculorum penis, σατυρίασις vocatur. In cæteris similis ratio est, licèt propriis nominibus careant.

Signa. Signa instantis convulsionis generalis, sunt tremor, dolorque circa cervicem & juncturas, frequens coloris mutatio, urina viridis, partium faciei distortio, anhelitus suspiriosus sive offendens, &c. præsentis; partium involuntaria contractio, pulsus parvus, durus seu cordosus, vigiliæ, deliria, &c. Pars verò quæ convellitur intenta dura, immobilis redditur, ac sanam oppositam ad se trahit. Particularis convulsio, denotat morbum esse in exortu proprii nervi; totalis sub facie, in initio spinæ; si facies unà convellatur in cerebro; si ab inanitione accidat, subitò accessio non fit, sed paulatim cum membri diminutione, præcesseruntq; causæ exiccantes; contraria ratio est in convulsione ex repletione, &c.

Tremor. Tertio tremor naturæ & morbi opus, est motus depravatus, compositus ex contrariis duobus

bus motibus sibi invicem succedentibus sine sensibili quiete, scilicet ex motu sursum ferente, aut in rectam lineam continente; & ex motu deorsum trahente. Sursum autem ducit & in rectum continet facultas animalis: deorsum trahit insita partis gravitas. Oritur enim tremor non in quiete relaxatis omnibus membris, sed musculis agentibus vi facultatis animalis. Agunt autem musculi non solum quando partem aliquam extendunt & contrahunt, sed etiam quando extentam in rectum continent. Nam ut in ambulatione ita in statione aut manus extensione duo concurrunt facultas partem continens & movens mediantibus musculis, deinde naturalis partium gravitas deorsum deprimens. Quare si facultas valida fuerit, motus sine molestia erit, & quando pars movetur non tremit: at si tam infirma fuerit, ut non vincat naturalem contentionem partis, quæ movetur, sed facultas movens & id quod movetur pari virtute & robore simul certent, tremor oritur. Quare erit Tremor motus voluntarius depravatus ex contrariis compositus sursum deorsum assiduus ex pari mutuaq; contentione facultatis debilis movere conantis, & ponderis membri deprimentis. Dico facultatis movere conantis ad differentiam convulsionis, rigoris & similium. Nam dum quiescit membrum non tremit; sed dum erigitur, potissimum si facultas ponderi membrorũ par non fuerit, ut enim valida virtus non omni oneri par est; ita nec debilis ponderi suorum membrorũ, ut in decrepitis apparet, qui ob virium debilitatem tremunt, quod corpus ipsis oneri sit. Causa tremoris est debilitas facultatis nervorum, quæ duplici modo oritur, nimirũ viriũ exsolutione & oppressione. Exoluuntur autẽ vires immodicis evacuationibus alvi, sudoris, sanguinis & similiũ, intempestiva venere, longo morbo, immodico gaudio, &c,

Tremoris definitio.

quæ ſpiritus confertim evacuant. Huc adduntur, quæ calorem nativum extinguunt, nervosq́; debilitant, ut frigida intemperies, vapor hydrargyri, &c. Oppreſſio verò oritur plerumque à craſſis humoribus leviter obſtruentibus nervos, aliquando à copia humorum in venis, à crapula, frigida potione, &c. Item à timore, verecundia & ſimilibus, quibus calor nativus ad interiora confertim revocatur.

Palpitatio

Palpitatio morbi ſolius opus, illis partibus tantum accidit, quæ dilatationem ſua natura admittere poſſunt: quare ut tremor partes à loco non transfert, ſed dilatare & ſubſidere in ſe alternatim cogit: Nam propriè palpitatio eſt depravatus motus ex dilatatione & ſubſidentia compoſitus in partibus dilatationi idoneis, ortus à vapore multo, craſſo celeriter diſtendente, & per partem fluente & refluente. Dico vaporem craſſum & multum pro captu loci aut cavitatis in quo continetur: nam paucus & tenuis vapor facile diſcutitur, niſi pats frigore condenſetur & pori conſtipentur. Quare duæ erunt palpitationis cauſæ; una ſpirituum craſſities & copia, ut facilè diſcuti nequeant; altera pororum & meatuum nimia conſtipatio & condenſatio. Verùm cordi peculiaris quædam accidit à cæterarum partium palpitatione diverſa, de qua dicetur in explicatione ſymptomatum cordis.

Cauſa ſymptomatum motuum depravatorum expultricis facultatis.

Sequuntur ſymptomata motus depravati, quæ ſolius facultatis animalis non ſunt, ſed expultricis naturalis ſtimulatæ ſenſu rei moleſtantis, cujus generis ſunt pandiculatio, oſcitatio, rigor, horror, ſingultus, vomitus, tuſſis, ſternutatio, &c. Horum omnium cauſa communis eſt irritatio facultatis expultricis propter ſenſum rei moleſtantis, ſcilicet mordentis, pungentis, erodentis aut gravantis. Nam omnibus partibus ineſt alieni odium & averſatio; quod autem averſantur id facultate naturali expellunt,

lunt, & eo magis quo acriori sensu tactus præditæ sunt, magisq; molestiæ sensu stimulantur. Deinde hi omnes motus depravati inter se quandam proportionem habent; omnibusque commune est, expultricem vehementius concitatam ea quæ contristant persequi, unde qualis motus ventriculi est in vomitu, talis pectoris & pulmonis in tussi, &c. Differunt tamen modo agendi, ratione partium, facultatum & causæ moventis. Nam partes aliæ ut noxia expellant, sese violenter contrahunt, aut concutiunt, aliæ sese contrahere, aut concutere nequeunt. Deinde omnes ejusdem facultatis organa non sunt, nec eadem vi moventur, sed aliæ animalis facultatis sunt, aliæ vitalis, aliæ naturalis. Præterea causa expultricem stimulans, aut continetur in cavitatibus, ut in vomitu, sternutatione, tussi; aut in solida substantia, ut in pandiculatione, singultu, rigore, &c. Et vel violenter movet & irritat, ut in rigore, vomitu, sternutatione, vel minus violenter ut in horrore, nausea. Quare motus omnes ejusdem formæ, magnitudinis, velocitatis & frequentiæ esse nequeunt. Nam primum partes, quæ contrahi possunt, nunc fibrarum contractione & compressione, nunc relaxatione, interdum particularum omnium concussione, quod noxium est expurgant. Peculiariter verò instrumenta naturalia ea, quæ cavitatibus continentur, compressione exprimunt & expellunt, ut ventriculus in vomitu: Vis vitalis impulsu caloris cordis cum spiritu & sanguine, ut in rigore, agonia, &c. Instrumenta animalia, nervorum & musculorum contractione & relaxatione, aut partium omnium concussione, ut in motu convulsivo, &c. Instrumenta verò, quæ contrahi & hoc modo agere nequeunt, ut sunt viæ respirationis, per os & nares spiritu utuntur, qui incitatus cum impetu sibi vias aperit, ut noxia violenter expurget, quemadmodum

in tuſſi & ſternutatione apparet: nam tuſſis vehementiſſima ſpiritus efflatione, quæ in pectore pulmonibus & aſpera arteria continentur expurgat: ſimiliter ſternutatio ea protrudit, quæ naſum & anteriores cerebri partes offendunt. Nihilominus tuſſis ſine conſtrictione muſculorum pectoris & compreſſione pulmonis non fit, & ſternutatio non ſine concuſſione cerebri. Præterea ubi in ipſa ſubſtantia partium ſenſibilium aliquid erodens continetur, quod vehementius movetur, facultas & animalis & naturalis violenter irritata cum calore nativo refugit, & tamen id quodcunq; modo poteſt expellere feſtinat omnium partium concuſſione & vibratione, nimirum ſingulis particulis ſe conſtringentibus & contrahentibus, & unaquaq; particula portionem excrementi, quod in ſe continet protrudente. Hoc modo ſi omnes partes ſimul moveantur, Rigor propriè dicitur, concuſſio ſcilicet & vibratio totius corporis: At ſi ſola cutis concutiatur, horror propriè vocatur. Ubi verò id quod in partis ſubſtantia continetur, non movetur nec vehementer irritat, ſenſum tantũ inæqualitatis inducit, unde varia ſymptomata, ut poſt apparebit. Quare prout facultas magis aut minus aut frequenti⁹ irritatur, ita agit, & quo robuſtior eſt, eo vehementiores & validiores mot⁹ facit. Vehementes & validi motus expultrices ſunt ſternutatio, tuſſis, ſingultus, rigor; his minores pãdiculatio, oſcitatio, horror, &c. At prurit⁹, laſſitudo ulceroſa & ſimilia, magis ſunt ſenſus quàm motus. Cauſa communis horum omniũ ſymptomatum eſt, quod triſtem ſenſationem ſive dolorem excitat, præcipuè verò intemperies inæqualis & in fieri, non æqualis & jam facta: nam dum natura mutatur à ſtatu ſuo dolet, tantaq; doloris & moleſtiæ eſt magnitudo, quanta intemperiei, ut in febribus ardentibus apparet, dum ſolidæ partes mutantur.

At morbis incipientibus aut instantibus inæqualitas quædam plerunq; sentitur, quæ duplex potissimum est; Una rei alienæ dispersæ per corporis molem, quæ nomine caret: alia cum sensu lassitudinis, unde lassitudo spontanea vocatur. Hactenus in genere de causis symptomatũ depravati motus expultricis, superest ut de singulis in specie agamus, & primùm de symptomatibus, quæ fiunt ex vitiosis excrementis in habitu sine substantia corporis: Deinde in cavitatibus. Vitiosa autem excrementa, quæ intemperiẽ inæqualem, sensumq; inæqualitatis excitant, vel vaporosa sunt, facileq; discutiuntur, vel magis infixa, & simul acria & mordacia. Ob sensum autẽ inæqualitatis ex vaporosis excrementis in habitu corporis, ægri maximè pandiculantur, partesq; distendunt sese tuendi gratia, atq; etiam oscitãt. Est autem pandiculatio propriè dilatatio musculorum irritatorũ ob sensum evaporantium à carne per poros excrementorũ vaporosorum, ut illa excrementa expurgentur. Oscitatio verò est motus musculorũ faciei maxillam inferiorem aperientium ut halituosa excrementa expellantur. Hæ affectiones à somno exporrectis potissimùm accidunt, cum in carne halituosa excrementa sentiuntur, collecta ex concoctione alimenti & cessatione à motibus. *Pandiculatio.* *Oscitatio.*

Lassitudo autem spontanea, quæ labores non consequitur, est impotentia movendi membra, ob sensum quendam molestiæ in partibus. Sensus ille motum impediens triplex est, unde triplex est lassitudo: Una tensiva, quâ intendi videtur corpus, orta à plenitudine vel copia humorũ fibras distendente; Altera ulcerosa ubi ægri, cum moventur, ulceroso sensu afficiuntur, seseq; pungi aut multas quasi spinas infixas habere putant. Hæc ex humoribus acribus pungentib⁹ & quasi vulnerantib⁹ cutem & subjectã carnem excitatur: Tertia contundens vocatur, *Lassitudo spontanea triplex.*

quan-

quando ægri moventur: sibi omnia membra conquassata & contusa arbitrantur, & calorem cum morsu & tensione sentiunt, talis oritur ab humore vitioso copioso transfuso in totã corporis molem, qui musculos excalefactos ita attollit, ut phlegmoni persimilis affectus videatur. In omni lassitudine spontanea, sensus molestus est, sed ad eam molestiam excutiendam, non semper facultas exsurgit. Nam qui lassitudine contundente tenentur, & quasi ossium fatigatione; pandiculationem concussionẽ omnemq; motum reformidant; quod in cæteris æqualitatibus non semper fit, nisi nimirum augeantur; qui verò ulcerosa lassitudine afficiuntur, antequam moveantur, quasi inæqualiter afficiuntur, & quasi horrere videntur, magis verò horrent, quando moventur: si vehementius exerceatur planè rigent; humoribus per sensiles partes delatis. Hæ omnes affectiones à mordacibus excrementis oriuntur, quemadmodum sensus pruritus, ulceris, scabiei atque inæqualitatis, sed differunt inter se excrementorum illorum multitudine & paucitate; motu & quiete; qualitate magis vel minus mordente: Præterea robore virtutis expultricis corporis & sensus acumine.

Causa sensus inæqualitatis magis minusq; evidentis.

Nam primum sensus inæqualitatis, (quando aliquid molestiæ in corpore percipitur, quod quale id sit exprimere non possimus.) causa est levis alteratio, aut intemperies inæqualis à materia acri minus copiosa extenuata, aut in spiritum versa, per corporis habitum dispersa; At causa sensus inæqualitatis magis evidentis, erit gravior intemperies & alteratio ab humore acri immoto vel immobili.

Causa sensus Pruritus.

Nam pruritus sensus excrementorum salsorum nitrosorum, &c. circa cutem consistentium oritur à succo salso, tenui pauco & immoto.

Vlceris.

Ulcerosus affectus à pauco quidem immoto, sed magis mordaci lon-

longiusq; penetrante: Scabies à ſucco ſalſo immoto, ut pruritus: ſed craſſiore copioſiore longiusq; penetrante. Horror verò à pauco tenui mordaci cum exiguo motu, at ſi idem ſuccus vehementius moveatur aut copioſior mordaciorq; fuerit, rigorem inducit. Ratione autem ſubjecti hi motus variant, nam corpus debile acuti ſenſus, facilè irritatur & dolet: contra corpus robuſtum ſenſus hebetioris. Ipſa autem motus vehementia augetur ex duabus cauſis, ſcilicet mobilitate cauſæ facultatem irritantis, & robore expultricis partium. Nam propter mobilitatem cauſæ fit, ut idem qui dum quieſcit, inæqualitatem tantum ſentiat, dum movetur horrorem, dum exercetur rigorem patiatur: propter robur verò facultatis fit ut natura majori impetu & celerius moveatur, quo noxia facilius expellat. *Scabiei.*

Oritur autem horror & rigor à mordaci cauſa delata per partes ſenſiles. Inſita eſt partibus omnibus vis, qua id quod noxium eſt pro naturæ modo, à ſe propellunt. Dum igitur per partes ſenſiles noxii aliquid defertur naturali quodam inſtinctu ad excretionem expultrix inſurgit, ſingulæque particulæ ſeſe colligentes, inſtrumento caloris nativi à corde; impetu quodam ultrò citroque, id quod noxium eſt à ſe propellunr. Hic motus ſi cuti omnibusque muſculis accidat concuſſio dicitur, ſub quo continetur rigor & horror. Nam concuſſio cutis, potiſſimum horror vocatur; concuſſio totius corporis omniumq; muſculorum, rigor; vehementior affectio à vehementiori cauſa, quàm horror; Qui enim rigore corripiuntur diſtendi & contrahi videntur, non aliter quàm ſi nimio frigore detenti eſſent; ſimulque quaſi contrahuntur, quia vibratis muſculis tendines & nervi & ſimul articuli concutiuntur. *De rigore & horrore.*

In

Modus generationis rigoris.

In rigore autem corpori aliquid occurrere debet, cujus vi partes ſenſiles tanto moleſtiæ ſenſu afficiuntur, ut calor innatus cujus fons eſt cor, ad interiora repellatur & refugiat: repulſo autem calore ad ſuum principium, cum ibidem manere nequeat niſi ſuffocetur, ſeſe recolligens, & cum vehementia adverſus ea, quæ tranſitum ejus impedierunt, iterum atque iterum inſurgit, & erumpit: quo erumpẽte membra ſenſitiva facultate ſua expultrice cauſam illius moleſtiæ excutere conantur, ſeſeque concutiunt, ſed dolor rurſum calorem refugere cogit: atque hæc ultrò citroque celeriter fiunt donec vincente calore & depulſa cauſa noxia membra omnia incaleſcant & febris ſuccedat: quod ſi verò cauſa vincat mors ſubſequitur. Succedit quidem rigori propriè dicto naturâ vincente febris, & non neceſſariò rigori horrido, qualis affectio iis accidit, qui in deſidia nimium ſe repleverunt, & â cibo ſæpe lavarunt, ſed ea magis horror, quàm rigor dici debet. Oritur autem horror & rigor à cauſa mordaci mota per partes ſenſiles: Verùm rigor propriè dictus, motus ſcilicet totum corpus vibrans, nunquam fit à ſolo frigido ſucco, ſed à calido acri mordaci tantum. At horror ab iiſdem cauſis fieri poteſt à quibus rigor, ſed mitioribus, paucioribuſque minuſque motis, ac præterea à frigidis ſuccis delatis per ſenſiles partes, ut in febribus pituitoſis. Quare febres quartanæ ob utraſq; cauſas rigorem horridum propriè habent.

Definitio rigoris.

Ex his omnibus colligitur quod rigor ſit vibratio omniũ muſculorum totius corporis dependens ab expultrice irritatâ à cauſa acri & mordaci per ſenſiles partes delata mediante reciproco caloris innati motu à corde. Horror verò motus minor, quàm rigor eſt concuſſio ſolius cutis, cum ſenſu frigiditatis & doloris, à cauſa mordente per ſenſiles partes

Horroris.

partes delata, mediante caloris innati motu. Dico mediante motu caloris nativi, quod calor nativus sit præcipuum instrumentum animæ, & peculiariter facultatis motricis in rigore & horrore, unde rigor passio caloris nativi dicitur: nam naturalis caloris intrò forasque delatio spiritum cum sanguine unà trahit, quod in affectibus animi apparet. Quare dolor vehemens corporis cor in consensum trahens, animumq; afficiens intrà ad cor & viscera calorem cum sanguine & spiritu refugere cogit: undè ægris membra refrigerantur, rigentque, quo tempore si virtus ita debilis sit, ut ad ea profliganda, quæ offendunt, insurgere nequeat, aut in pugna deficiat; primùm pulsus, privatio, & syncope, demum mors subsequitur. At si pugnare queat, donec omnia excusserit, ex valido ejus in ea, quæ offenduntur, impetu & collectione caloris in profundo corporis post rigorem cum tanta vehementia calor ad exteriora revertitur, ut febris accendatur, quare excitatur motus ei similis, qui in verecundia. Correspondet autem dolor & delectatio in sensu tactus, affectibus animi; & dolor, timori; delectatio, cupiditati, similique modo spiritum cum sanguine impellunt. In affectibus autem aversatio & fuga ex opinione mali instantis, aut præsentis, calorem cum spiritu ad interiora revocat: contra cupiditas aut desiderium ex opinione boni præsentis, aut futuri ad interiora movet, sed non eodem modo. Nam timor, aversatio mali instantis, spiritum cum sanguine confertim, tristitia, ægritudo ex opinione mali præsentis paulatim contrahit, externis partibus refrigeratis: contrà ira. Cupiditas vindictæ spiritum à corde validè effundit & exteriora calefacit. Gaudiũ verò vehementer quidẽ totũ spiritũ à corde diffundit, sed dissolvit & dissipat. At in agonia composit⁹ est motus ex timore & ira.

Motus depravati cordis.

Cupiditas

Gaudium

Agonia.

In

Verecundia. In verecundia verò, quæ metus aut conſcientia turpitudinis eſt, calor ad interiora primum refugit: deinde rurſus dictante anima nihil eſſe metuendum, confeſtim redit. His motibus pulſus quoq; correſpondent: nam in ira pulſus magnus & vehemens eſt; in timiditate parvi & debiles; in agonia inæquales.

De ſingultu. Ex his omnibus apparet, quomodo facultas expultrix irritata è corporis habitu noxia ſenſui moleſta expellit. In horum quoque ſymptomatum numero ſingultus eſt, de cujus cauſis in ventriculi affectibus dicetur. Symptomata verò, quibus ea expelluntur, quæ in capacitate vaſorum & cavitatum præter naturam continentur, ſunt primùm ſternutatio & tuſſis, deinde vomitus, ructus, alvi fluxus, &c. quæ omnia excepta tuſſi & ſternutatione, ſymptomata ſunt magis facultatis naturalis, quàm animalis. Correſpondet autem tuſſis & ſternutatio, ut dictum eſt, ſed ſternutatio motus violentior eſt, quàm tuſſis. Deinde tuſſis ea propriè expurgat, quæ in viis reſpirationis præter naturam continentur, verùm ſternutatio per ſe primum, quæ in naribus continentur & anterioribus cerebri partibus niſi adſit catarrhus: aliquando quæ aſperæ arteriæ contumaciter adhærent, ex accidente gulam & ventriculum purgat ac ſingultui medetur. Quare ſi non adſit repletio capitis, ſternutatio non parùm cerebro prodeſt, interdum utero, pectori, ventriculo. Eſt autem ſternutatio vehementiſſima efflatio cum ſono, per nares erumpens, orta à depravato motu expultricis facultatis cerebri, irritata à re moleſtante nares, adjuta motu muſculorum capitis & thoracis, ut ea expellantur, quæ naribus aut anterioribus cerebri partibus infeſta ſunt. Concurrunt enim ordine in ſternutatione cauſa vel externa vel interna, mordax, irritans primum nares, & ex

De ſternutatione.

& ex consensu anteriores cerebri partes: deinde, concussio cerebri à vi expultrice unà cum vehementissima efflatione per nares, concurrente motu musculorum capitis & thoracis: Nam aër in sternutatione per narium foramina erumpens, nares anterioresque cerebri partes expurgat, cerebro seipsam contrahente, ut id quod molestum est, excutiat, non aliter ferè, quàm in Epilepsia, unde Avicen. sternutationem parvã Epilepsiam vocat: ergò proxima causa sternutationis est depravatus motus cerebri: Deinde narium excitatus à re aliqua stimulante nares primum, deinde cerebrum. Talis vel extrinsecus accedit, ut usus pharmacorum, rerumque acrium, vel intrinsecus per calefactionem attenuatis humoribus in cerebro ut ad nares descendant easque irritent, aut repleto cerebro humoribus mordacibus & vaporosis. De tussi dicetur in sequenti capite. Cætera symptomata, quæ ex capacitate vasorum compressione aut fibrarum contractione noxia expellunt, ut ructus, vomitus, crepitus ventris, fluxus alvi, excretiones uteri, vesicæ, motus uteri in partu, &c. propriè sunt motus expultricis naturalis adjutæ motu musculorum. Proindè de eorum causis infra dicemus.

DE CAUSIS SYMPTOMATUM LOQUELÆ, VOCIS, & Respirationis.

CAPUT IX.

ANtequam symptomata cordis accedamus, læsæ respirationis causas prius considerabimus: cum respiratio functio maxima ex parte animalis sit, à natura instituta, ut cordi præstantissimo visceri inserviret, &

aëris frigidioris inſpiratione, ac fuliginum exſpiratione calorem cordis in ſua temperie conſervaret. Eadem inſtrumenta ferè omnia, ex aëre, quem reddimus dum exſpiramus, ad vocem & loquelam quoque formandam ſerviunt. Demonſtratum eſt in Phyſiologicis quinque actiones eſſe, quæ inter ſe conſequentia quadam conveniunt, nimirum exſpiratione͂, exſuflatione͂ ſine ſtrepitu, ſtrepentem exſuflationem, vocem, & loquelam; quarum prima ſi lædatur, cæteras omnes lædi neceſſe eſt; ultima læſa cæteræ ejus cauſa haudquaquam læduntur. Verùm cum loquela & vox ſint functiones exquiſitæ animales; reſpiratio verò partim animalis, partim naturalis, ordo poſtulat, ut primùm de cauſis vitiatæ loquelæ & vocis, deinde reſpirationis agamus. Formatur vox ex percuſſione aëris, que͂ cum exſuflatione exſpiramus ad laryngem: vocem verò, cum aëre dum ſurſum fertur, lingua ad palatum & dentes allidens, adjuta motu labiorum articulatim diſtinguit, & loquelam perficit.

De vitiis loquelæ.

Læditur loquela 1. quando vox aufertur, aut potius quando ſine omni dearticulatione profertur, ut in mutis; Nam rariſſimè muti voce deſtituuntur: aut ubi debiliter dearticulatur, ut in illis, qui ſubmiſſe & tardè loqu͂utur, aut mutilas & mancas voces edunt, aut initio tardè in ſermonem prorumpunt, & non niſi lingua͂ & labia multoties moveant, deinde citra obſtaculum ſatis feſtinanter loquuntur; aut literas R, L, K difficulter pronunciant: Vel depravato modo dearticulatur, ubi unam literam pro alia proferunt, aut primam ſyllabam balbutiendo repetunt, quos Galenus τραυλὲς, Latini balbos vocant. Cauſa læſionis eſt vitium vel vocis, vel facultatis linguam moventis, vel ipſius linguæ, vel alicujus partium miniſtrantium, ut palati, dentium, narium, labiorum.

Pro-

Propriè autem obmutescentia oritur ex ἀφωνία, aut ex iis causis, à quibus vox aufertur, Deindè quia usus loquelæ periit & ignoratur, ut in surdis à nativitate. Tertiò læsa facultate animali, vel quia viæ spirituum intercipiuntur, ut in apoplexia aut dissolvuntur, ut in syncope, & in iis, qui vicini sunt morti; vel non transmittuntur per nervos septimi paris, qui per musculos linguæ disseminantur, undè ipsi musculi paralysin patiuntur: sit quoque obmutescentia ex convulsione linguæ propter contractionem nervorum septimi paris. Quartò proprio linguæ affectu nimirũ ipsius linguæ defectu, aut amputatione; vel magnitudine supra modum aucta, sive ea sit ab ortu, sive post, ex affluxu humoris: deinde quia à vinculo ita contrahitur & ligatur, ut moveri nequeat, aut fauces vicinæq; partes vehementer intumescunt, &c.

Causa obmutescentia.

Ab iisdem causis sed levioribus oritur debilis loquela. Nam voces debiliter aut depravato modo dearticulãtur, quia ipsa vox debilis & depravata est. Deinde quia spiritus animalis non justa quantitate per nervos influit, unde motus linguæ torpidus aut tremulus redditur; aut spiritus multi absumpti sunt, viresque debiles ex gravi morbo: aut alio cõvertuntur ex ira, timore, &c. aut linguæ pars dimidia ejusq; nonnulli musculi resoluti sunt. Tertiò quia lingua proprio affectu laborat, nimirùm nimia humiditate sive ab ortu, ut in pueris nonnullis qui balbutiunt; sive ascititia ex ebrietate, aut catarrho, deinde à nimia linguæ siccitate aut scabritie, item crassitie & brevitate propter malam musculorum compositionem. Præterea quia lingua à vicinis partibus ita contracta est, ut liberè moveri nequeat, quod evenit vel ab ortu propter ligamentorum sub lingua brevitatem & duritiem, vel post à dura cicatrice relicta ex ulcere sub lingua: qui

Causa loquela debilis & depravata.

tali affectu laborant ἀγκυλογλώσσοι propriè vocantur. Tandem vitiatur loquela, quando lingua partium ministrantium commodo subsidio destituitur, veluti quando palatum erosum & perforatum est, quod ex morbo gallico nonnullis accidit, qui obscurè & quasi per nares quodammodò loquũtur, deinde quia nares coryza, polypo, aut crustis obturatæ sunt: aut dentes anteriores deciderunt: aut labia ab ortu, aut post ex vulnere, vel ulcere deformata sunt, unde fit, ut literæ, quæ horum ministerio efformantur, deterius pronuncient. His additur tumor mollis, laxus, βάτραχος dictus sub lingua, è quo aperto exit mucus ovi albo persimilis.

De vitiis vocis.

Formatur vox ex percussione aëris quem cum efflatu exspiramus motu musculorum laringis. Læditur itaque vox, quando non satis spiritus cum efflatu ad laringem alliditur, perforato thorace, aut resolutis musculis thoracem moventibus, &c. Secundò læsa facultate movente musculos laringis, vitio cerebri, aut nervorum vocalium, præcipuè recurrentium, ut in loquela dictum est; unde musculi laringis paralysin, tremorem, aut stuporem patiuntur, & præterea ubi contrahuntur nervi, musculi unà convelluntur. Ex convulsione aut paralysi omnium musculorum laringis vox tollitur; à cæteris, debili, aut depravato modo perficitur. Tertiò, affecta laringe, morbi laringis præcipui sunt, intemperies & angustia. Intemperies illa est membranæ succingentis guttur & fauces, eam aut nimium humectans, aut exiccans & exasperans. Humectantur autem & permadescunt guttur aut fauces à gravi catarrho, maximè ex humore pituitoso, undè primùm raucedo oritur; deinde si affectus augeatur, vox obscura redditur aut tollitur. Exiccatio

verò

verò & exasperatio gutturis ex febri ardente, pulvere, fumo, acribus vaporibus, defluxu humoris biliosi, vocem asperam, acutam aut clangosam reddit. Deinde angustia gutturis interdum est constipatio à tumore, intra tunicam laringis asperæque arteriæ, nonnunquam obstructio ex columella elongata, plerumque compressio à tumore aut inflammatione, vel ipsius laringis, vel vicinarum partium ministrantium, ut faucium; vel ob luxationem vertebrarum versus interiora, atq; hæ affectiones sub angina continentur.

Morbi tonsillarum.

Indiget vox commodo columellæ & faucium ministerio ac etiam duarum glandularum, quæ tonsillæ & amigdalæ vocantur. Tonsillæ autem interdum frigida destillatione à capite tument sine ardore & tantùm obstant, ne cibi potusque facilè vorentur: Aliquando inflammatione tentantur sive tumore cum ardore, dolore, siti, qui auctus respirationis & deglutionis difficultatem inducere solet. Inflammatio autem ipsarum glandularum Ἀντιάδες; partium vero inter glandulas, aut quæ glandulis contiguæ sunt παρίσθμια vocantur. Concocta inflammatione, disruptaque cute, ulcus oritur gravem halitum exspirans. Exulcerantur etiam tonsillæ & fauces ex acri catarrho ut plurimùm in lue venerea.

Columellæ affectus.

Columella è palati extremo propendet, primùm ut plectrum vocem modulans & sonoram reddens. Deinde ut frigidiorem aërem per inspirationem attractum temperet, &c. Læduntur hæ actiones primùm ubi columella à multo humore defluente relaxatur, & ita elongatur, ut deglutionem aut respirationem aliquo modo impediat. Deinde quando inflammatur sive intumescit cum ardore, dolore, rubore, deglutiendi difficultate, &c.

Per inflammationem ſi pars ima craſſa, rotunda; ſuperior verò gracilis & nigra appareat à ſimilitudine σταφυλὴ ſive uvea appellatur. Præterea cum exulceratur aut eroditur, aut omninò deſideratur ſive exciſa ſit, ſive putrefacta à morbo gallico aliovè affectu.

De Angina.

Angina notha.

Tertiò omnis affectus ſtrangulandi vim habens nullo exiſtente in pectore aut pulmonibus vitio κυνάγχη ab Hipp. communiter dicitur, Latinis angina, talis affectus eſt anguſtia gutturis, faucium orta interdum à cauſa externa, ut fune aut laqueo, &c. Plerumq; interna, ut à multa pituita madefaciente tunicam gutturis, aut ex defluxione humoris pituitoſi ad muſculos cervicis tumorem ſine rubore dolore & febri excitante, ſed hi affectus acuti non ſunt nec veræ anginæ. Præterea ex luxatione vertebrarum cervicis verſus interiora ex ictu, caſu, humoris defluxu ligamenta relaxante oritur anguſtia, quæ inter Anginoſorum affectus à Gal. & Hipp. numeratur.

Definitio vera Anginæ.

Verùm angina exquiſita propriiſſimè dicta, eſt difficultas reſpirationis & deglutitionis cũ febre continua, orta ex inflammatione muſculorum gutturis aut faucium. Pars primariò affecta eſt guttur aut fauces, ſecundum muſculos interiores vel exteriores. Quarè ratione partis affectæ, medici tempore Galeni quatuor anginæ ſpecies numerârunt,

κυνάγχη

quarum prima eſt κυνάγχη in ſpecie dicta, orta ex inflammatione interiorum muſculorum gutturis; in hac nulla inflammationis indicia in faucibus & cervice apparent, & tamen in gutture plurimus dolor ſentitur, tantaque reſpirationis anguſtia, ut ſtrangulari videantur, ac interdum citò extinguantur.

συνάγχη

Altera eſt συνάγχη quando inflammatio internos fauciũ muſculos apprehendit, & deglutitionem potiſ-

potissimum impedit: In hac aperto ore & depressa lingua, rubor & tumor introspicientib⁹ tantùm apparet, & non in externis partibus. Tertia παρακυνάγχη ubi externi musculi & partes circa guttur inflamatione laborant. Quarta παρασυνάγχη cum inflammatio externos faucium musculos partesque afficit. In his duab⁹ tumor ardorq; in externis partibus conspicitur, ac minori angustia respirationis aut deglutitionis tentantur.

παρακυνάγχη.

παρασυνάγχη.

Causa anginæ primaria est morbus in via nimirùm angustia faucium vel gutturis, deinde magnitudo aucta sive inflammatio vias comprimens. Sub inflammatione comprehendimus omnem tumorem calidũ dolorificum genitum ex affluxu humoris. Humor autem ille præcipuè calidus est sanguineus aut biliosus, rarò sincerus plerumq; ex pluribus permixtus, nunquam sola pituita nec melancholia; cum vera angina morbus acutus sit, cum febre, tumore calido, & dolorifico, quarè tumor gutturis & faucium à frigido humore inter nothas anginæ species recensetur. Morbus igitur causa exquisitæ anginæ erit ex genere phlegmonis aut erysipelatis geniti ex sanguinea aut biliosa defluxione à vicinis jugulariũ ramis, propter plenitudinem vere potissimum, post crapulam, exercitia & balnea intempestiva, &c.

Causa Anginæ.

Consequens est ut de causis læsæ respirationis nunc agamus. Naturalis respiratio mediocritatem obtinet, & in medio omnis excessus & defectus est: non naturalis à mediocritate ad alterum extremorum recedit. Dividitur respiratio ut pulsus pluribus modis: 1. ex quantitate motus exspirationis & inspirationis, in magnam, parvam & mediam: Deinde ex spatio temporis quo absolvitur, in velocem, tardam, mediam: Tertiò ex intervallo utri-

De vitiis respirationis.

Differentiæ læsæ respirationis.

utriusque quietis, in raram, frequentem sive densam & mediam,&c.ut in pulsu. Magna autem respiratio à Gal. dupliciter dicitur propter dilatationis thoracis magnitudinem, vel ob aëris inspirati magnā copiam: additur his respiratio sublimis dicta, quia à sublimioribus thoracis partibus inspiratur, ad quam perficiendam concurrunt non solùm diaphragma & intercostales musculi, sed etiam superiores, qui scapulas movent. Respiratio autem naturalis media ordinata & æqualis est: At respiratio magna, velox, frequens, cum strepitu, inæqualis, inordinata, sublimis sub depravata respiratione sive dyspnœa comprehenduntur, cujus tres species sunt, ut capite de different: symptomatum dictum, dyspnœa in specie, Asthma, & orthopnœa. Sub debili aut diminuta respiratione continentur parva, tarda, rara. Debilitas autem si ita augeatur ut respiratio ad sensum pereat, ἄπνοια vocatur. Ad depravatam quoque respirationem reducitur tussis cum nil aliud sit, quàm vehementissima efflatio cum strepitu gratia respirationis à natura instituta, ut infra apparebit.

Dyspnœa tres species.

De causis læsæ respirationis.

In respiratione naturali tria concurrunt; primò usus, ut calor cordis actionibus proportionatus per calidarum fuliginum exspirationem, & aëris frigidi inspirationem in sua temperie conservetur. Deinde facultas thoracem per musculos movens sufficiens, satisque robusta: tertiò pulmonis cæterorumque instrumentorum spiritalium, quæ facultati obsequuntur, habilitas: quorum unum si desideratur, respiratio à naturæ modo recedit. Quarè læsæ respirationis tres causæ erunt, usus naturalis mutatio; facultas læsa; & instrumentorum inhabilitas. Ac primùm mutatur usus, ubi calor cordis à sua temperie recedit, & vel nimium augetur, vel debilitatur

Tres respirationis læsæ causæ.

1. Usus mutatus.

bilitatur & diminuitur: auctus calor magnam fuliginosorum vaporum exspirationem, & aëris frigidi inspirationem requirit: contra debili calori exigua refrigeratio sufficit; proinde cum usu ipsa respiratio augetur & minuitur.

Deinde facultas movens læditur, si spiritus animalis à cerebro per nervos in diaphragma musculosq; intercostales non influat; aut non justa quantitate; vitio vel cerebri, vel spinalis medullæ, vel nervorum, præcipuè quarti paris cervicis, qui diaphragmati implantantur, ut in præcedente capite dictum est, unde motus musculorum resolvitur, aut debilis, torpidus vel tremulus redditur: Aliquando causa debilitatis motus, est in ipsis musculis & præcipuè in septo transverso ex intemperie, solutione continui, aut tumore interdum scirrhoso relicto post inflammationem. *2. Facultas læsa.*

Tertiò læditur respiratio, quia instrumenta spiritalia facultati non obsequuntur aut sufficienter contrahi aut dilatari nequeunt ex affectu proprio, aut per consensum. Affectus proprius est angustia pulmonis asperæque arteriæ potissimum; additur gutturis & faucium, ut in voce deperdita dictum est. Angustia autem pulmonis, vel est obstructio, orta interdum à crasso vapore, plerumque ab humore vel copioso confertim defluente à capite, undè catarrhus suffocativus, vel à crasso viscido humore infarcto branchiis pulmonis, qni tussim vehementissimam excitat, quâ vix quicquam extruditur, tantamq; angustiam, ut ægri dum magna velocitate & frequentia respirare coguntur, stertorem & sibilum emittant & anhelando respirent, quæ dyspnoeæ species asthma ob id dicitur, & si augeatur, ut non nisi erecta cervice respirare queant, ὀρθόπνοια dicitur. Pituita viscida longo tempore in pulmonibus re- *3. Affectus organorũ spiritaliũ respirationem lædentes.* *Angustiæ species.* *Obstructio pulmonis.*

tenta vi caloris in materiam gypſeam, tandemque in grandinem & calculum concreſcit. Deinde anguſtia fit per compreſſionem vaſorum, pulmonis, vel ex inflammatione, quæ peripneumonia dicitur, vel ex tuberculo crudo, unde Aſthma, vel cocto & in abſceſſum deſinẽte ex quo rupta vomica, empyema oritur, aliquando phthiſis. Comprimitur etiam pulmo ut ſufficienter dilatari nequeat ob anguſtiam capacitatis ipſius thoracis ex luxatione vertebrarum verſus interiora, aut fractura coſtarum, vel inflammatione membranæ ſuccingentis coſtas, quæ pleuritis dicitur, vel à copia humoris aut puris collecti in capacitate thoracis. Tertiò anguſtia vaſorum poterit eſſe conſtipatio à tumore intra tunicas aſperæ arteriæ, aliquando ſubſidentia, quando ſubſtantia pulmonis ulcere ita conſumpta eſt, aut exiccata, ut dilatari nequeat quod phthiſicis ante mortem accidere conſuevit.

Compreſſio.

Conſtipatio.

Subſidentia.

Per conſenſum impeditur dilatatio conſtrictioque pectoris à dolore aut opreſſione diaphragmatis & thoracis. Nam dolor ipſius thoracis ut in pleuritide, aut vicinarum partium, quæ in reſpiratione agitantur & commoventur, reſpirationem mutare cogunt á magna, in parvam denſamque. Depreſſio verò diaphragmatis à tumore jecoris, ventriculi, lienis, aut materia copioſa collecta in abdomine, liberam thoracis dilatationem impedit, undè qui hoc modo affecti ſunt, reſpirationem parvam, velocem & frequentem plerumque habent, & per intervalla interdum magnam. Complicantur ſæpè hæc tria cauſarum genera, & aucta neceſſitas cum anguſtia inſtrumentorum, ut in peripneumonia, aut cum debilitate facultatis, ut in phthiſi.

Morbi lædentes reſpirationẽ per conſenſum.

Ex his cauſis intelligitur forma modusque læſæ reſpirationis. Nam ubi in corde calor accenditur

ditur citra debilitatem facultatis, aut instrumentorum angustiam ægri magna respiratione utroque modo agunt, nimirùm pectus plurimum dilatant & multum aëris frigidi attrahunt. Deinde si calor flammeus reddatur, ut in febribus ardentibus magnitudini accedit primùm velocitas, deindè frequentia, ac proinde cum magna velocitate & frequentia multum calidi spiritus exsuflando emittunt. Verùm si non sufficiens sit facultas, nec membrorum habilitas pro magna succedit primùm respiratio velox, deinde frequens. Præterea quibus adest angustia spiritalium sine calore aucto, dilatatio thoracis maxima est, verùm aër, qui inspiratur, dilatationi non correspondet, & minus quam secundum naturam attrahitur, unde qui hoc modo affecti sunt cum magna velocitate & frequentia respirare coguntur, aliquando cum stertore si adsit angustia magna. Unde asthma, & si augeatur orthopnœa oritur. comuniter asthma sicut & orthopnœa pro omni magna respirationis difficultate sumitur, non solum sine febre, sed etiam cum febre, ut in peripneumonia. Propriè Asthma est respiratio valdè frequens cum anhelatione tussique vehementissima sine febre, orta ab humore crasso viscidoq; bronchiis pulmonis infarcto, aut à tuberculo in substantia pulmonis. Orthopnœa verò est tanta respirationis difficultas, ut nisi erecta cervice respirent suffocari videãtur, orta à pulmonis angustia ex eadem causa, ut in asthmate vehementer aucta. Signa obstructionis sunt catarrhus præcedens, difficultas respirationis subito oborta cum stertore, pulsus inæqualis, tussis gravissima, quia nonnihil humoris peccantis interdum educitur, accessiones graves tempore, locoque humido &c. quod si malum sit à tuberculo nullo antecedente catarrho respirationis difficultas sensim augetur sine stertore cum tussi vehementi, sed planè sicca. Tan-

Causæ læsæ respirationis in specie.

Causæ magnæ respirationis.

Velocis & frequentis

Definitio asthmatis.

Orthopnœa.

Causa sublimis respir. Tandem ubi vires valde debilitantur, respiratio sublimis evadit, nam præcipuum signum debilitatis virtutis, est respiratio sublimis, ubi ex naribus fit exsuflatio, ac dum ægri inspirant, pinnas narium & scapulas contrahunt, dum exspirant, contractio coacervata fit thoracis. Nam ubi vires debilitantur ad respirationem concurrunt præter diaphragma primum musculi intercostales, deinde scapulas moventes, quos tamen validè magnaque celeritate movere nequit, sed sensim tantum.

Causa debilis respi. In debili & abolita respiratione contraria ratio est, quàm in depravata. Nam parva respiratio fit à necessitate diminuta, sive à debili calore cordis ex intemperie frigida, aut à facultate imbecilla; additur instrumentorum inhabilitas, quæ facultati nõ obsequuntur. Verùm si necessitas & facultas adhuc minuatur, accedit primùm tarditas, deinde raritas, & tandem abolita ad sensum respiratio, quæ ἄπνοια dicitur. *Causa apnœa.* Nam oritur ἄπνοια primum quando usus penè tollitur, sive nativus calor cordis ita refrigeratur, ut ab omnimoda exstinctione non distinguantur, quod accidit mulieribus, quæ gravissima uteri suffocatione tentantur, & ex gravi syncope; interdum ex esũ fungorũ, cerussæ, ex lacte coagulato, &c. Deinde ubi facultas tollitur, ut in gravissima apoplexia; addunt nonnulli angustiam perfectam instrumentorum spiritalium, intercipientem omnem aëris attractionem, & emissionem; verum ex tali affectu ægri subitò suffocantur potius quam ἀπνοίᾳ corripiuntur. Qui ita afficiuntur, à mortuis tantum distinguuntur, quod in eorum visceribus exiguus calor adhuc conservetur. Nam ut respiratio ita pulsus eorum adeò obscurus est ut sensum fugiat.

Tussis. Symptomatibus respirationis annumeratur

tussis, non quæ simpliciter voluntaria est, sed coacta à morbifica causa. Nam ea propriè est depravatus motus partim naturalis, partim animalis instrumentorum respirationis, à natura concitatus pro respirationis conservatione, ut ea propellantur, quæ organa respirationis infestant. Quare definitur tussis vehementissima efflatio cum strepitu per guttur erumpens orta ab expultrice organorum respirationis irritata ex spiritu copioso pri⁹ attracto per velocem musculorum pectoris constrictionem celerrimè effuso, ut cum spiritu ea excludantur, quæ irritant & infestant. Causa proxima tussis est expultrix instrumentorū spiritalium ad expellendum irritata, adjuta veloci motu musculorū pectus constringentium; Irritat causa morbifica quatenus sensum molestiæ inducit, nimirum exasperat, mordet, vias intercipit & angustiores reddit. Partes autem thoracis respirationi servientes plures sunt, quarum una non semper primario affecta est, attamen tussis quia à pulmone immediate perficitur, & noxia non solum per asperam arteriam extrudit, sed etiam ut extrudere queat, à capacitate thoracis sæpè attrahit sive transsumit, ideò consentaneum est in tussi pulmonem aut per se affici, aut in consensum trahi. Ubicunq; verò fuerit causa pectus, pulmoque à sensu rei molestantis irritatus, ad expellendum insurgit, sed cum per se impotens sit, auxilium à septo transverso & musculis thoracem constringentibus mutuatur, qui veloci pectoris constrictione dum spiritum multum ex inspiratione retentum celerrimè foras effundunt, vehementissimam efflationem cum sonitu efficiunt, & simul cum spiritu, quæ infesta sunt, propellere tentant: quod si per primam concussionem & efflationē perficere nequeant aliquoties eundem motum repetūt, donec id quod noxiū est, prorsus expellatur, nisi aliter nobis visum fuerit.

Definitio tussis.

Tussis causa.

Causa

Causa tussim excitantes.

Causa facultatem stimulans, tussimque excitans aliquando externa est, ut fumi & vapores acres, pulvis, acida, acerba, & acria alimenta aut medicamenta, ac quæ inter edendum & bibendum in guttur dilabuntur, &c. plerumque interna, ut morbi instrumenta respirationis lædentes per se, aut per consensum. Per se autem intemperies interdum sola & inæqualis, præcipuè frigida ex aëre frigidissimo, vel calida, sicca, guttur & tracheam arteriam exasperans, unde tussis arida concitatur. Plerumque intemperies est cum materia, quæ vel humor est, vel pus, vel vapor. Humores autem vel à partibus thoracis affectis confluunt, vel ex catarrho à capite defluunt, vel ab alia parte, aut toto ad pectus transmittuntur, cum totum corpus confluxile & conspirabile sit. Ex inflammatione pulmonis, pleuræ, aut diaphragmatis, exsudat primùm tenuis ichor, humor, aut sanguis in capacitatem thoracis, deinde pus, præcipue rupta vomica.

Differētia tussis pro ratione humoris.

Humor autem undequaque ad pulmones confluat, triplex est, tenuis fluidusque, aut crassus viscosus, aut mediæ consistentiæ; humor mediæ consistentiæ à spiritu facilè sursum evehitur, tussimque humidam facilemque præstat: tenuis verò aquosus humor cum impulsum aëris subterfugiat, & prius delabatur, quàm ab aëre sursum compelli queat, tussim siccam & difficilem reddit; magis difficilem & molestam tussim facit, humor crassus viscidus sed diverso modo, quia bronchiis pulmonis ita tenaciter adhæret, ut maximo conatu vix avelli queat. Hic humor si copiosus valideque impactus fuerit, non solùm vehementissimā tussim concitat, qua tamen parum aut nihil extruditur, sed etiam magnam respirationis difficultatem cum anhelatione & stertore, undè Asthma; ex hac materia concrescente oritur, ut diximus, substantia, grandinis aut cal-

calculi speciem referens, quæ post vehementissimam tussim interdum expellitur. Materia tussim excitat non solum quando vias respirationis intercipit, sed etiam quia exasperat, erodit & exulcerat, aut venas arteriasque pulmonis aperit, undè sanguis exit, qui tussi rejicitur. Deinde quando ex capacitate thoracis à pulmone, dum dilatatur, spongiæ ritu attrahitur & transmittitur, ac vicissim dum contrahitur, in asperam arteriam cogitur. Materia autem in capacitate thoracis collecta est humor aliquis, aut sauguis purulentus, aut pus ex vomica disrupta, aut ulcere thoracis aut pulmonis, &c. Præterea fit tussis vehemens, cum ex humore substantiæ pulmonis impacto inflammatio oritur, ut peripneumonia aut tuberculum crudum, quod concoctione in abscessum transmutatur, ex quo rupto in capacitate thoracis colligitur pus, undè Empyema, deinde phthisis. Insuper concitatur tussicula arida ex pravis acribusque vaporibus guttur tracheamque arteriam infestantibus & exasperantibus vel à toto corpore, ut in febribus ardentibus & malignis, vel à ventriculo ob corruptionem humorum aut vermium, vel ab obstructione jecoris, lienis, &c. ut in hypochondriacis, &c. Tandem per nudum consensum oritur interdum tussis sicca ex depressione aut pondere gravante diaphragma, ex tumore jecoris, lienis, abdominis, &c. aliquando propter condolescentiam ex affectu dolorifico partium nervosarũ, nimirùm aurium, quando vehementer scalpro aliavè re irritantur, item ventriculi, à vermibus mordentibus, vesicæ, ex inflammatione, &c.

Quo causæ hæ tussis, sicut & læsæ respirationis, pleni⁹ intelligãtur, de morbis præcipuis pectoris & pulmonũ in specie dicem⁹ initio facto à pleuritide, quæ à parte affecta, costa & costas succingẽte membrana

De pleuritide.

brana (utraq; enim πλευρὰ vocatur) nomen ſortitur, à Latinis verò morbus aut dolor lateralis nuncupatur. Nam communiter pleuritis accipitur pro omni dolore cujuscunque partis thoracis ſub cute à materia diſtendente. Partes autem thoracis ſubcutaneæ ſenſu præditæ, quæ dolore affici poſſunt, ſunt primariò membrana ſuccingens coſtas pectusque, cui additur à nonnullis perioſtiũ, deinde muſculi intercoſtales, & qui extrinſecus coſtis incumbunt. Vera autem ſive exquiſita pleuritis eſt dolor pectoris ex inflammatione membranæ ſuccingentis conſtans: Notha verò pleuritis pluribus modis evenit, primò ex catarrho à capite defluente ad muſculos exteriores vel interiores pectoris, deindè ab inflammatione ex humore calido influente à vicinis venis ob repletionem, ictum, caſum, &c. Tertiò ex vapore flatulento membranas muſculosque pectoris diſtendente. Ex his omnib⁹ oritur dolor diſtendẽs cum difficultate reſpirationis, ſed ſi cauſa ſit flatus, dolor vagus erit, qui calidis fomentis facilè diſcutitur: ſin inflammatio, dolor pulſatilis, febris acuta, pulſus frequens, non durus, nec dolor punctorius, niſi aucta inflammatione muſculorum intercoſtalium membrana ſuccingens diſtendatur, & in conſenſum contrahatur. Præterea oritur, teſte Aëtio dolor pleuritico ſimilis ſine febre cum ſumma reſpirationis difficultate, & pulſu debili tardoque, ex craſſo viſcido humore collecto in capacitate thoracis & pulmonis membranis inhærente, aut copia ſua diſtendente, atque hæ omnes affectiones ſub notha pleuritide comprehenduntur.

Notha pleuritidis ſpecies.

Exquiſita vero pleuritis propriè definitur dolor lateris punctorius & diſtendens cum febre acuta, diſpnœa, pulſu duro inæquali frequenti, & tuſſi vehementi, orta ex inflammatione membranæ ſuccingentis coſtas pectusque dividentis. Pars affecta

Definitio veræ pleuritidis.

est membrana, quæ costis adhærescit, & ubi duplicatur & mediastinum vocatur, pectoris capacitatem bifariam dividit. Verùm tota nunquam afficitur, sed plerumque pars aliqua membranæ, quæ costas succingit, rarius mediastini, nimirum utriusque, pars dextra vel sinistra; anterior vel posterior; superior ad jugulum, vel inferior ad hypochondria pertingens. Ex quarum partium affectarum differentia dividitur etiam pleuritis: ubi autem membranæ exterioris pars dextra aut sinistra afficitur in latere sano facilior decubitus est; comprimitur enim si super affecta parte cubent: contra ubi pars dextra mediastini laborat super oppositum latus decumbentes magis dolebunt suspensa parte affecta.

Causa. Causa propria doloris cum febri acuta necessariò est inflammatio, aut tumor calidus membranæ istius, ortus ex affluxu humoris potissimùm à ramis venæ ἄζυγος, qui præcipuè biliosus est, aut sanguis sincerus, vel bilioso humori permixtus, rariùs sanguis pituitosus, rarissimè melancholicus, nisi atra bilis tenuior & maligna ex adustione, ut in peste: Nam membrana humorem crassum difficilimè admittit. Undè morbus causa doloris pleuritici erit erysipelas, phlegmone exquisita, vel erysipelatodes; deindè phlegmone œdematodes, raro carbunculus nisi in febri pestilentiali. Humor peccans, tumorque non solùm ex modo febris dolorisque, sed etiam ex sputo æstimatur, quod colorem & substantiam humoris peccantis semper præ se fert; rubrum enim sputum, sanguinem; flavum, bilem; spumosum, pituitam: lividum aut nigrum omnium pessimum, atram bilem imprimis arguit. Nam in pleuritide, ut in ophthalmia ob naturam membranarum, ut plurimùm statim ab initio aliquid effluit de natura inflammationis, & eò plus quò magis côcoquitur, quod tussi postea evacuatur: Quod si nil

effluat, materia aut non concoquitur, & pleuritis cruda vocatur; aut tota in membrana detenta suppuratur, & proinde nihil effatu dignum cum tussi evacuatur. Nam terminatur inflammatio rarissimè per solam resolutionem, plerumque per suppurationem, idque dupliciter, nonnunquam enim ut suppuratur pars materiæ, ita per sputa evacuatur, simulque desinunt sputa purulenta & inflammatio: aliquando tota materia in abscessum desinit, ex quo rupta vomica pus in cavitatem thoracis colligitur, unde Empyema, quod nisi intra dies 40. expurgetur eroso pulmone phthisis excitatur, aliquando tamen pus per urinas aut ventrem excernitur, statimque ab omni molestia liberantur. Tertiò permutatur inflammatio rarissimè in scirrhum; sæpius materia per hæmorrhagiam sudores aliumvè modum criticè evacuatur, aut ad alias partes, & in alium affectum permutatur, ut in peripneumoniam. Postremò terminatur ad mortem ob malignitatem materiæ & suffocationem caloris nativi. *Signa.* Signum pathognomonicum pleuritidis colligitur ex concursu quinque symptomatum, quæ in definitione exquisitæ pleuritidis ponuntur, quibus additur à nonnullis capitis dolor: Ex his conjunctis pleuritis ab aliis cognatis affectibus, ut inflammatione jecoris, peripneumonia, &c. discernitur.

Peripneumonia. Secundò περιπνευμονία à parte affecta nomen habet, & ab eadem causa ferè oritur, unde pleuritis nimirum ab inflammatione calidovè tumore, verùm quia pulmo laxam substantiam habet, fluxioni recipiendæ idoneam, ideo peripneumonia à sanguine magis pituitoso, pleuritis à magis bilioso oriri dicitur, verum exquisita peripneumonia à quovis sanguine impacto & putrescente in substantiam pulmonis fieri poterit. Notha verò ex tenui

acriq;

aerique catarrho à capite per asperam arteriam ad pulmones, magnam respirationis difficultatem, cum febre lenta, tussi vehementi, sine sputo cruento inducens. Exquisita autem peripneumonia est inflammatio pulmonis ex sanguine immodicam spirandi difficultatem sensumq; gravitatis sine dolore febrem continuam, tussimq; vehementissimam excitans, cum sputo spumoso cruento. Causa illius inflammationis est sanguis cujuscunque generis substantiæ pulmonis impactus ibique putrescens; coacervatus in pulmonibus raro per congestionem, plerumque per viam influxus ex vena arteriali à dextro sinu cordis; aut à capite aliisque partibus per venas, interdum quia alteri morbo succedit, ut pleuritidi, aut Anginæ per translationem materiæ ad pulmones, quare ab eodem humore procreatur, & inflammatio illa pulmonis aut erit phlegmone exquisita, aut notha, ut erysipelatodes, œdematodes, scirrhodes, interdum œdema, aut erysipelas, phlegmonides. Symptomata pulmonis inflammationem consequentia sunt magna respirandi difficultas, & major quàm in pleuritide, adeo ut ne suffocentur erecta cervice spirare cogantur; Deinde dolor acutus non sentitur, quia pulmo sensu caret, sed tantum sensus ponderis aut gravitatis sternum & spinam dorsi contrahentis, nisi membranæ, quibus pectori secundum longitudinem connectitur, inflammatæ fuerint, & tum dolor distendens est: tertiò febris continua ob vicinitatem cordis, ut in pleuritide, quæ ardentior est à bilioso sanguine, debilior à pituitoso: quartò tussis vehementior, quam in pleuritide ac plerumq; cum sputo cruento aut colorato spumoso pro natura humoris peccantis. His additur pulsus undosus, id est, mollis, velox, frequens, inæqualis; deinde malarũ rubor ob evaporationem sanguinis, Terminatur peripneumonia ut pleuritis.

Definitio exquisitæ peripneumonia.

Causa.

De sputo cruento. Locus affectus.

Tertiò cruenta expuitio aut sanguinis rejectio per os symptoma est in genere excretorum præter naturam. Pars affecta unica non est, quæ ex modo rejectionis, sanguinisque natura potissimum deprehenditur. Nam sanguis ab oris partibus simplici expuitione rejicitur; à faucibus, screatu; ex gula, ventriculo vicinisque partibus, vomitu; ex gutture, frequenti tussicula cum dolore laringis; à pectore & pulmonibus, vehementi tussi, verùm ubi pectus afficitur dolor aliquis in parte pectoris percipitur, & sanguis crassus nigricansq; est: ubi pulmo multus floridus, calidus, spumosus confertim exit sine ullo dolore. Causa sputi sanguinis cum tussi rarò est διαπήδησις transcolatio sanguinis per tunicas vasorum: plerumque ἀναστόμωσις orificiorum vasorũ apertio, aut διαίρεσις solutio unitatis vasorum. Apertio orificiorũ vasorũ fit irritata expultrice à copia, acrimonia vel commotione humorum; aut debilitata retentrice ob relaxationem vasorum ab humectantibus, &c. Solvitur verò continuitas potissimum per ruptionem aut erosionem. Disrumpuntur vasa nimia humoris copiâ distenta, facilimè ab ingenti tussi, magno clamore, cum ira, ictu, percussione, magnaque frigiditate. Erodunt & exulcerant humores tenues, acres aut salsi à capite ad pulmones defluentes, unde sicca tussis. Disruptio aut exulceratio pulmonis nisi citò consolidetur, & inflammatio oboriatur, ulcus ferè insanabile relinquitur. Nam ob assiduum pulmonis motum, & laxitatem ulcera ejus rarissimè aut nunquam consolidantur. Quarè ex ulcere sordido Empyema sive tussis purulenta, deinde phthisis oritur.

Causæ sputi sanguinis.

Empyema

Sumitur autem Empyema communiter pro omni tumore ad abscessum vel suppurationem tendente. Deinde pro putrefactione humoris collecti

in

in capacitate thoracis ex catarrho à capite, vel affluxu ab aliis partibus; verùm iſta affectio exquiſitum empyema non eſt, licet eadem ferè ſymptomata excitet & temporis progreſſu pulmonem exulceret. Exquiſitum verò Empyema eſt collectio puris in capacitate thoracis difficultatem reſpirationis cum tuſſi ſputoq; purulento inducens orta ex abſceſſu vel vomica diſrupta & ulcere ſordido. Pars ubi colligitur pus eſt capacitas thoracis, ſive inter thoracem & pulmones, ſed cum thorax per mediaſtinum in duas partes dividatur, vel in utraque parte vel in altera ſolùm puris collectio fieri poterit. Pars affecta, ubi pus generatur, unica non eſt. Nam primum fit Empyema ex peripneumonia, inflammatione in pus converſa abſceſſuque diſrupto. Deinde ex vomica ſive exiguo abſceſſu rupto, qui dupliciter generatur. Nam primum in pulmone tuberculum crudum oritur, unde Aſthma, ut diximus, quod arteriis cordis adhæreſcens pulſum inæqualem & interciſum, palpitationem cordis & ſimilia inducit, hoc tuberculũ ubi concoquitur, in vomicam transmutatur. Deindè in phthiſicis non rarò ex vena aperta, rupta aut eroſa portio ſanguinis in particulã pulmonis ſecedens, in pus convertitur, & in ſumma ſicceſcens cyſtim efformat. Tertò ex pleuritide oritur Empyema ubi abſceſſus in membrana ſuccingente collectus ſubito rumpitur, ut dictum eſt. Præterea ex angina materia purulenta à faucibus ad pectus & pulmones converſa. Oriuntur quoq; ſputa purulenta ex ſordido ulcere, primùm pulmonis, deinde thoracis, vel aſperæ arteriæ ex apertione ruptione aut eroſione vaſis, oborta inflammatione priusquam conſolidari aut ulcus ad cicatricem perduci queat, undè fit, quod ſcribit Hipp. ex ſanguinis ſputo puris ſputum. Eſſe autem pus effuſum in capacitatem thoracis, ex reſpirationis difficultate aucta,

Definitio.

Pars affecta.

Cauſa.

cta, & sono fluctuationis in pectore dum ægri à latere in latus se convertunt, deprehenditur. In quo verò latere ex calore, pondere ejusdem, & difficiliore decubitu in latere sano, quàm affecto, quod pus ex sublimiori loco pendens, pulmoni incumbat. Pus verò in capacitate thoracis collectum, nisi intra 40. dies tussi expurgetur, eroso sive exulcerato pulmone φθίσις sive φθόη, Latinis Tabes oritur.

De phthisi. *Definitio.* Nomen φθίσεως interdum latè sumitur pro omni consumptione sine aut cum febre, propriè pro consumptione totius corporis cum febre lenta, respirationis difficultate, tussi, sputoq; purulento orta ex ulcere pulmonis potissimùm, dico potissimum. Nam consequitur etiam phthisis quædam, sed minus exquisita exulcerationem thoracis aut asperæ arteriæ progressu tantum temporis, si ulcus augeatur & pulmo in consensum trahatur. *Pars affecta.* Pars primariò affecta in phthisi exquisita est pulmo & per consensum pulmonis, cor. Nam nequit totum corpus consumi, tabesque oriri, nisi cor animantis principium afficiatur. *Causa phthisis.* Morbus causa consumptionis est ulcus pulmonis; exulcerato autem pulmone cor sensim exiccatur, & primum rorida ejus substantia, deinde fibrosa, tandem membranosa consumitur; ac cum corde totum corpus simili modo necessariò contabescit. Ulcus autem pulmonis oritur affecto pulmone primario, vel secundario, primario ex abscessu aut vomica pulmonis rupta; aut post sanguinis sputum vase aperto rupto aut eroso: secundario ex affluxu materiæ pulmonem progressu temporis erodente, vel à capite ex catarrho tenui acrique, vel ex pleuritide, aut angina, aut ulcere gutturis, effuso pure in capacitatem thoracis, ut in Empyemate dictum est. Huic malo maxi-

maximè oportuni sunt, qui ex tabida stirpe prognati sunt, & ab ortu vitiosos pulmones, depressum angustumque pectus, collumq; oblongum nacti sunt, ut scapulæ promineant, quos alatos Hipp. vocat, ac præterea qui catarrhis obnoxii sunt. Dignoscitur phthisis ex consumptione totius corporis conjuncta cum difficultate respirationis, & initio febricula, quæ noctu potissimum affligit, tussi, sputoque purulento, quod aquæ injectum subsidet. Procedente verò morbo consumptio corporis febrisque invalescit, color nativus, vigor corporis sensim perit, capilli defluunt, ungues curvantur, tandemque hypochondria sursum convelluntur, viresque omnes debilitantur, &c. *Signa.*

DE LÆSA FACULTATE VITALI SIVE VITIIS cordis.

Caput X.

COr fōs vitæ & caloris nativi est præcipuũ præstantissimumq; corporis membrum, quo languescente aut deficiente omnes totius corporis functiones & vires necessariò languescunt aut deficiunt. Functio autẽ cordis primaria est participatio in calore nativo, aut spirit⁹ vitalis generatio & distributio sive communicatio Deinde propter spirit⁹ istius generationem & distributionem perennis ille motus systoles & dyastoles, qui pulsus dicitur, quem arteriis quoque impertit. Adduntur affectus animi, verùm cum animi perturbationes ex appetitu & imaginatione dependeant & temperiem corporis immutent, ideq inter causas morborũ *cap. 2. libri huius* recẽsentur, *Functiones cordis.*

ac interdum ut symptomata considerantur morbos nonnullos consequentia, ut ira furorem; timor & tristitia, melancholiam, &c. Usus finisque functionis cordis est perenni illo motu pulsus, calorem nativum in ipso fonte cõservare, spiritumq; generare, deinde mediante spiritu per arterias in totum corpus vim vitalem distribuere.

Symptomata cordis.

Læditur functio cordis aliarum instar maximè respirationis; si aboleatur, aut vitiosè edatur. Abolitam autem functionem cordis hîc intelligo, non absolutè omnique ex parte, sed ubi sensibus evidens non est, ut in syncope & ἀσφυξίᾳ ac etiam apnœa; quando cum pulsu respiratio abolita videtur. Hæc symptomata ad valdè imminutam cordis functionem potius, quàm prorsus abolitam propriè refertur; cum actio cordis, dum vivimus, penitus cessare nequeat. Deindè vitiosè editur functio cordis ubi à naturali mediocritate recedit, per remissionem aut depravationem: per remissionem autem si functiones cordis diminuantur, unde lipothymia sive leviores animi defectiones ac pulsus exiles, tardi, rari. Depravatio verò dupliciter accidit, uno modo quando pulsus quidem manet, sed vel supra naturæ modum augetur, ut si vehementior, velocior, frequentior fiat, vel aliam differentiam à naturali alienam acquirat, qualis est inæqualis, inordinatus, intercurrens, caprizans, &c. Alio modo ubi præter differentiam pulsus, alia motus forma præter naturam concitatur, qualis est palpitatio, aut motus palpitationi aut tremori similis.

Causa symptomatis cordis.

Causa horum symptomatum est frustratio facultatis vitalis & pulsificæ cordis, frustratur autem aut ipsa facultate læsa aut propter externum errorem, facultas autem cordis læditur, quia vel labefactatur in sua substantia ab intemperie, vel impeditur

ditur morbo instrumentali, vel & labefactatur & impeditur à solutione continui.

Nam si structuram cordis respicias nil obstare videtur, quin omni morbi genere laborare queat, verùm quia pleriq; statim initio aut paulò post interimunt, ideo medici paucorum mentionem faciunt. Considerantur primùm intemperies cordis secundum partes ipsius solidas continentes, humores contentos, & spiritus impetum facientes, qui vim vitalem caloremque à corde influentem deferunt. In partibus autem solidis residet calor innatus secundum substantiam, ac facultas pulsifica generatrixque spiritus vitalis calorisque influentis; & pro modo substantiæ caloris illius innati, & qualitate ejusdem operatur functionesvè producit: Substantia autem caloris innati consistit in humido primogenio, quod à suo calore assiduè consumitur & ex alimentario humida assidua refectione indiget; qualitas verò caloris & innati & influentis, moderata actionibusque proportionata esse debet. Quare quæ substantiam caloris præter naturam minuunt, aut qualitatem ejus supra modum intendunt, aut debilitant, facultatem cordis in sua substantia labefactant; ea intemperies efficit. Laborare autem cor poterit intemperie omnis generis simplici, composita, sine vel cum materia humore scilicet aut vapore, καθ' ἕξιν aut κατὰ σχέσιν, ac etiam venenata. Intemperies autem in solidis cordis partibus firmata est καθ' ἕξιν: in humoribus aut spiritibus est tantum κατὰ σχέσιν.

Morbi cordis.

Intemperies cordis

Intemperies autem calida, febris dicitur, quæ calorem nativum in corde accendit, & per arterias in totum corpus distribuit. Nam febris nil aliud est, quam calor nativus in igneum conversus, sive ad tantum excessum deductus, ut functionibus vitæ

Febres.

 officiat.

officiat: accenſo calore nativo in corde ſive in ſuo fonte neceſſario cum ſpiritu vitali per arterias in totum corpus diſtribuitur, niſi impediatur. Accenditur autem calor nativus cordis, vel in ſpiritibus, unde febris diaria, vel humoribus putreſcentibus, unde febris putrida; vel in ſolida cordis ſubſtantia, unde hectica: febris diaria & putrida qualitatem caloris nativi augent, pulſusque veloces frequentes ac etiam magnos efficiunt; ſed ſi calor putridus vehemens ſit & violenter confertimque alteret, partes ſolidas colliquat, & ſubſtantiam caloris nativi & virium brevi tempore diſſipat & diſſolvit; febris verò hectica ſenſim ſubſtantiam caloris & virium conſumit.

Febres Diariæ. Putridæ. Hectica.

Frigida intemperies

Contraria ratio eſt in intemperie frigida. Nam primum qualitatem caloris nativi debilitat, pulſusque exiles, tardos, raros reddit; deinde ſi augeatur, ipſum calorem nativum in ſubſtantia cordis extinguit. Humida cordis intemperies, quæ cum materia ferè ſemper eſt, ut in anaſarca caloris nativi vim obtundit, pulſusque languidos & molles facit; ubi cum materia augetur, veluti ignis à multis viridibus lignis, ita calor nativus obruitur & ſuffocatur. Contra ſiccitas per ſe caloris nativi vim acuit, pulſusque duros, denſosque efficit; ſi intendatur, ſolidam cordis ſubſtantiam invadit, humidumque ejus primogenium conſumit, unde Maraſmus. Nam maraſmus propriè eſt conſumptio viventis corporis à ſiccitate. Subjectum autem maraſmi eſt cor ſecundũ partes ſolidas, ubi tanquam in fonte reſidet calor nativus ſecundum ſubſtantiam, conſumpto verò humido radicali cordis, neceſſe eſt ſubſtantiam cæterarum partium cum ſuo humido conſumi. Conſumitur humidum hoc ſecundum ordinem naturæ, decurſu ætatis; unde ſenectus & Maraſmus naturalis; vel præter ordinem natu-

Humida intemperies.

Maraſm⁹.

naturæ, à morbo; morbus ille eſt ſicca intemperies, aut ſola ex inedia defectu alimenti, immodicis evacuationibus, vigiliis, &c. unde ſimplex maraſmus; aut cum intemperie calida, quæ hectica Marasmodes dicitur: vel cum frigida, oriturque in viris aut juvenibus maraſmus naturali ſenectuti ſimilis, quem Philippus Medicus teſte Galeno ſenectutem ex morbo vocavit. Additur his maraſmus ſyncopoſus, quia ægros ad ſyncopen deducit ortus ex ſiccitate cum magna inæqualitate caloris & frigoris.

Maraſm⁹ ſimplex. Hectica marasmodes. Senect⁹ ex morbo. Maraſm⁹ ſyncopoſus

Oriuntur hæ intemperies cordis ex affectu primario vel ſecundario, & per conſenſum alterius partis, quæ vel ſuam calidam intemperiem per continuam alterationem cordi communicant, unde febres ſymptomaticæ vel transmiſſo humore aut pravo vapore, quod hypochondriacis & hyſtericis accidere conſuevit. Aliquando intemperies venenoſa eſt, orta à qualitate rei venenatæ tota ſubſtantia cordi & calori innato inimica, quæ ſubſtantiam caloris nativi & virium cordis corrumpit, interdum ſine magna pulſus mutatione, ſubitamque virium dejectionem mortemq; inducit.

Intemperies venenoſa.

Deinde cordi ut aliis partibus accidere poterit ſolutio continui, nimirum ulcera & vulnera; licet à vulnere ſuperficiario vix quiſquam diu ſupervivere ſoleat, &, ſi ad ventriculos pervenerit, ſubitam mortem neceſſario inducat.

Solutiones continui.

Morbi inſtrumentales, qui cordi accidere poſſe videntur, ſunt primùm in magnitudine, vel aucta ut tumores in ſubſtantia cordis vel pericardii, vel vaſorũ, vel in diminuta, ut ex maraſmo accidit, deinde vaſorum anguſtia & dilatatio; anguſtia autem vel eſt obſtructio à craſſis humoribus aut vaporibus; vel compreſſio aut conſtipatio à tumoribus

Morbi inſtrumentales.

moribus ipsum cor aut vasa ejus occupantibus, vel subsidentia ex nimia inanitione vasorum; addunt nonnulli vermes, qui in ventriculis in peste interdum gignuntur, item capillos, flatus, succos collectos in pericardio. Hi morbi organici actiones cordis impediunt, & plerumque statim initio calorem nativum planè obruunt, spiritusque intercipiunt, ac subitam mortem inducunt. Læduntur functiones cordis sæpè ab externo errore, vitio objecti, aut eorum, quæ ad objectum pertinent, nimirum quia sufficiens aut competens materia pro generatione spirituum cordi non suppeditatur; aut spiritus geniti evacuantur & dissipantur, aut obruuntur & suffocantur, de quibus infra, ubi de causis syncopes agitur, dicemus.

Læsio cordis ab errore externo.

Hactenus de causis læsionis vitalis facultatis in genere, sequuntur causæ symptomatum cordis in specie. De pulsuum differentiis & causis in doctrina signorũ dicetur. Deinde accidunt cordi motus inordinati, quos omnes sub nomine palpitationis Græci complexi sunt. Ex recentioribus nonnulli palpitationem à cordis tremore distinguunt, & utrumque cordi tribuunt; palpitationem autem quãdo instar utrium à spiritu flatulento exitum quærente, ac proinde influente & refluente cor dilatatur & deprimitur: tremorem verò motum sursum & deorsum assiduum, quia facultas movens debilitatur aut gravatur: Alii hos motus inordinatos pulsativos esse putant palpitationi tremorique tantum similes; palpitationi autem similes, quando motus inæquales sunt, nunc majores nunc minores, & quasi cum saltu; tremori verò ubi minores crebrioresque qualis motus est cardiogmos, teste *Galeno Com.4. aphor.25.* De causa quoque dissentiunt medici: verùm cum tremor motus voluntarius sit, cordi propriè non competit. Deinde si præter pulsum

Palpitatio cordis.

pulsum in corde palpitatio eodem tempore sentiatur, ut Vidus & Donatus arbitrantur, & motus palpitationis arteriis non communicetur, nō erit cordis palpitatio, idem quod depravata pulsatio. Præterea si tanta palpitationis vis interdum sit, ut costas effringere & mammam è sua sede depellere queat, necesse erit cor non solum dilatari & contrahi, sed etiam à suo loco violenter elevari & deprimi; quod in legitima palpitatione non accidit. Quare palpitatio cordis unica non videtur, nec ab una immediata causa, sed duplex, quarum una legitima, altera illegitima dici poterit. Legitima autem est motus cordis inordinatus ex dilatatione & subsidentia compositus, ortus à vapore crasso flatulento, copioso influxu cor dilatante, deinde irritante, ut contractione sua vicissim depellat & discutiat. Nam cum palpitatio celeriter fiat & desinat, causa proxima ejus non erit solida substantia, aut humor, sed vapor flatulentus, qui celeriter in abditos cordis sinus ingredi rursumque egredi aut repelli queat; deinde crassus nebulosus & copiosus, qui non facilè discutitur, genitus à debili calore ex materia crassa, viscida, frigidaq; aliquādo sicca circa cor aut pericardiū, plerumq; per arterias aut venas aliundè transmissus, nimirum à ventriculo, liene, utero, &c. quare hypochondriaci & mulieres hystericæ palpitationibus cordis plerumque infestantur. In hac palpitatione dilatatio cordis fit, quia utrium modo à spiritu flatulento repletur, verùm contractio oritur non propriè, quia evacuatur, sed potius quia à facultate expultrice irritata cor contrahitur, ut quod noxium est, depellatur, quo nomine differt palpitatio cordis ab aliarum partium palpitatione. Illegitima verò palpitatio est motus cordis inordinatus palpitationi similis à pulsu magnitudine tantum differens, & propriè motus pulsatorius depra-

Legitima palpitatio

Illegitima palpitatio

depravatus ortus à facultate cor dilatante & constringente incitata ex usu immodice aucto. Nam causa hujus motus est facultas cordis pulsifica irritata, ut sese violenter contrahat & dilatet: ac proinde cor non dilatatur, quia impletur, sed contra impletur, quia dilatatur follium instar, qui dilatati aërem attrahunt, compressi eundem vicissim expellunt.

Causa incitans facultatem triplex esse poterit, Primùm, defectus spirituum, quem cor inæquali & frequenti pulsatione resarcire conatur; qualis defectus oritur ex immodicis evacuationibus, dolore ingenti orificii ventriculi, inedia, aliisque supra enumeratis: secundò calor vehemens inæqualiter auctus in corde, ut in febribus acutis & malignis, unde motus crebri, veloces, qui καρδιωγμὸς à Galeno dicitur; tertiò ab aliena substantia cor exstimulante, ut violenta dilatatione & contractione eam extrudat & depellat. Nam cor ut causam hanc expellat, modo dilatatur, modò contrahitur, magnaque inæqualitate movetur, ac vehementer sursum deorsumque salit. Substantia autem aliena stimulat vel qualitate, vel copia vel utroque, & quò magis stimulat, eò violentius movetur. Substantia verò illa primùm est pravus vapor, aut sanguis maligna qualitate affectus, potissimùm atra bilis: deinde sanguis magna vi cum spiritu in cor irruens ex vehementi timore: tertiò aër pestilens, venena assumpta, aut venenati humores; item vermes cor mordentes. Præterea tuberculum in arteriis pulmonis propè cor exortum, quod Antipatro Medico contigisse tradit *Galen. 4. de locis*; unde post pulsum inæqualem in palpitationem & asthma incidit, ex quo subitò interiit. Insuper tuberculum pericardii, aut pustulæ quæ hydatides

vocan-

vocantur, lapilli ac magna ſeroſi humoris aut flatus copia collectus in pericardio, &c. Palpitatio, ſi vires debiles ſint, & ſpiritus confertim evacuentur, in ſyncopen tranſire ſolet.

Symptoma abolitæ aut valdè diminutæ functionis vitalis eſt συγκοπὴ; ſicut debilis eſt λειποθυμία, λειποψυχία & ἔκλυσις, quæ tria pro eodem plerumque ſumuntur, licet nonnulli levem animi defectionem ἔκλυσιν; graviorem ubi pulſus admodum parvi, rari, & tardi redduntur, λειποθυμίαν & λειποψυχίαν vocent; graviſſimam ubi pulſus ad ultimam debilitatem perducitur, & exoluto calore ſudor frigidus erumpit, ſyncopen. Omnium horum ſymptomatum eadem cauſa eſſe poterit, ſed major ſemper in ſyncope, minor in lipothymia. *De ſyncope.*

Συγκοπὴ à συγκόπτω, id eſt concido, nomen habet, quod omnes corporis vires repentè concidant. Nam propriè eſt præceps virium lapſus; facultate vitali propter magnam ſpirituum vitalium diminutionem ita debilitata, ut nil influat à corde, ſed quicquid ſpiritus caloriſque adhuc in corpore ſupereſt, in cor repente contrahatur & confluat. Dico præcipitem virium lapſum ad differentiam illorum affectuum, qui ſenſim vires eousque debilitant, donec mors ſubſequatur. Pars affecta eſt cor. Nam non fit ſyncope, nec ullum animi deliquium, niſi cor & facultas vitalis lædatur; debilitata autem vel abolita functione vitali cæteras omnes corporis vires debilitari, vel perire neceſſe eſt. Igitur in ſyncope omnes vires corporis ad ſenſum pereunt; ſed primariò facultatis vitalis, deinde propter vitalem vires naturales & animales. *Definitio.* *Pars affecta.*

Conſi-

Causa. Consistit essentia virium, quibus corpus regitur in spiritibus & temperamento solidarum partium, & tamdiu vires integræ manent, quamdiu substantia spirituum unà cum solidis partibus, tum in qualitate, tum in quantitate naturaliter se habent. Quare ubi vires concidunt, aut spiritus, aut solidarum substantia, aut utrumque præter naturam afficitur. Vitia autem spirituum sunt defectus, sive imminutio. Cor verò omni ferè genere morborum laborare poterit, ut supra dictum est, verùm cum syncope sit præceps virium lapsus, causa ejus immediata propriè non erit vitium cordis, sed spirituum vitalium, licet in syncope & animi deliquio cordis substantia omni ametria non careat: Nam morbi cordis per se mortem inducere solent, sed non syncopen nec ulla animi deliquia, nisi quatenus spiritus vitales imminuunt. Defectus autem spirituum vitalium causa immediata syncopes, non est planè totalis omnium spirituum (nam talis subitam mortem inducit) nec exiguus levisque sed tantus, ut ne vires cordis exolvantur reliquum spirit⁹ cum calore concentrari cogatur, & in cor confluere; quò verò defectus major est, eò exiguus spiritus, qui adhuc superest, in cor magis aggregatur & contrahitur, adeò ut in gravi syncope extra cor nullus spiritus & calor reperiatur, quarè pulsus & respiratio ita debilis efficitur, ut non percipiatur; membra quasi mortua videntur, & quia nativo calore solidæ partes destituuntur, qui eas regit & continet, ideo humidum suum retinere non valent; sed foras effluere sinunt, undè circa frontem & cervicem potissimùm ex propria solidarum humiditate sive dissolutione solidæ substantiæ sudor frigus erumpit, qui diaphoreticus & syncopticus ob id dicitur.

Causa sudoris syncoptici.

Causa defect⁹ spirit⁹ vitalis. Causa defectus spirituum vitalium est quia sufficienti copia non regenerantur; aut geniti foras

evacu-

evacuantur & diſſipantur; vel intra corpus alterantur & corrumpuntur; vel obruuntur & ſuffocantur: & primum non regenerantur vitio facultatis generatricis ſpirituum, aut materiæ ſcilicet aëris & ſanguinis ex quibus generantur: facultas generatrix læditur affectu proprio cordis aut per conſenſum. Morbi autem cordis ſunt primùm magna intemperies ſine vel cum materia naturalem intemperiem cordis labefactans, aut ſubſtantiam partium & caloris nativi depaſcens & conſumens, aut obruens, ut febres acutæ & malignæ aut colliquantes, hecticæ maraſmodes, febres peſtilentes ac ſyncopales,&c. his accedunt morbi cordis inſtrumentales & continui ſolutiones, quæ ſubitò enecare ſolent. Per conſenſum plurium partium cor afficitur virtusque vitalis debilitatur primùm orificii ventriculi ob magnam cum corde communitatem exquiſitumque ſenſum, unde ſyncope ſtomachica ſive cardiaca. Deinde uteri & vaſorum ſpermaticorum à tetris vaporibus in cor exhalantibus, ex corruptione ſanguinis menſtrui aut ſeminis; unde non ſolum præfocatio uteri & ſyncope, ſed etiam apnœa; aliquando per conſenſum ſepti transverſi, cerebri, pulmonum, jecoris,&c. Vitia materiæ, ex qua generantur ſpiritus, ſunt defectus aut aliena qualitas: defectus autem ſanguinis oritur ex atrophia, longis morbis, inedia, magnis evacuationibus,&c. aliena qualitas eſt magna cruditas & ſanguinis corruptio, ut in febribus ſyncopalibus. Deficit verò aër, quia læſa reſpiratione aut transſpiratione juſta quantitate non attrahitur: alienam qualitatem contrahit, quando corrumpitur, peſtilens redditur, tetro aut vitioſo vapore inquinatur, &c. Deinde ſpiritus confertim foras evacuant & diſſipant, primùm immodicæ evacuationes, vel ſenſiles, ut fluxus ſanguinis, vomitus, alvi dejectiones, ſudo-

res immoderati, tumores aut abſceſſus magni, ſubita eruptio, vel introrſum, ut in Empyemate, vel extrorſum, ut in hydropicis: vel inſenſiles per habitum corporis ob nimiam raritatem ſubſtantiæ corporis & cutis, ſuccorum in venis tenuitatem & acrimoniam, immodicos labores, magnum calorem aëris ambientis, ſub cane aut in balneis & hypocauſtis: Diſſipant quoque & foras ſpiritus evacuant profuſum gaudium, vigiliæ immodicæ, vehementes exiccationes, addunt nonnuli dolores ingentes, quia à corde in partem affectam ſpiritum violenter attrahunt. Tertiò in corpore alterant & corrumpunt ſpiritus, gravis intemperies cordis & præcipuorum vaſorum (nam una cauſa pluribus modis ſpiritus imminuere poterit) qualitas venenata ex aëre peſtilente, ex venenis aſſumptis, & admotis, aut humoribus venenatis intra corpus genitis ex corruptione & putredine. Tandem intra corpus, ſpiritus ſuffocant & obruunt, gravis timor & animi conſternatio, ac ingens mæror, ſed non ita confertim ut timor. Deinde vehementes dolores partium nervoſarum potiſſimum orificii ventriculi ob exquiſitum ſenſum, unde ſyncope cardiaca. Nam ut de rigore dictum eſt, dolor ingens cor in conſenſum trahens, timori correſpondet; & ſpiritum cum calore ad interiora refugere cogit: deinde ſpiritus, quia ad partem dolentem magnâ copiâ confluunt, ſuffocantur potiùs, quàm foras evacuantur. Præterea obruunt ſpiritus, interceptiones venarum & arteriarum à magna plenitudine: Obſtructiones magnorum vaſorum à craſſis & crudis humoribus, ut in febri ſyncopali humoroſa, ac in initiis acceſſionũ conſtipatio magna pororum, cutis, &c. Ab his cauſis ſpiritus vitales minuuntur; verùm ſuam vim in eos facilius imprimunt, qui ad talem diſſolutionem ſunt propenſi, e-

jusmodi sunt pusillanimes & debiles à natura aut morbo, ut fœminæ potiùs, quàm mares, pueri & senes, quàm viri, qui raræ texturæ sunt potiùs, quàm qui densum compactumq; corpus obtinent.

DE CAUSIS SYMPTOMATUM PRIMÆ CONCOCTIONIS: SEU MORBIS ET SYMptomatis ventriculi & intestinorum.

Caput XI.

NAturales actiones nobis cum brutis & stirpibus communes principales tres sunt: duæ quibus individuum conservatur & perficitur, Nutritio & Auctio: tertia, quâ species ab interitu vindicatur, Generatio. Ministrantes functiones, quæ principasibus subserviunt, sunt 4. Attractio, Retentio, Alteratio, Expulsio, quibus nonnulli addunt Appetitionem & usum Veneris. Generatio certis determinatis instrumentis, nimirùm spermaticis perficitur: Nutritio, auctioque omnibus membris communis est ex alimento in substantiã partium converso. Quatuor ministrantium functionum, quæ in elaborando alimento subserviunt, triplex est series & concoctionum sibi mutuò succedentium tres gradus sunt, 1. in ventriculo, 2. in jecore, 3. in singulis particulis, ut alibi dictum est. Inest omnibus singulisque partibus corporis desiderium convenientis, & alieni odium. Quod autem desiderant, vi naturali attrahunt: quod aversantur, à se expellunt, nisi impediantur. Peculiariter verò ventriculo vasisq; spermaticis, præter naturalem appetitũ

animalis appetitus inest. Attrahit pars id, quod conveniens est, ut eo fruatur. At frui nequit, nisi priùs retineat, deinde concoquat & aliena expellat. Hæ omnes functiones calore perficiuntur, maximè verò concoctio nutritioque; à frigore verò omnes læduntur. Differunt tamen inter se, quod, exceptâ concoctrice, cæteræ, quæ agibiles à Galeno dicuntur, cum loci mutatione fiant, & robur requirant, ac instrumentum magis siccum. Nam mediantibus fibris potissimum agunt. Concoctio verò & Nutritio quiete perficiuntur & humiditate indigent. Proinde in pueris humida constitutione præditis, melior concoctio nutritioque est, quàm in juvenibus; Sed cæteræ functiones imbecilliores, præcipuè Retentio. Senum corpora ad omnes actiones naturales malè disposita sunt.

Causæ communes symptom. Naturalium facultatum.

Hæ actiones quatuor naturales omnes & singulæ tripliciter læduntur, ut alibi dictum est. Causa communis læsionis, est facultatis frustratio. Frustratur autem facultas, vel ipsâ facultate læsâ vitio partis, vel ab externo errore. Læditur facultas, aut quia in sua substantia labefactatur per intemperiem, aut quia impeditur per morbum Organicum, aut quia partim impeditur, partim labefactatur per morbum communem. Error externus accidit ratione objecti & eorum, quæ ad objectum spectant, & triplex est: unus in alimentis, alius in excrementis, tertius in vitæ ratione. Sub errore in alimentis, continentur immodica quantitas, aliena qualitas, additur in prima concoctione intempestiva assumtio & ordo præposterus. His præmissis, de causis symptomatum functionum naturalium in specie nunc dicemus, initio facto à ventriculo, cujus præcipua functio est alimenti prima concoctio, quæ chylificatio dicitur, in quem finem reliquæ omnes ipsius functiones referuntur. Nam non alia causa

ventriculus cibum appetit, & ab ore præparatum per gulam attrahit, & attractum amplexatur & continet, quàm ut probè conficiat, sive pro sanguine gignendo concoquat; eodem quoque fine peracta concoctione supervacanea per inferius orificium ad intestina propellit. Læduntur singulæ harum quinque functionum tribus modis.

Causæ symptomatum ventriculi. Causæ læsionis sunt morbi ventriculi & error externus, ut dictum est. Ventriculus sicut & gula, quæ ventriculo servit, omni morborum genere laborare poterit, quorum primum est intemperies, *Intemperies.* eaque simplex vel composita sine vel cum materia, humore scilicet aut vapore. Simplex autem rarior est, & sola non diu durare solet. Singulæ intemperies non alias causas habent, quàm quæ supra capite de causis morborum propositæ sunt. Si intem- *Signa.* peries calida sit, aderit sitis inexplebilis cum sensu caloris, appetentia frigidorum, & levamen à frigidis ructus nidorosus ex calidis cibis assumptis, &c. In frigida intemperie contraria sunt, ut nulla sitis major appetentia, sed concoctio tarda, ructus acidus ex cibis frigidis, &c. Si intemperies humida sit nulla sitis, nec insignis fames, levamen à siccis, multa expuitio & saliva, &c. Si sicca his contraria. Deinde quando intemperies est cum humore sentitur in ventriculo gravitas, anxietas, nausea: si cum flatu eructationes, fluctuationes, motus errabundi sine gravitate; humor autem si acris sit, aderunt fastidium ciborum; dolor erodens major anxietas, vomitus biliosi, &c. sin frigidus velut pituita, dolor gravans cum sensu frigoris, vomitus multaque expuitio pituitosa, &c.

Morbi compositionis ventriculi. Secundò morbi compositionis ventriculi sunt potissimum angustia & tumores præter naturam, quibus addit Avicenna parvitatem ventriculi. Angustia autē est ut plurimū orificii inferioris, trans-

itũ chyli impediens; unde vomitus; aliquando superioris orificii, ac etiam gulæ deglutitionem & attractionem ciborum intercipiens; ea vel est constipatio à tumore in tunicis ventriculi, vel compressio à tumore partium incumbentium, vel obstructio à crassis viscidis humoribus tenaciter tunicis adhærentibus. Tumores verò ventriculi sunt ex sanguine simplici bilioso pituitoso aut melancholico substantiæ ventriculi impacto, ac proinde omni genere tumoris laborare poterit, imprimis phlegmone exquisita vel notha, unde febris acuta, sitis dolor ingens cum tensione & gravitate; vomitus & dejectio frequens nisi pylorus inflammetur; nam tum nihil dejicitur, sed omnia sursum regurgitant.

Solutiones continui.

Tandem accedit ventriculo solutio continui, ut vulnus, quod incurabile ferè est, deinde ulcus ab abscessu disrupto aut acri humore vel medicamento caustico erodente, unde frequens vomitio & dejectio alvi purulenta, febris lenta, consumptio corporis, &c. Afficitur quoque ventriculus ex consensu aliarum partium, ut infra dicetur.

Nunc causas symptomatum ventriculi ordine considerabimus, initio facto à vitiis appetitus. Præter appetitũ naturalem omnibus partibus communem, quo sibi conveniens attrahunt, ventriculo inest animalis quidam appetitus, qui concitatur ex tristi sensu defect⁹ alimenti, dum venæ propter inanitionem corporis ex ventriculo sugunt. Quare appetitus iste animalis nil aliud est, quam desiderium repletionis ex tristi sensu in orificio ventriculi, dum venæ à ventriculo vacuo sugunt. Nam in animali appetentia ventriculi, hæc quinque sese ordine consequuntur, 1. partium solidarum inanitio, 2. partium inanitarum naturalis appetitus, 3. suctio

De Appetẽtia ventriculi. Definitio appetentia ventriculi.

per

per venas à ventriculo, 4. suctionis sensus, ex defectu alimenti, 5. animalis appetitus desiderium, illius alimenti. Hujus appetitus ac etiam sensus suctionis sedes est superius orificium ventriculi, quod exquisitissimo sensu præditum est. Nam in hoc orificio viget appetitus sicut in inferiori ventriculi parte concoctio. Nutrimur ex iis, unde constamus; constamus autem ex mixtione sicci & humidi per actionem calidi & frigidi; proinde alimenti duæ partes sunt substantia sicca & humida, sive cibus & potus, & duplex appetitus, unus substantiæ siccæ, famis; alius substantiæ humidæ, sitis. Quia verò defectu sicci alimenti corpus refrigeratur, sive calor obtunditur; defectu humidi acrior redditur (nam qui sicciori sunt corporis habitu calorem acriorem habent) ideo in fame est appetentia sicci & calidi; in siti appetentia humidi & frigidi.

Quid fames & sitis?

Utraque appetentia si naturæ modum servaverit legitima, sin à naturæ modo recedat, morbosa & non naturalis vocatur. Recedit à naturæ modo si aboleatur, diminuatur, aut depravetur, Abolita cibi & potus appetentia uno nomine ἀνορεξία vocatur, abolita cibi appetentia aliquando sola famis absentia est, interdum cibi abominatio, & fastidium ita ut oblatos cibos sine molestia ægri aspicere nequeant, quos Hipp. ἀποσίτους & ἀσίτους, teste Galeno, appellat. Diminuta fames est quando minus aut tardius cibus appetitur, quàm naturæ ratio exigit. Depravata ciborum appetentia duobus modis fit, uno quando intenditur, sive in quantitate modum superat, quæ inexpleta fames dicitur, sub qua continetur βούλιμος & canina appetentia propriè dicta. Alio

Symptomata appetitus cibi.

quando in qualitate peccat, sive ægri ea appetunt, quæ præter naturã & rationem alimenti sunt, ut carbones, calcem, &c. hæc appetentia κίττα sive pica & μαλακία nuncupatur. Ad cibi proportionem potus quoque appetitus læditur, nimirum aufertur, diminuitur & depravatur, & tum vel intenditur & sitis immodica oritur; vel ægri liquores alienæ qualitatis & naturæ desiderant ut urinam, &c. quæ affectio sub pica continetur, de singulis ordine dicemus.

Symptomata appetentia potus.

ἀνορεξία ciborum. Causa.

Ac primùm cibi ἀνορεξία est abolita appetentia alimenti sicci, calidi, ex defectu sensus suctionis in orificio ventriculi. Deficit autem sensus suctionis, vel quia vis sentiendi in ventriculo perit, vel suctus per venas non fit: suctus autem non fit, quia ventriculus non corrugatur; aut vis attractrix venarum labefactatur; aut substantia corporis non evacuatur. Perit autem vis sentiendi in ventriculo, vel ex proprio affectu, nimirum gravi morbo, qualis est vehemens intemperies cum materia, inflammatio, &c. vel per consensum, vitio vel cerebri, à quo influit spiritus animalis propter morbos, qui spirituum generationem & distributionem impediunt, ut apoplexiam, &c. vel avertunt, ut sunt affectus, in quibus mens laborat; vel vitio nervorum, sexti paris per, quos vis sensus orificio ventriculi communicatur, ex obstructione, compressione & similibus. Suctus verò per venas non fit primùm, quia ventriculus non corrugatur, ob gravem intemperiem mordentem, aut relaxantem ventriculum, aut materiam fundentem, item propter redundantiam multorum crassorum crudorumq; humorum in ventriculo. Deinde læsa attractrice venarum ab intemperie, vel ob interceptionem viarum ab obstructione, &c. aliquando vitio objecti, quia nulla adest

adeſt indigentia ſive penuria ex redundãtia alimenti in jecore, majoribus venis totoq́ue corpore. Tertiò quia ſubſtantia corporis non evacuatur, vel ob conſtipationem pororum, cutisq́ue denſitatem vel caloris nativi debilitatem, ex viſcerum immodica frigiditate, deſidia, &c. Ab his iisdem cauſis ſed debilioribus oritur diminuta appetentia, nimirum tribus illis actionibus nondum deperditis, ſed propè ut pereant perductis.

Inexpleta fames eiusq́; cauſa.

Inexpleta fames, eſt immodica ciborum appetentia, excitata à vehementi ſenſu ſuctionis in ore ventriculi; vehemens autem ille ſenſus ſuctionis oritur, quia ſenſus augetur ex proprio affectu corrugante os ventriculi; vel immodica ſuctio per venas fit, ob magnam venarum inanitionem, aut plurimam ſubſtantiæ corporis evacuationem. Incitatur & augetur ſuctionis ſenſus in ventriculo ab iis, quæ præter naturam os ventriculi conſtringunt & corrugant & ſimilitudine famis naturalis contrahendo & vellicando appetentiam excitant; cujus generis eſt intemperies frigida ſicca, aliquando ſine materia, qualis, teſte Aëtio, nonnullis accidit, qui per nives iter fecerunt; ſæpè cum materia acida, ut melancholia aut pituita acida orificio ventriculi impacta. Deinde ſuctio immodica per venas oritur, quia plurimum evacuantur, ob retentricis imbecillitatem & expultricis motum depravatum. Evacuatio autem illa vel ſenſibilis eſt, ut immodicus fluxus ſanguinis, alvi, urinæ, ſudoris, &c. vel inſenſibilis per habitum corporis ab immodico calore ſubſtantiam partium & humorum diſſolvente & diſſipante, propter ſuccorum tenuitatem, ſubſtantiæ corporis raritatem, & pororum laxitatem. Huc referri poterit fames à vermibus chylum depaſcentibus. Hæ omnes ſpecies ſub fame canina aut bulimia communiter dicta continentur. Verùm pro-

Canina appetẽtia. priè appetentia canina eſt vehemens & aſſidua ciborum appetentia cum vomitu orta ab intemperie frigida cum materia acida os ventriculi corrugante; *βέλιμος* βέλιμ☉ verò eſt fames magna, ſed non diuturna orta ab intemperie frigida, in qua ægri initio avidè cibos expetunt & non vomunt, deinde aucta intemperie ſenſim appetitus dejicitur, omnesque vires. Trallianus ſtatuit bulimum fieri ab immodico oris ventriculi calore & imbecillitate, unde niſi ægri immodicè alimentum aſſumant, animo deficiunt & concidunt, ſed an hæc affectio ullam inexpletam famem excitare, imò an ægri valdè copioſum alimentum ferre queant, dubitatur? Accidit quidem ex vitioſo humore in ventriculo debili tempore inediæ, morſus orificii ventriculi, qui niſi alimentis reficientibus ſtatim contemperetur, ægri animo deficiunt, ſed hoc ſymptoma propriè nec βέλιμ☉ nec canina appetentia eſt.

μαλακία & κίτlα. Μαλακία ſive κίτlα Latinis pica eſt, appetentia vitioſa alienæ ſubſtantiæ ſolidæ vel liquidæ præter naturam & rationem alimenti, orta ex triſti ſenſu ſuctionis ex vitioſo excremento tunicis imbibito peculiari ſubſtantiæ proprietate os ventriculi infeſtante. In hoc malo laborat ventriculus ſemper affectu proprio ex humore pravo tunicis ventriculi impacto, qui pro natura ſpeciei & qualitatis à tota ſubſtantia per corruptionem genitæ os ventriculi infeſtat, ac ob id,dum alterat contrariarum rerum cupiditatem excitat, quas naturali inſtinctu omnes partes appetunt, ut per eas affectus præter naturam tollatur. Nam ut in ſiti, ita in pica quamdiu ventriculus præter naturam alteratur, tamdiu id deſiderat, quod hoſti maximè contrarium eſt,ſibique ad id utile, fugiens id quod inimicum

micum est, verùm si succus post alterationem longa consuetudine ventriculo familiaris efficiatur, tum non contraria, sed similia appetuntur. Hic succus vitiosus si fuerit frigidus oritur alieni cibi appetitus, si calidus alienæ potionis: Affectio ista gravidis sæpè accidit tribus primis mensibus; & viris, qui elephantiasi, aut simili affectu laborant.

Inappetentia potus oritur ex defectu sensus suctionis humidi alimenti in ventriculo. Deficit autem sensus suctionis vel quia vis sentiendi in ventriculo perit, ut supra de inappetentia cibi; vel quia suctio humidi alimenti per venas non fit ob magnam succorum humidorum in venis totoque corpore copiam, aut quia ventriculus frigidus multa pituita dulci perfunditur, &c. *Symptomata appetentiæ potus. Causæ inappetentiæ potus.*

Tandem sitis inexplebilis est immodica potionis sive alimenti humidi frigidi cupiditas, orta à tristi sensu suctionis in ore ventriculi ex defectu & alteratione propriæ humiditatis. Pars affecta, ubi sensus suctionis perficitur, est orificium ventriculi. Causa immediatè tristis sensus est subita alteratio & consumptio propriæ humiditatis imprimis alimentariæ. Alteratur autem consumiturque vel in ipso ventriculo ex affectu proprio, vel in aliis partibus, quæ ob indigentiam statim à venis humiditates attrahunt, & venæ vicissim à ventriculo; unde per consensum ex vehementi suctione alimentarii humidi tristis sensatio in orificio ventriculi excitatur, simulque appetentia humidi, quæ sitis dicitur. Affectus humiditatem alterans & exhauriens, est intemperies inæqualis propriè (Nam absolutè æqualis tristem sensum non parit) quæ vel sicca est vel calida vel utraque interdum sine, interdũ cum materia, nimirũ calido, acri, salso humore, aut vapore. Nam oritur sitis primum inopia aliqua propriæ humiditatis ventriculi à sicca intemperie, *Sitis inexplebilis quid? Causæ.*

Dein-

Deinde ex effervescentia ipsius humiditatis ab intemperie vel calida, vel calida sicca, contracta ex calidis acribus, salsisque alimentis, condimentis & medicamentis, &c. sæpè cum humore calido acri, vel salso aut putrido tunicis ventriculi impacto, aut in cavitate ventriculi contento, vel cum vapore acri calidoque ex putridis corruptisque humoribus genitis in ventriculo, vel aliundè transmissis. Præterea oritur sitis ex consensu aliarum partium, aut etiam totius corporis, alterato aut exhausto eorum naturali humido, dum venæ à ventriculo sugunt, nimirum ex intemperie calida sicca cordis; jecoris; totius corporis, ut in febribus ardentibus & colliquantibus, &c. renum, in diabete; intestinorum, in magnis alvi fluxionibus; non rarò pulmonum partiumque oris ex aëre calido attracto aut acribus fuliginosis vaporibus à corde susceptis. His accedunt exercitia & labores immodici, æstus aëris, &c. quæ humiditates corporis alterant & exhauriunt.

Symptomata deglutitionis & attractionis ciborum.

Post appetentiam sequitur ciborum & in ore præparatorum deglutitio & per gulam ad fundum ventriculi attractio. Deglutitio ciborum, actio gulæ est adjutæ motu linguæ, & musculi qui initio gulæ præest, gula autem & ventriculus mediantibus fibris rectis interioris tunicæ cibos ab ore attrahit, & fibris transversis deorsum naturaliter detrudit. Abutitur quoq; natura fibris trãsversis in vomitu ad ea sursum propellenda, quæ os superius ventriculi infestant. Læditur autem deglutitio & attractio ciborum ad fundum ventriculi, si aboleatur debiliter aut depravato modo gula aut ventriculus attrahat. Abolita deglutitio oritur vel labefacta facultate, propter resolutionem fibrarum rectarum & transversarum ab intemperie præcipuè frigida humida, cum materia pituitosa à capite defluente, aliquando extinctione caloris nativi, ut in iis, qui

morti

morti vicini ſunt; vel impedita facultate propter anguſtiam gulæ, ut conſtipationem aut compreſſionem à tumore, &c. aut propter ulcus. Deinde læſo muſculo, qui initio gulæ præeſt, motuque linguæ, ex reſolutione aut convulſione aut inflammatione gulæ viciņarumque partium, ut in Angina dictum eſt. Quando inflammatio infeſtat cum anguſtia vorandi, adeſt dolor diſtendens, calor, ſitis, &c. Si ulcus, in affecta parte dolor ſentitur potiſſium aſſumpto acido, acri, ſalſo cibo: affecta pars ſi gula, dolor in dorſo ſentitur; ſi cauſa ſit intemperies, difficultas deglutitionis ſenſim augetur ſine dolore & tumore, aut anguſtia gulæ, &c. Debilis deglutitio & attractio ciborum ab iiſdem cauſis fit, ſed levioribus, ac etiam vitio objecti, quando cibus ingratus, viſcidus, aſper, durus, ſiccus, &c. De depravata attractione, in vomitu dicemus.

Cauſa ſymptomatum retentricis ventriculi.

Ventriculus concoquere nequit, niſi ita complectatur ut inter ventriculum & cibos ſpatium nullum intercedat, juſtoque tempore retineat. Hæc actio perficitur fibris obliquis tunicæ interioris verſus inferius orificium. Læditur autem tripliciter, ſi omninò non complectatur, vel debiliter, vel depravatè. Abolitam retentionem fluctuationes cum ſonitu; debilem flatus magis conſequuntur. Fluctuationes autem, quas Græci κλύδωνας vocant, ſunt inordinatus motus ventriculi, inſtar fluctuum in mari, quibus cibum, quem retinere nequit, à ſe propellit: Oriuntur tales motus cum ſonitu, quia ventriculus vehementer refrigeratus eſt, aut immodicâ potius copiâ ita oppreſſus, ut nullum vaporem aut flatum excitare queat. Flatus verò fiunt, quando ventriculus nec vehementer frigidus, nec ſatis calidus, aut cibi ſuâ naturâ flatulenti, ut infra latiùs dicemus. Oritur autem abolita comprehenſio ab

Fluctuationes ventriculi.

extre-

Abolitæ retentionis causa. extrema imbecillitate retentricis, fibris obliquis planè resolutis, ex intemperie potissimùm frigida humida, cum materia pituitosa, aut copioso potu fluctuante in ventriculo, vel quia impeditur à tumore, ut inflammatione; aut immodica pylori apertione ex relaxatione tunicarum, ut cibi statim effluant, aut ulcere &c. accidit etiam ab errore, vitio cibi. Nam ob duritiem aliamvè pravam qualitatem cibos non complectitur. Diminuta aut debilis retentio ab iis causis, sed minoribus fit. *Depravata retentio.* Depravata comprehensio oritur, quando ventriculus in amplectendo cibo, quasi tremit ob imbecillitatem à frigore plerumque cum materia: vel palpitat ex flatibus contentis; vel concutitur ut in rigore; vel quasi convellitur ut in singultu. Abolitam ciborum retentionem in ventriculo consequitur cruditas & lienteria, debilem coliaca affectio, &c. de quibus in fluxionibus alvi dicemus.

Symptomata concoctionis. Retinet ventriculus alimentum, ut eo fruatur & concoquat, ac in qualitatem sibi similem convertat pro bono sanguine gignendo, quæ actio chylificatio dicitur. Læditur hæc ut cæteræ functiones tripliciter. *Cruditas.* Communiter omnis concoctio ventriculi vitiata cruditas vocatur, quæ triplex est; una ἀπεψία, & propriè cruditas, quando cibi nihil omninò transmutatur à ventriculo: altera βραδυπεψία concoctionis imminutio & tarditas: tertia δυσπεψία prava concoctio aut corruptio ciborum. *Ἀπεψία.* Ἀπεψία autem est abolita alimentorum concoctio in ventriculo eveniens ex frustratione facultatis alteratricis ejusdem: frustratur autem vel per se, vel ex accidente læsa retentrice, aut expultrice ventriculi: *Causæ abolitæ concoctionis.* per se labefactata aut impedita alteratrice facultate, aut ab externo errore. Ac primùm labefactatur vis alteratrix aut concoctrix ventriculi ab

ab insigni intemperie activarum qualitatum, quæ breviori tempore fieri solet, maximè verò ex intemperie frigida, aliquando ob intemperiem passivarum: Verùm intemperies humida, ut in Anasarca, aut sicca, ut in marasmo & senectute, non nisi longiori tempore concoctionem labefactant. Intemperies illa frigida vel positiva est ab alimentis, medicamentis aut humoribus refrigerantibus, vel privativa ex defectu substantiæ caloris nativi à magnis evacuationibus, longo morbo, gracilitate omenti & musculorũ abdominis; quæ cum intemperie sicca semper conjuncta est. Intemperies istæ aliquando nudæ sunt, plerumq́, cum humore vel vapore vitioso. Deinde impeditur vis cõcoctrix à morbo instrumẽtali, vel cõmuni ut sunt tumores omnis generis, inflationes, abscessus, parvitas ventriculi, ulcera, &c. Tertiò, frustratur concoctio debilitata aut abolita vi retentrice ventriculi, ut cibos non complectatur, aut nõ justo tempore, ut supra dictũ est, vel irritata expultrice ante debitũ temp⁹ à causa mordente vel gravante. Tandem ab errore externo frustratur concoctio, qui tripliciter consideratur, vel in excrementis in ventriculo coacervatis, vel in ipsis alimẽtis assumptis, vel in somni tempore cæterisq; causis non naturalib⁹. Nam humores excremẽtitii maxima copia in ventriculo coacervati cõcoctionẽ prorsus tollunt; minori copia aut debilitant aut depravant. Secundò lædit concoctionẽ cibi potusq; major quantitas, quã natura regere & superare queat, deinde nõ competens qualitas, quæ vel manifesta est, ut nimia frigiditas, crassities, viscidita s, &c. vel occulta, maligna, venenata alimẽtis à natura insita, aut ex putrefactione genita, tertiò intempestiv⁹ alimẽtorũ usus, quãdo novus cib⁹ ingeritur priore nondũ cõfecto, quartò ordo incõgru⁹, quãdo primò præmittuntur, quæ difficilis concoctionis, deinde quæ facilè alterantur & putrescunt, &c.

Tan-

Tandem error in somno, quando sufficienter comedunt, sed parùm dormiunt in causa est, ut concoctio lædatur; similiter intempestiva exercitia, venus, balnea, animi perturbationes, &c. Nam concoctiones in somno magis vigent & quiete indigent. Hæ eædem causæ si leviores fuerint pro ἀπεψία βραδυπεψίαν efficiunt, id est, tardam debilemque concoctionem, ubi cibus convenientem mutationem non suscipit vel longo tempore, &c.

Βραδυπεψία.

Δυσπεψία.

Δυσπεψία est corruptio ciborum in qualitatem alienam, eveniens ex frustratione facultatis concoctricis ventriculi. Aliena illa qualitas est fumosa, & nidorosa, vel acida, unde ructus nidorosus, vel acidus. *Causa.* Causa frustrationis est primò intemperies ventriculi; nam nidorosa corruptio, caloris soboles est; acida, frigoris, nisi diuturnitate temporis humor acrimoniam contraxerit, unde Trallianus ructùm acidum à calore fieri voluit. Nullum autem alimentum supracalefactum in ventriculo imputre durare potest, corrumpitur verò quodlibet pro sua natura, quare alia, quando corrumpuntur, virus olent, alia tanquam lutum, quædam crudos pisces aut indicibilem alienamvè corruptionem. Peculiariter corruptionis nidorosæ causæ sunt affectus calidi, deinde redundantia biliosorum calidorumque humorum in ventriculo, tertiò alimenta calida, quæ in calido ventriculo facile in bilem vertuntur, aut corrugantur. Corruptionis verò acidæ causæ sunt, intemperies frigida, redundantia pituitosorum frigidorum humorum, & alimenta frigida. His adduntur ordo alimentorum præposterus, ut in debili ventriculo si assumantur primo loco cibi difficilis concoctionis, deinde facilis, item expultricis debilitas, unde chylus & excrementa in ventriculo diutiùs detenta necessariò corrumpuntur.

Ex debili concoctione ventriculi flatus, flatuosæque distensiones, ructus & similia gignuntur. Fit autem flatus à calore deficiente & improportionato, cibos flatulentos, & pituitosos aut melancholicos succos in ventriculo non prorsus conficiente, sed aliquo modo dissolvente, & in halitum convertente. Nam intensa frigiditas, quia alimenta & humores non immutat, halitus non excitat; fortis verò calor, flatus non gignit, nisi materia suâ naturâ flatulenta sit & rebellis. Ex flatibus, quatenus expelluntur à corpore vel retinentur, varia symptomata proveniunt. Nam flatus per os cum strepitu erumpens, ructus vocatur; per anum deorsum, flatus strepens, qui pro ipsius excrementi copia & quantitate, deinde viarum, per quas impellitur, angustia & amplitudine, varias sonorum species edit. Flatus enim siccus tenuisque, magis acutum; humidus crassus, gravem pravumque sonum excitat. Deinde quò via latior fuerit, eò graviorem; quò angustior, eò tenuiorem. Quare ex crassis intestinis vacuis graviores soni sive bombi erumpunt; ex tenuibus intestinis, tenuior, clarior, acutiorque sonus. Verùm si in intestinis humiditas fuerit, murmurillus excitatur, significans futuri humidi dejectionem. Cum verò flatus in neutram partem erumpunt, ἐμπνευμάτωσιν gignunt, & peculiariter in colo intestino colicum affectum: sin intra capacitatem abdominis coërceantur, Tympanitidem, ut infra dicemus.

Flatuum causa.

Symptomata orta ex flatib9. Ructus.

Crepitus ventris.

Inflationes.

Tandem peracta concoctione ventriculus naturaliter mediantibus fibris obliquis excretionem per inferius orificium ad intestina molitur. Læditur ista quoque actio tripliciter si aboleatur, debili aut depravato modo fiat. Abolita actio expultricis ventriculi, ubi nil per inferius orificium ad

Causa læsæ expultricis facultatis. Abolita.

intestina detruditur, oritur primùm labefactata expultrice ab intemperie potissimùm frigida humida resolvente fibras obliquas, quæ ut plurimum cum materia pituitosa est. Deinde impedita expultrice ab angustia pylori, quæ vel obstructio est ex crassis viscidis humorib⁹ tenaciter tunicis & orificio ventriculi adhærentibus; vel compressio à tumore vicinarum partium; vel constipatio à tumore, ut inflammatione pylori; tertiò frustrata expultrice copia, crassitie, visciditate, & lentore excrementorum in ventriculo. Hæ causæ si minores fuerint, debilem sive diminutam expulsionem efficiunt, fiunt quoque diminutæ evacuationes, si retentrix robusta sit, & expultrix infirma, sicut contra copiosæ evacuationes expultrice existente robusta & retentrice infirma.

Causa depravatæ expulsionis.

Depravata expulsio est, ubi ventriculus expellit qualia, quantum, vel quomodo secundum naturam non oporteat, dependens à facultate expultrice irritata. Expelluntur autem, quæ qualia non oporteat in lienteria; quantum, in diarrhæa; quomodo, in vomitu; quantum & quomodo, in cholera. Causa proxima est irritatio facultatis expultricis ventriculi. Irritatur aut per se, aut ex accidente debilitata expultrice, ut supra dictum est, undè lienteria. Per se stimulat expultricem causa dolorifica ventriculum contristans, sive gravans aut mordens, veluti primùm intemperies ventriculi cum materia copiosa acri, aut mordaci: deinde inflammatio & ulcus ventriculi: Addit Avicen. parvitatem, ubi ventriculus magnam alimentorũ copiam non sustinet. Tertiò copia aut acrimonia excremẽtorũ & humorum in ventriculo, aut alimentorũ & medicamentorum assumptorum, ut infra de vomitu dicetur.

Quæ ventriculum contristant, & in cavitate ejus contenta sunt, si ad superius os vergant expul-

trix

trix per superiora rejicere conatur, oriturq; ex materia humorosa aut sensili vomitus, & nausea; ex vaporosa sive flatibus, ructus; si ad pylorum descendant, per intestina propellit, unde alvi dejectiones crepitusq; ventris; sin ad utrumque os vergant, oriuntur & vomitus & alvi dejectiones, unde cholera. Quæ verò tunicis ventriculi infixa sunt, & os superius infestant, expultrix dum celeri fibrarum transversarum contractione & relaxatione excutere nititur, singultum efficit. In singultu constringitur ventriculus secundum partem superiorem potiss. In vomitu & nausea contrà: nam secundum partem inferiorē constringitur, secundum superiorem valdè dilatatur, unde motus hic à nonnullis ventriculi subversio vocatur.

Deindè post sanguinis excretionem nulla evacuatio magis præter naturam existimatur, quam vomitus. Nam venter cum pro naturæ lege se habet, trahit superius per stomachum, deorsum excernit; nihilominus quia motus hic naturæ instrumentis perficitur, scilicet villis transversis tunicæ exterioris ventriculi, & naturæ interdum utilis est: toto genere præter naturam non est, ut sanguinis evacuatio, sed quatenus vomitus oritur non cum tolerantia & conferentia ægri, à causa morbifica expultricem irritante, & violenter cogente. Nam vomitus duplex est, unus opus naturæ, per os superflua in ventriculo contenta expellens cum tolerantia & conferentia: alter non naturalis & symptomaticus naturæ inutilis, nimirùm motus depravatus ventriculi, dependens ab expultrice ipsius irritata, expellente præter naturam sensibiliter per os materiam in capacitate ventriculi contentam. Dico sensibiliter ad differentiam ructus. Causa hujus motus depravati, licet non accidat sine intemperie superius os ventriculi debilitante, & ad

De Vomitu.

Vomitus naturalis.

Vomitus morbosus.

Causæ vomitus.

ad vomitum proclive reddente; tamen quia in vomitu ſemper requiritur materia expultricem irritans, quæ per os ſenſibiliter evacuatur; præcipua igitur cauſa vomitus erit materia illa in ventriculo contenta ſupernatans, vergens ad ſuperius os, facultatem expultricem ita ſtimulans, ut eam verſus ſuperiora expellat. Irritat autem expultricem materia, vel nimia copia, vel qualitate mordaci, vel ſubſtantiæ ratione: nam nimia cibi potusque copia in ventriculo ſupernatans, retentricem gravans ſuâ naturâ expultricem cogit per ſuperiora ſeſe evacuare; ſupernatant alimenta pinguia leviaque, aut ubi primò aſtringentia duraque præmittuntur, deindè exhibentur multa pinguia dulciaque, vel quia ventriculus multis flatibus refertus eſt, ut in hypochondriacis. Secundò vomitum excitat qualitas acris, mordax alimentorum aut humorum in ventriculo, venena & medicamenta acria aſſumpta; alimentorum autem qualitas vel naturalis eſt, vel acquiſita, vitio concoctionis, veluti cum alimenta acida aut nidoroſa redduntur, aut alio modo corrumpuntur: humores verò vitioſi expultricem irritantes potiſſ. ſunt bilis flava, vitellina, æruginoſa, atra, aut pituita non naturalis, ut ſalſa, vel humor corruptus aut malignus; humor autem vitioſus aut in ventriculo genitus eſt, aut aliundè transmiſſus, nimirum vel à toto corpore, ut in febribus malignis, initiis paroxiſmorum & in criſibus, vel à parte aliqua primaria, ut à jecore, cerebro, inteſtinis, utero, renibus, &c. Nam ex catarrho à capite ad ventriculum vomitus interdum oritur, deinde affecto jecore aut veſicula fellis ſæpè portio vitioſæ materiæ in ventriculũ irruens vomitum excitat, ſimiliter longa inedia propter bilioſos humores in ventriculum effuſos: præterea vulnerato cerebro plerumque bilioſi vomitus ſuperveniunt. Accidit etiam vomitus

tus ex consensu læsis intestinis. Unde Ileos, renibus in nephritide, utero,&c. Tertiò fit etiam vomitus à materia contenta in ventriculo facultatem stimulante non tam qualitate, aut quantitate, quàm substantiæ ratione, quia aliena minimequè familiaris, aut utilis ventriculo, licet sua natura prava non sit; ac proinde ut supervacanea à natura expellitur: ita sanguis in ventriculum effusus vomitum excitat, pus, pituita dulcis,&c. Præterea externæ nonnullæ causæ, quatenus corpus & humores conturbant, vomitum excitant, ut graves fœdique odores, horrenda spectacula, motus vehementes, agitatio corporis, præcipuè navigatio, &c. proclives verò magis sunt ad vomitum, natura, aut ex morbo debiles, quibus os ventriculi magis exquisito sensu præditum est. Nausea inanis vomendi conatus ab iisdem causis oritur, sed levioribus, veluti si materia minus copiosa & acris sit, sed magis crassa, lenta & impacta, aut vaporosa, deinde os superius ventriculi non ita debile. In nausea propriè nihil ejicitur, verum post conatum ut plurimùm materia tenuis & aquea sponte ex ore profluit. Materia vomitum procreans dignoscitur, ex ructu, sapore, doloris proprietate, ac etiam substantia & colore eorum, quæ vomitu rejiciuntur: si in ventriculo genita sit, præcessit prava victus ratio, gravitas aut dolor aliquis ventriculi,&c. sin ab aliis partibus confluxit, aderunt signa aliqua partis mandantis,&c. *Nausea.*

Cholera.

Ab iisdem causis totum ventriculum & utrumque os infestantibus oritur cholera, quæ ex Hipp. duplex constituitur; una arida, vehemens dolor cum inflammatione totius ventriculi sine vomitu alvique dejectione ab acri flatulento spiritu. Hæc cholera notha videtur,& à nonnullis ad iliacam passionem aut colicam reducitur. Altera est humida veraq; cholera, quæ propriè definitur motus

Cholera arida.

Cholera humida veraq;.

tus depravatus expultricis totius ventriculi materiam, quæ eam contristat & irritat per utrumque os expellentis. Pars primariò affecta est utrumque os ventriculi, deinde totus ventriculus. Causa, affectio dolorifica à materia vitiosa utrumque os afficiente. Materia illa, quæ sensum molestiæ inducendo expultricem stimulat, est non solum bilis flava, vitellina, &c. (unde cholera à Gnidiis medicis nomen accepisse putatur, licet Trallianus potius ab intestinis dici malit, quæ cholades Homerus vocat) sed etiam quælibet corruptio humorum. Gignuntur autem & coacervantur illi pravi & corrupti humores, aut in ventriculo ex pravis alimentis, ut sunt fungi, carnes porcellorum, fructus horarii, pepones; vel ex corruptione ciborum in ventriculo, aut circa primas venas, jecur, pancreas, &c. unde ad ventriculum transmittuntur, aliquando assumpto valido medicamento, ut helleboro, &c. quod sua natura humores violenter ad ventriculum attrahit. Ab his humoribus ventriculus graviter stimulatus ad excretionem insurgens humorem per utrumq; os, sive vomitu alvique dejectione cum vehementi perturbatione expellere nititur, unde sitis, vehemens dolor, tandem animi defectio, aliaque symptomata gravissima.

Singultus

Singultus inter motus convulsivos numeratur, quia ex contractione & relaxatione compositus est, verum motus convulsivus propriè symptoma est instrumentorum facultatis animalis; singultus & vomitus naturalis: ac proindè singultus erit tantum motus quasi convulsivus, vomitui genere similis. Nam oritur singultus irritata expultrice ventriculi à materia tunicis infixa, quàm ut valentius excutere queat, primùm refugiens, fibras tendit, deindè statim recollectis viribus easdem subito distringens, veluti arcus sagittas emittens ob colli-

collisionem aëris sonitum edit. Quare erit singultus mot⁹ quasi convulsivus ventriculi cum sonitu, ortus ab expultrice irritata noxia tunicis ventriculi infixa celeri tensione & districtione fibrarũ excludere nitente. Pars affecta ventriculus, sub quo œsophagus continetur, verùm potissimũ afficitur superius os affectu proprio, aut per consensum. Actio læsa est, primariò expultrix irritata; unde fibræ omnes quidem violenter contrahuntur, sed præcipuè transversæ. Causa fibras tendens, est inanitio, repletio aut qualitas rei mordacis tunicis infixæ. Inanitio oritur ex immodica evacuatione sanguinis, sudoris, alvi, &c. Repletio verò à copia materiæ tunicas gravante, & distendente, &c. ut in convulsione.

Definitio.

Pars affecta.

Causa.

Humor verò mordax tunicis impactus, vel sola qualitate expultricem stimulans singultum edit, similiter venena acria assumpta, medicamenta aut alimenta acria, ut piper, &c. si fibris ingerantur: unde *Gal. Com.39. Aph.6.* singultũ oriri dicit, si quis acre aliquid (ut piper) deglutiat, mox vinum bibat aquâ temperatum, devehens acria ad interiores fibras ventriculi. Excitatur etiam ex consensu aliarum partium, ut ex inflammatione jecoris, affectibus cerebri, uteri, febribus malignis, translato humore ad os ventriculi, aut à tetro vapore os ventriculi feriente qualis oritur à vermibus, & in lethali vulvulo. Excitatur etiam singultus ab affectione ventriculum distendente, ut ex hernia intestinali in senibus, qui non curatur, nisi reposito in suum locum intestino, quod si violenter reponatur subitam mortem introducit: huc refertur compressio orificii ventriculi à costa contortâ, cujus meminit Fernelius.

Post ventriculum sequuntur intestina, quæ licet aliarum concoctionũ excrementa suscipiant & *De intestinis.*

quaſi communis ſentina totius corporis videantur; tamen primæ concoctioni peculiariter inſerviunt. *Vſus inteſtinorum.* Nam ventriculus cibum potumque aſſumptum in chylum convertit, deinde à ventriculo chylum inteſtina tenuia ſuſcipiunt, diſtribuũt, & tamdiu continent, donec portio utilis pro ſanguine gignendo per venas portæ à jecore exugatur; qua ſuſcepta partem craſſam & inutilem, quæ feces dicuntur, inteſtina craſſa ſuſcipiunt, & per anum foras extrudunt. Quare inteſtinorum duo præcipua ófficia ſunt, chylum diſtribuere, & excrementa alvi detrudere; quibus additur utriusque muneris gratia vis quædam ſentiens, quæ in tenuibus inteſtinis magis exquiſita eſt, quàm in craſſis. Læduntur hæ functiones, ut aliæ omnes tribus modis.

Symptomata inteſtinorũ. Ac primùm vitiatur chyli diſtributio ſi inteſtina nihil aut parum à ventriculo ſuſcipiant abolita vel debilitata expultrice ventriculi, vel attractrice inteſtinorum: vel ſi chylum ſuſceptum à ventriculo inteſtina juſto tempore non retineant, ſed prius per alvum ad craſſa inteſtina deſcendant, quàm venæ ſuo officio fungi queant; unde fluxus alvi chyloſus; aut ſurſum violenter propellantur, ut in Ilio. Secundò expulſio inteſtinorum aufertur, ubi nihil excrementi per anum foras detruditur, quæ omnimoda alvi ſuppreſſio dicitur; vel diminuitur quando pro aſſumptorum ratione pauca excernuntur tardè, rarò & ægrè, unde alvi aſtrictio: vel excretio depravatur cum aliter ſit, quàm ſecundum naturæ legem, nimirum, quando ea expelluntur, quæ expelli non debent, ut in lienteria, fluxu alvi chyloſo aut ſanguinolento; aut qualia non conveniunt, ſcilicet corrupta, fœtida, purulenta; aut quantum, id eſt, plus quàm pro aſſumptorum ratione, ut in diarrhæa; aut alieno tempore veluti frequenter & aſſiduè, ut in omnibus magnis alvi fluxionibus,

bus, aut modo non naturali, nimirum per alvum, cum dolore & torminibus,&c. ut in dyssenteria, aut motu peristaltico sursum violenter, ut in Ilio & gravi colica. Tandem sensus, quo intestina prædita sunt, interdum penitus tollitur ex paralysi graviq; apoplexia; vel diminuitur ex torpore nervorum, aut usu narcoticorum;vel depravatur, ut in dolore intestinorum, qui pluribus modis fit peculiariter vehemens dolor tenuium intestinorum præcipuè Ilii. Iliacus, crassorum intestinorum,ut coli, dolor colicus vocatur.

Morbi intestinorũ. Oriuntur hæc symptomata intestinorum ex affectu proprio, aut per consensum; aliquando ab errore externo vitio assumptorum & humorum,ut in ventriculo dictum est. Morbi proprii ventriculi sunt intemperies, morbi instrumentales & communes. *Intemperies.* Intemperies intestinorum cujuscunq; generis esse poterit simplex,composita,sine vel cum materia vel alluente intestina,vel impacta & in tumorem attollente, quæ dignoscitur, ut in ventriculo.

Morbi cõformationis intest: Morbi compositionis primum in conformatione sunt ratione cavitatis, vel superficiei: ratione cavitatis, nimia dilatatio, à relaxantibus, aperientibus,&c. aut angustia,quæ vel constipatio,ab aliquo tumore,ut inflammatione in ipsis intestinorum tunicis: vel compressio à tumore vicinarum partium incumbentium; vel obstructio à fecibus crassis,siccis, induratis, longoque tempore retentis ex alvi astrictione; aut à crasso,viscido,lento humore (qualis est pituita crassa, vitrea, &c) adhærescente tunicis intestinorum totam cavitatem, aut maximam ejus partem sensim implente. Humor iste interdum in ipso ventriculo & intestinis gignitur & coacervatur, debilitata concoctione ex alimentis crassæ viscidæ substantiæ; aliquando ab aliis parti-

bus potissimum à capite defluit. Crassus verò humor diu coercitus in cellulis coli intestini, vi caloris primùm in materiam gypseam, deinde in calculos concrescere interdum solet. Morbi ratione superficiei, sunt asperitas & levitas. Exasperantur autem intestina acribus mordacibus humoribus defluentibus, & ab alimentis aut medicamentis detergentibus. Levigantur à viscida pituita interiorem superficiē oblinente, unde chylus & excrementa citò dilabuntur. Secundum genus morbi compositionis est in magnitudine vel diminuta cum intestina valdè extenuantur, quod ex marasmo accidit; vel aucta, ut tumor præter naturam.

Tumores intestin. Accidunt autem intestinis tumores omnis generis, ut ventriculo; præcipuè inflationes à multis crassis flatulentis vaporibus, tunicis infarctis: deindè inflammatio, tumor calidus dolorificus adveniens cum febre continua, &c. Verùm inflammatio crassa intestina frequentius infestat, quæ multa carne prædita sunt, ut rectum, unde inanis desidendi cupiditas, &c.

Tertiò obnoxia sunt intestina morbis in numero præcipuè aucto, ut vermibus, deinde calculis, ut jam dictum est.

Lumbrici Lumbrici autem sive vermes in compluribus partibus corporis gignuntur, sæpè in ulceribus sordidis proveniunt, sed nuspiam plures & frequentiores, quàm in intestinis. Considerantur diversi modi nonnunquam ut symptomata vitiatæ concoctionis, vel in genere excretorum & retentorum præter naturam; nonnunquàm, ut causæ morbificæ, quatenus intestina obstruunt, mordent, pravas exhalationes suscitant, chylum absumunt, unde varii morbi: A Galeno aliisq; compluribus gravioribus authoribus, ut morbi in numero aucto toto genere præter naturam. In numero aucto id, quod partem

præſentia ſua diſponit, ſpeciei conſtitutionem ingreditur vicemque formæ gerit, ac cauſæ continentis rationem habet; qua poſita ponitur, ſublata tollitur morbus.

Definitio lumbric. Quare lumbrici ſunt animalia toto genere præter naturam in inteſtinis genita ex craſſo lento excrementitio humore putreſcente à calore vivido; functiones inteſtinorum impedientia. *Differentia* Ariſtoteles *5. de Hiſtoria Ani. cap. 19.* vermes qui in animalibus gignuntur ἑλμίνθες appellat, eorumque tria genera ponit, quorum unum eſt latorum, alterum rotundorum, quos *Galenus 14. Methodi* ἑλμίνθες propriè vocat; tertium parvorum rotundorumque in extremitate craſſi inteſtini, qui ἀσκαρίδες nominantur. Deindè ſubjungit latos illos vermes, qui inteſtinis adhæreſcunt, parere quid ſimile cucumeris ſeminibus; quo indicio medici id genus lumbrici eſſe intelligunt; unde nonnulli exiſtimarunt latos longoſque illos gignere vermes parvos latosque, quos à ſimilitudine cucurbitinos nominârunt. Verùm Fernelius aliique non pauci, longos latosq; non parere, ſed ex parvis illis cucurbitinis unitis aut mira ſerie inter ſe cohærentibus longum latumque vermem faſciæ inſtar oriri, & interdum tàm longè ſe extendere, ut per omnia præcipuè craſſiora inteſtina extendatur.

Locus generationis Locus generationis vermium, ut demonſtrat Ariſtoteles, non eſt ventriculus, ubi viget ciborum concoctio; licet à ventriculo interdum ſurſum repant; ſed inteſtina ubi fit ſegregatio: verùm rotundi in tenuibus inteſtinis magis gignuntur, unde in ventriculum aſcendunt: Aſcarides in recto inteſtino: Lati longique in utriſque inteſtinis, ſed præcipuè craſſis interdum in cœco & cellulis coli.

Cauſæ vermiũ.

Materia ex qua generantur, non eſt bilioſa aut melancholica (nam amara & acrida vermes necant) ſed humor pituitoſus craſſus lentus & excrementitius, qui dum à natura non regitur ob humiditatem facile putreſcit. Suppeditant hanc materiam cruditates, crapula, nimia ſatietas, cibi qui facile putreſcunt, ſuccumque craſſum, lentum gignunt ut caſeus, lac, legumina, fructus horarii, dulceſque, &c. Cauſa efficiens non eſt ſimplex putredo humoris excrementitii, ubi ab externo calore humidum ſubſtantificum in quo conſiſtit calor connatus diſſolvitur, & cum ſuo calore evocatur; ſed in putrefactione, vivifica quædam ἀπόκρισις. Nam dum humor putreſcit, & calor nativus in exitu eſt, ne deſerto proprio ſubjecto planè intereat, ſuperveniente vi quadam plaſtica & vivifica, quicquid benignioris materiæ adhuc ſupereſt, ſegregat, & ad novam generationem promovet, ac pro qualitate & quantitate materiæ novum animal efformat. Materia autem illa ſi fuerit pituita mucilaginoſa inteſtina oblinens, oriuntur κειρίαι ſive longi latique lumbrici; ſi fuerit in recto inteſtino vermiculi iis ſimiles, qui in caſeo putrido conſpicuuntur, & quia aſſiduè ferè rectum inteſtinum pungunt & irritant, ἀσκαρίδες vocantur: ſin materia craſſa viſcida, putreſcens collecta fuerit in cavitate inteſtinorum præcipuè tenuium, oriuntur vermes rotundi longitudine ut plurimum unius, rarò duorum aut trium palmorũ. Hi ſæpè ad ventriculum aſcendunt, & à ventriculo ad os ſurſum & nares interdum repunt & proſiliunt, puerosque præcipuè infeſtant. Paulus & Aëtius latos lumbricos fieri volunt ex permutatione pelliculæ intrinſecus inteſtinis adnatæ in corpus quoddam vivum, ſed per membranam illam adnatam non videntur intelligere propriam tunicam inteſtino-

testinorum, quæ ad vermium generationem planè inepta est, & lethalia symptomata induceret, sed humorem oblinentem intestina, membranæ ritu. Quò autem materia magis corrupta vitiosaque est, eò deteriores censentur. Præterea nascuntur vermes & in febribus & citra febres, differentes multitudine, magnitudine, calore, & temporibus morborum. Nam qui nascuntur in initiis morborum substantiam capiunt ex subjecta corruptione; circa statum ex malitia morbi; in declinatione ex permutatione morbi in melius, naturâ illos cum reliquis excrementis propellente; quod bonum indicium est: meliores censentur, minores, majoribus; pauci, multis; albi, rubris. Vermes ubi excitantur, varia gravissimaque symptomata excitant, quieti nullam conspicuam læsionem afferunt.

Symptomata vermium.

Symptomata vermium sunt somnus inquietus cum saltu, tremore, dentium stridore; deinde pruritus narium, sicca tussis, pallor faciei, ventris distentio ad instar hydropicorum cum murmure, tensione, erosione potissimùm tempore inediæ, interdum fluxus alvi, vertigines, anhelitus fœtidus, &c. Peculiariter latorũ vermium symptomata sunt, inexplebilis ciborum appetentia, gracilitas corporis & atrophia, cum excrementis excernuntur nonnulla semini cucurbitæ similia. Rotundorum morsus vehemẽs ventris, tussicula valdè sicca frequensque, febris inordinata cum extremorum perfrictione, ubi in ventriculum ascendunt cardialgia, singultus, nausea, vomitus; ex consensu cordis, syncope cardiaca, &c. Ex consensu cerebri vertigines, epilepsiæ, tremores, deliria, & dum dormiunt sæpè exiliunt cum clamore ac mox in somnum feruntur, &c. Ascaridum proprium est pruritus podicis molestissimus cum gravitate in dorso, stercoris graveolentia, &c.

Morbi intestinorũ in situ. *ἐντεροκήλη.* *βουβωνοκήλη.* *ἐξόμφαλοι.*

Quartò laborant intestina quandoque morbo in consensu & situ, quando è suo loco exeunt, rupto aut laxato peritoneo, & vel in scrotũ prolabuntur, unde ἐντεροκήλη; vel ad inguina, unde βουβωνοκήλη; vel disrupto peritoneo circa umbilicum sub cutem prorumpunt, quod mulieribus nonnunquam in difficili partu contingit, &c.

Vulnera Ulcera intestinorũ.

Tandem morbi communes intestinorũ sunt vulnera, deinde ulcera genita, vel ex abscessu intestinorum disrupto, vel ex materia acri mordaci, quæ vel statim erodit vel primùm detergendo exasperat, deinde sensim exulcerat: cujus generis sunt interdũ acria alimenta, sed præcipuè medicamenta validè detergentia & purgantia, ut colocynthis, scammonium, &c. Item affluxus bilis flavæ vitellinæ atræ, aut pituitæ salsæ, aut humoris corrupti, acrisq;, &c. Ex ulcere intestinorũ oritur dysenteria & tenesm⁹.

Morbi per cõsensum.

Hi sunt propriè intestinorum morbi: cum intestinis cohæret anus de cujus affectibus paulò post dicetur. Per consensum læditur functio intestinorum, ubi vim sentiendi per nervos sexti paris nõ accipiunt, vel bilem (qua ad excretionem irritantur) à vesicula fellis; aut ventricul⁹ graviter affectus est; vel septum transversum musculique abdominis ad excrementa detrudenda non concurrant, &c.

Differẽtia colicæ, & Iliacæ.

Restat nunc ut causas symptomatum intestinorum in specie consideremus initio facto à colica & Iliaca. Utraque passio propriè dolores sunt intestinorum, sed differunt parte affecta, modo doloris, & symptomatum. Nam εἰλεὸς dolor est tenuium intestinorum & potiss. Ilei: Colica, crassorum, potissimum coli. Deinde dolores Iliaci multò periculosiores sunt colicis: Præterea in colica non ita frequens vomitus est, nec fœdus, pravusq;, ut in Iliaca, à qua depravatur & attractrix & expultrix, unde

unde ob violentum motum intestinorũ versus superiora, magnamq; angustiam, nihil per inferiora descendit, aut multò minus multoque difficilius, quàm in Colica.

Est autem Colica propriè dolor intestinorum crassorum, proveniens à causa dolorifica. Causa autem dolorifica est intemperies & continui solutio; verùm à nuda intemperie colica fieri non videtur, sed potiꝰ à continui solutione, aut intemperie cum materia replente, distendente, mordente, &c. Causa verò continuum solvens juxta Paulum quadruplex est; una crassus pituitosus humor intra tunicas intestini coli receptus, eas distendens, divellens, unde dolor terebrans, gravans cum vomitu interdum pituitoso. 2. crassus flatulentusq; spiritus, impactus exitum non habens, unde dolor tensivus, errabundus sine gravitate. 3. Inflammatio intestini, unde omnium gravissima colicæ species, quæ in Ileum transitionem minatur, quæ dignoscitur dolore pulsante, suppressione urinæ & fecum, febre acuta, siti, nauseâ, vomitu bilis, quæ ægrum non levant. 4. Acres humores & mordaces, intestina erodentes; unde dolor pungens, sitis, ardor, febris, biliosæ dejectiones, &c. Huc refertur Colica ex assumpto veneno aut medicamento acri, ut Scammonio, Colocynthide, &c. Additur his 4. speciebus, obstructio à fecibꝰ duris, aut à copia viscosæ materiæ, ut pituitæ vitreæ, unde dolor gravans & distendens. Accidunt ventri dolores colico consimiles ex flatulento spiritu vel acribus humoribus peritoneo, & membranis conclusis, sæpè post febres, materia per crisin imperfectam eo translata, qui nullis medicamentis assumptis aut injectis expurgatur, nec ut colici dolores fomentis digerentibus, & Anodynis mitigantur. Ejusmodi tormina & dolores, sicca hydrops consequi solet. *11. Aph. 4.*

Colica causa & differentiæ.

Colica Notha.

Passionis Iliacæ causæ.

Εἰλεὸς Latinis Volvulus nomen habet ab Ileo intestino, aut quia accidit cum dolore, torminibus, vomitu & tumore ventris ad similitudinem chordæ involutæ, unde χορδάψος vocatur. Vomitus autem tàm fœdus & vehemens est, ut nonnulli in fine stercus & clysteres per superiora rejiciant. Est autem εἰλεὸς dolor intestinorum cum vehementi fœdoq; vomitu & tumore ventris ad similitudinem chordæ involutæ procedens ab affectu dolorifico intestina ad expellendum irritante, quæ cum deorsum movere nequeant contractione fibrarum versus superiora humores & excrementa contenta retrudere, aut sursum violenter propellere coguntur. Contractis verò fibris intestinorũ versus superiora, partes quò ano propriores sunt magis coarctantur, unde morituris aut in gravi Ileo podex ita astrictus est, ut neque specilli extremum suscipere possit. Pars affecta sunt plerumque intestina tenuia, præcipuè Ileum, unde nomen mutuatur, aliquando crassa etiam intestina. Causa dolorem excitans & expultricem intestinorum stimulans est affectio dolorifica, ut morsus, erosio, distentio, &c. Deorsum verò expultrix movere non valet, quia pars dolens, pondus & acrimoniam humorum, aut excrementorum præterlabentium non sustinet, aut quia viæ ad anum obstructæ sunt, quare facultas irritata per contractionem fibrarum versus superiora motu peristaltico sursum primùm noxia protrudit, deinde ob violentiam motus quæcunquè intestinis continentur. Plerumque ileos fit ob inflammationem tenuis intestini ex contusione, plaga, vulnere, acervata potione frigida, sudãte adhuc corpore, &c. Deinde ab intestino in scrotum cum stercore devoluto, indeq; violenter retruso ut inflammetur. Præterea à veneni potione aut acribus & corruptis humori-

moribus in tenuibus inteſlinis, ob feces induratas in craſſis, & circa tenuia impactas, unde durities admota manu percipitur. Oriuntur corrupti humores ex continua ciborum corruptione, præcipuè ſi accipiantur multi variique & pingues, ad quos non conſuevimus, &c. Familiaris affectio pueris eſt: ſenes ſi in eam incidant, ferè nunquam convaleſcunt, Multi ex dolore initio intereunt, aliquibus inflammatio ſuppuratur, & inteſtinum putreſcit, eoque modo pereunt. Initio eſt dolor circumvolutus, ſtomachi exolutio, ructus inanes, nil allevantes, cohibitio fecum, & flatuum, ſi augeatur affectio, omnia ſurſum feruntur primùm pituita & bilis cum ſpirandi difficultate, tandem feces vomitu rejiciuntur, anus aſtrictus eſt, lotium ſupprimitur, ſyncope ſubſequitur.

Quemadmodum ea, quæ ventriculum contriſtant & ad ſuperius os vergunt, vomitus per ſuperiora: ita quæ ad πύλωρον deſcendunt, & in inteſtinis continentur, dejectio alvi per inferiora expurgat. Verùm dejectio magis naturalis evacuatio eſt, & citra dejectionem nemo vitam tranſigere poteſt. Symptomata autem dejectionis ſunt, ut diximus, *alvi ſuppreſsio, aſtrictio, & profluvium.* Conſiderantur autem in dejectione primò tempus, an citò aut tardè: deinde modus excernendi, an raro aut frequenter, an aſſiduè aut cum longa intermiſſione: tertiò quantitas dejectionis, an pauca aut copioſa: tandem qualitas & ſubſtantia illius, quod excernitur, an utile vel inutile. Dejectiones tardæ, raræ, paucæ, & cum longa intermiſſione, ſub alvi aſtrictione: citæ, copioſæ, frequentes, aſſiduæ, & cum utile excernitur, ſub alvi profluvio. *Symptomata Dejectionis alvi.*

Peculiariter citæ dejectionis, quæ debitum tempus anticipat, cauſæ ſunt aſſumptorum copia, ſupra ventriculi vel capacitatem vel vires, vel utram- *Cauſæ citæ dejectionis.*

que, ipsum ventriculum gravans, & ad expulsionem excitans: deinde punctio & morsus ab acribus alimentis vel excrementis: item irritatio à re aliena minusque familiari: Præterea assumptio alimentorum promptè delabentium per intestina, scilicet humidorum, graviumque, levi ambulatione subsequente, cum expultricis robore.

Causæ dejectionis tardæ.

Tardæ dejectiones à contrariis causis fiunt: verùm cum ad alvi dejectionem quatuor requisita sint: 1. ut excrementa qualitate, & copia expultricem stimulent. 2. ut stimulus ille sentiatur. 3. ut expultrix intestinorum ad feces expellendas insurgat. 4. ut concurrat motus musculorum, cùm abdominis tùm pectoris: quorum unum si desideretur, tardior fit dejectio, quàm pro naturæ modo: Igitur 4. erunt causæ tardæ dejectionis, una in excrementis, quia pauca sunt parum gravantia expultricem, ex cibis paucis, minimeque excrementosis, aut quia per se acria & mordacia non sunt, aut quia stimulus, bilis flava, à vesicula fellis ad intestina non descendit, quod ictericis evenit: deinde tardæ dejectiones fiunt, quia intestina non sentiunt stimulum; vel propter obtusum sensum ex medicamentis stupefacientibus; aut in morbis soporiferis; aut propter longam fecum retentionem; aut quia spiritus abducuntur gravissimis cogitationibus; aut vis sopita jacet somno, otio, &c. aut quia vehementior stimulus antecessit scilicet magna purgatio, acrius enema, &c. Tertiò fiunt etiam tardæ dejectiones potiss. quia intestina ad expulsionem non insurgunt, facultate expultrice intestinorum valde debilitata intemperie frigida sicca, vel impedita angustia viarum, nimirum obstructione à fecibus duris, aut excrementis crassis, lentisque adhærentibus, constipatione, compressione, aut tumoribus intestinorum, aut vicinarum partium, item

item refrigeratione recti intestini, musculos ani coarctante: vel frustratâ facultate expultrice, quia excrementa non promptè delabuntur in intestina, ob ipsorum excrementorum duritiem, tenacitatem, præposterumque ciborum ordinem, scilicet quando astringentia humidis præmittuntur: deinde ob retentricis robur: nam excrementa diutius retenta, sicciora redduntur, & ad excretionem minus fiunt apta: Præterea ob immodicam vim attractricis jecoris & venarum, ob caliditatem, & violentas motiones corporis: tandem ob nimiam evacuationem per urinas, & per sudores, aut quia per habitum corporis excrementa nimium distribuuntur, & exhalant ob caliditatem & raritatem cutis & habitus corporis, unde *Hipp. 6. Epid.* cutis raritas, ventris densitas. Ultima causa tardæ dejectionis est, quia musculi abdominis & pectoris expulsionem naturalem non adjuvant, aut quia debiles sunt, ex longo morbo, aut evacuatione, aut quia vis non influit à cerebro, ut in apoplecticis: aut quia in ipsis, aut subjectis partibus est inflammatio, aut alius affectus dolorificus.

Causa paucæ dejectionis.

Paucæ & copiosæ dejectiones in comparatione ad ipsa assumpta alimenta dicuntur. Nam paucæ vocantur, quæ minores sunt, quàm pro multitudine assumptorum: copiosæ, contra. Paucæ dejectionis causa præcipua est vehemens distributio & digestio alimenti in corpus: qua non solum excrementa sicciora reddũtur, sed etiam pauciora, quàm pro alimentorum copiâ. Huic adde alimenta pauca, parumque excrementosa. Excitant vehementem digestionem & distributionem immodici labores, exercitia, immodica perspiratio, nimiaque corporis raritas & similia.

Causa copiosæ dejectionis.

Copiosæ dejectionis duæ sunt causæ: una defectus digestionis & distributionis alimenti in corpus:

pus: altera confluxus humorum à ſupernis partibus in ventrem. Deficit autem digeſtio alimenti in corpus ab omnibus cauſis, à quibus perſpiratio, & venarum ſuctus impeditur. Confluunt verò excrementa à ſupernis partibus jecore, cerebro, &c. in ventrem, propter facultatis retentricis imbecillitatem, vel expultricis validum motum: item ob alimenti excrementoſi copiam.

Cauſæ aſſiduæ deiectionis.

Aſſiduæ dejectionis cauſæ tres potiſſimum ſunt: 1. Imbecillitas retentricis ventriculi & inteſtinorum. 2. facultas expultrix inteſtinorum præter naturam irritata. 3. Reſolutio muſculorum ſedis. Retentricis imbecillitas ex intemperie frigida humida potiſſ. oritur. Expultrix irritatur duobus modis: primùm propter vehementem ventriculi & inteſtinorum ſenſum, ſive naturalem, ſive præter naturam ex ulcere: deinde propter punctionem & morſum à rebus acribus, mordacibus, contentis in ventriculo. Ea contenta vel ſunt alimenta in ventriculo corrupta, vel acria medicamenta, vel excrementa genita in ipſis inteſtinis, aut ex toto corpore, aut ex parte aliquâ, ut infra apparebit. Dejiciuntur naturaliter per alvum excrementa primæ concoctionis, nimirum feces, cum parte illa excrementorum ſecundæ concoctionis, quæ ad ventrem relegatur: præter naturam, læſa retentrice facultate inteſtinorũ alimenta & humores crudi, aut corrupti per ſe, vel cum naturalibus excrementis & flatibus. Oriuntur autem hi humores vitiò inteſtinorum, ventriculi, jecoris, lienis, aut totius corporis: unde diarrhæa, lienteria, cæliaca, dyſenteria, Teneſmus, &c.

Profluviũ alvi eiuſquè differentiæ.

Ac primum diarrhæa pro omni profluvio alvi communiter ſumitur. Eſt autem profluvium alvi celer materiæ liquidæ per alvum exitus, propter depravatam expultricem aut retentricem inteſtinorum.

rum. Materia illa aut eſt cibus, unde lienteria & cæliaca: aut chylus, unde fluxus chyloſus: aut feces, unde fluxus ſtercoralis: aut ſanguis ſimplex, vel cum pure, unde dyſenteria: aut aliquid de ſubſtantia partium per colliquationem, unde fluxus colliquativus: aut humores excrementitii, nimirum bilioſi, melancholici, pituitoſi, ſinceri aut corrupti, unde diarrhæa propriiſſimè dicta.

Diarrhæa

Quare diarrhæa propriè erit frequens alvi dejectio humorum excrementitiorum, proveniens à debilitate retentricis, aut expultrice irritata copiâ, aut qualitate humoris defluentis in alvum. Cauſa autem prima fluxus alvi eſt, aut natura ſola, aut natura irritata & coacta violenter à morbo: unde communiter diarrhæa, alia naturæ opus dicitur, alia ſymptomatica, opus morbi. In illa talia evacuantur, qualia evacuari oportet, id eſt, humores cocti & ſuperati à natura, cum tolerantia & conferentia: In hac non evacuantur qualia oportet, ſed cruda, vitioſaque, cum moleſtia, perturbatione, viriumque dejectione. Sub illa continetur non ſolum critica fluxio in ægris, à natura vincente morbum, ſed etiam ſpontaneæ evacuationes in ſanis, naturâ ſeſe exonerante à ſuperfluis humoribus. In ſymptomatica diarrhæa propriiſſimè dicta læditur vis expultrix aut retentrix inteſtinorum per ſe, aut vitio humorum pravorum affluentium: Et in ea conſiderantur primum materia ipſa quæ fluit, deinde pars mandans, à qua deſcendit ad inteſtina. Materia autem potiſſimum ſunt humores excrementitii, bilioſi, melancholici, aut pituitoſi, aliquando corrupti, aut maligna qualitate affecti: unde diarrhæa alia bilioſa, melancholica, pituitoſa, &c. Defluunt verò humores ad inteſtina aliquando à ventriculo, ex corruptione ciborum, interdum à toto corpore, quod non ſolum in criſibus febrium

acutarum evenit, ſed etiam in epidemicis diarrhæis: plerumque à parte aliqua peculiari, ut à capite, unde fluxus catarrhalis & pituitoſus; vel à jecore, & veſicula fellis, unde diarrhæa bilioſa: vel à liene, unde diarrhæa melancholica. Sub diarrhæa cõtinetur à nonnullis profluvium alvi ſtercorale, à redundantia excrementorum, aut cibis excrementitiis, & corruptis in ventriculo: deinde fluxus alvi colliquativus, quæ diarrhæa συντηκτικὴ dicitur, orta ex colliquatione ſubſtantiæ corporis & humorum in venis, à valida intemperie ſolidarum partium calida, cum debilitate retentricis, qualis accidit in hectica, & peſtilentialibus febribus, ubi materia pinguis, quaſi adipe perfuſa, per alvum dejicitur. Deinde lienteria & cæliaca, affectiones ſunt ſtomachicæ: verùm lienteria duplex eſt: una legitima, altera notha, ſub qua continetur cæliaca & fluxus chyloſus.

Diarrhæa συντηκτική.

Lienteria

Lienteria propriè nomen habet à lævitate inteſtinorum, verùm fluxus iſte à ſola lævitate non fit, ſed quia ventriculus non continet cibos concoquendos, unde non transmutati dejiciuntur: Proinde erit lienteria propriè dicta celer ciborum non transmutatorum per alvum tranſitus, orta à facultate retentrice ventriculi abolitâ. Cauſa præcipua eſt abolita functio retentricis, cibos non retinentis & complectentis, cujus ratione impeditur concoctio. Non complectitur ventriculus cibos, læſa retentrice per ſe intemperie frigida, humida, plerumque cum materia pituitoſa in ventriculo genita, vel à cerebro transmiſſa, ventriculum relaxante, aliquando per accidens, expultrice ventriculi depravatâ, atque ita irritatâ, ut ſtatim cibos aſſumtos deorſum propellat. Irritatur expultrix ulcere ventriculi & tenuium inteſtinorum: interdum à mordacibus humoribus in ventriculo, aut à maligna

gna qualitate ventriculum afficiente, ex veneno assumpto, aut putredine humorum. Addit Paulus & Aëtius tertiam causam, scilicet cicatricem intestinorum tenuium post dysenteriæ curationem, unde non vera lienteria, sed fluxus tantum chylosus.

Cœliaca. Cæliaca à lienteria magnitudine differre videtur, levior enim est affectio, à leviori causa, in qua dejiciuntur humida excrementa, & alimenta aliquomodo transmutata, ventriculo ob imbecillitatem retentricis non perfectè concoquente: Quare erit cæliaca assumptorum aliquomodo transmutatorum per alvum transitus, proveniens ex debilitate retentricis ventriculi. *Fluxus chylosus.* Debilitatur retentrix ab iisdem causis, ut in lienteria, sed levioribus. Fernelius profluvium chyli cæliacam vocat, quod non vitio ventriculi, sed intestinorum tenuium potissimum evenit, aut ob cicatricem relictam post dysenteriæ curationem, aut impeditâ chyli distributione propter obstructionem venarum mesaraicarum, & debilitatem attractricis venarum.

Dysenteria communiter sumpta. Dysenteria communiter pro omni sanguinolento fluxu alvi sumitur: sanguinolentus autem fluxus triplex est: unus ab ulceratione intestinorum, quæ dysenteria vera dicitur: cæteri tres fluxus hepatici sunt & dysenteriæ nothæ. *Dysenteria propriè dicta.* Dysenteria autem propriè est dejectio cruenta cum torminib⁹ ventris, orta ab exulceratione intestinorum. Exulcerantur intestina, ut supra dictum est, præcipuè à materia acri abradente & erodente, qualis primùm est bilis flava, vitellina adusta, pituita salsa melancholica potiss. adusta, item humores corrupti aut prava qualitate inquinati aliquãdo à contagio unde dysenteria Epidemica. Hi humores vel in vẽtriculo & intestinis gignuntur ex corruptione ciborum; sæpè ab aliis partibus transmittuntur, ut biliosi humores, à jecore & vesicula fellis, melancholici à liene; pituita

ſalſa à capite ex catarrho; interdum à toto corpore, omnibusque venis, ut in febribus malignis, &c. Ab his humoribus abraditur primum pinguedo inteſtinis adnata, undè exiguus ſanguis exit; deinde ſuperficies; tandem interiorem ſubſtantiam tunicæ invadit. Præterea exulcerantur inteſtina à medicamentis vehementer detergentibus, & purgantibus aſſumptis, vel clyſtere injectis qualia ſunt colocynthis, elaterium, &c. ac ab alimentis acribus & corruptis. Differentiæ dyſenteriæ ſumuntur à parte affecta, & magnitudine exulcerationis. Pertinet dyſenteria propriiſſimè dicta ad omnia inteſtina supra rectum: teneſmus ad rectum tantùm. Proindè in dyſenteria exulceratio, aut eſt in inteſtinis tenuibus, & tum cruor cum excrementis perfectè miſcetur: aut in craſſis inteſtinis eſt, præcipuè in colo, & tum cruor & fèces ſeorſum deſcendunt. Deinde pro magnitudine exulcerationis dyſenteriæ tres gradus aſſignantur. 1. quando exulceratio in ſuperficie tantum inteſtinorũ incipit, & pinguia exiguo admodum cruore perfuſa dejiciuntur: 2. quando abraſio altius nonnihil penetrat, ac fibræ ac ramenta cum copioſiori ſanguine exeunt. 3. Quando fruſtula ſubſtantiæ carnoſæ inteſtinorum, vi ulceris depaſcentis, egeruntur.

Differẽtiæ dyſenteriæ

τεινεσμός.

Teneſmus & dyſenteria ab eodem affectu oriuntur, ſcilicet ab ulcere inteſtinorum: Differunt tamen ſede affecta, ut ſupra dictum eſt: Deindè quòd dyſenteria ſit fluxus alvi, cum ventris torminibus, & à materia magis tenui & acri: Teneſmus egerendi cupiditas cum tenſione & pondere recti inteſtini, quâ tamen præter mucoſum & ſubcruentum nihil magnopere excernitur, orta ex ulcere recti inteſtini, à materia magis craſſa, lenta, quæ difficulter excernitur & plurimum irritat.

Diſcernitur vera dyſenteria à cæteris cruentis

tis dejectionibus, quod excretiones minutim & crebrò fiant, aliàs veri ſanguinis, aliàs grumoſi cum pinguedine, pure, fibris, aut ramentis inteſtinorum, ſemperque cum torminibus ſive vehementi dolore ventris. Nam in aliis cruentis dejectionibus confertim per longiora intervalla multus ſanguis ſine torminibus & abraſionibus perfunditur; Has omnes Medici dyſenterias nothas vocant, & communi nomine hepaticos fluxus: Nam magna copia ſanguinis per alvum rejecta ab epate promanat. Igitur ſub dyſenteria notha continetur hepatica fluxio propriiſſimè dicta, & cruenta dejectio propter magnam ſanguinis copiam: hi fluxus ad jecur ſe habent, ut vomitus ad ventriculum, quia per eaſdem vias ſanguis regurgitat, unde ſuſceptus eſt. *Quomodo diſtinguitur vera dyſenteria à notha.*

In dyſenteria notha dejectio eſt, vel ſanguinis ſincerioris rubentis, vel nigrioris quaſi ſplẽdentis, vel tenuioris & aquoſi: Quarè tres erunt ſpecies dyſenteriæ nothæ. *Notha dyſenteriæ tres ſpecies.* Una excretio ſanguinis ſincerioris rubentis, vi & providentia naturæ ſeparantis id, quod ſuperfluum eſt: Nam natura robore virtutis expultricis ſanguinem aliis per hæmorrhoidas, aliis per nares, mulieribus per uterum evacuat. *1. Fluxus ſanguinis purioris.* His conſuetis evacuationibus ſuppreſſis, deinde plethoricis, intermiſſis exercitiis, ac quoque iis, quibus membrum aliquod inſigne mutilatum eſt, per circuitus dejectiones ſanguinis per alvum contingere ſolent, præcipuè verò ob redundantiam tantam ſanguinis, gravantis hepar & vaſa: Profunditur ſæpè ſanguinis apertis internis hæmorrhoidibus, ſed ſanguis ille ita copioſus non eſt, nec cum excrementis permiſcetur.

Deinde fluxus hepaticus propriè dictus eſt dejectio alvi cruenta, orta à facultate expultrice depravata aut attractrice & retentrice debilitata, cujus duæ ſpecies numerantur: una dejectio ſanguinis *Fluxus hepaticus duplex.*

2. Fluxus sanguinis nigrioris. nigrioris & splendentis, expultricem jecoris stimulantis, qui ita quodammodo ad jecur se habet, sicut fluxus chylosus ad ventriculum: oritur itaque talis dejectio, quia sanguis in jecore post sufficientem delectationem non distributus perassatur, aut putrescit, perassatus sanguis jecur mordens, gravansque vi expultricis jecoris & venarum, ad intestina detruditur.

3. Fluxus sanguinis à debilitate iecoris. Altera species hepatici fluxus est dejectio sanguinis aquosi, ad formam loturæ carnis recens mactatæ, orta ab insigni intemperie substantiæ jecoris vires ejus labefactante & debilitante: hæc affectio ita se habet ad jecur, sicut stomachica affectio aut cæliaca ad ventriculum. Debilitatur autem interdùm attractrix, & dum dejectiones magis chylosæ sunt, aliquando retentrix, quando chylus per venas attractus à jecore justo tempore non retinetur, nec à vena cava attrahitur, sed ante perfectam concoctionem sanguis nondum elaboratus per easdem vias, undè chylus susceptus est, ad intestina delabitur, aut ab expultrice irritata vitio retentricis propellitur. Oritur imbecillitas alteratricis jecoris à quavis intemperie valida, vim & robur substantiæ jecoris labefactante, primariò ab intemperie frigidâ humidâ, quæ suâ naturâ alteratricem debilitat, crudumq; sanguinem gignit, undè assiduæ dejectiones ad similitudinem loturæ carnis recens mactatæ, sine siti, morsu & dolore ventris: Deinde ab intemperie calida cum putredine humorum, febrique lentâ; aut à jecoris inflammatione, substantiam ejus debilitante & colliquante, undè sanguis primùm tenuis corruptus, hinc biliosus, acris, aliquando adustus gignitur, qui ad ventrem relegatus, dejectiones cruentas tenues, biliosas, graviter olentes, interdum melancholicas excitat, cum inappetentia, siti, aliquando morsu ventris: dico intem-

periem

periem debilitantem jecur, quia hepate existente calidiore, excrementa fiunt dura, nisi adsit ipsius visceris & retentricis debilitas. Complicantur interdum hi affectus, teste *Galeno 5. de Locis affect. c.7.* aut sese mutuò consequuntur, & initio nonnunquam ob frigidam intemperiem, tenuis, crudusque sanguis excernitur; deindè tractu temporis, ex putrefactione, febris lenta oritur, unde sanguis melancholicus, tandemq; bilis atra, sincera dejicitur.

Ad dysenteriam notham reduci poterit fluxus alvi purulentus sine torminibus, qualis accidit interdum in empyemate & suppuratione pectoris materia purulenta à pectore ad alvũ transmissa, deinde ex abscessu ventriculi, jecoris, lienis & etiam mesenterii. *Flux9 alvi purulentus.*

In mesenterium ejusque glandulas humores ex venis confluentes, varios tumores excitare solent; qui dolore vacant, quod pars sensu careat, & tam altè sepulti sunt, ut non nisi pressu animadvertantur: Ex humore autem frigido, initio mollis laxusque tumor oritur, qui progressu temporis in scirrhum induratur.

Ex humore calido inflammatio, quæ ex febricula lenta, siti cum gravitate deprehenditur; ac in abscessum plerumque terminatur, ex quo primùm sanies rubra, hinc pus album per venas ad intestina relegatur, magnaque copia sine torminibus per alvum evacuatur. De causis flatuum & symptomatibus flatuum retentionem & expulsionem consequentibus supra dictum est.

Terminantur intestina in ano, per quem excrementa dejiciuntur, ideò de ani vitiis hîc quoque dicemus. Componitur anus ex intestini extrema parte; deinde tribus musculis quorũ duo inegerendi conatu anum foras impulsum in propriam *De Ani vitiis.*

sedem

ſedem retrahunt, tertius σφιγκτὴρ exitum inteſtini claudit, ad tempus oportunum nobis deſidendi, ne feces nobis invitis exeant: His adduntur venæ duplices, interiores à ramo ſplenico venæ portæ, exteriores à vena cava, quibus permiſcentur nonnulli ramuli à vena porta.

Symptomata Ani. Officium ani eſt feces in inteſtinis pro libitu continere & foràs extrudere. Læditur igitur hæc actio ſi nobis invitis quocunq; tempore profluant, ac anus procidat, ob reſolutionem; vel foràs extrudi nequeant, ob convulſionem, aut anguſtiam ani, à tumore; vel difficulter cum dolore & moleſtia feces per anum exeant propter inflammationem, ulcus, rhagades, tubercula, ut condylomata, thymi, ficus, hæmorrhoides cæcas, &c.

Reſolutio muſculorum ani. Reſolutio autem ſi accidat muſculo claudente anum, feces nobis invitis exeunt, ſi cæteris duobus muſculis, ani procidentia oritur. *Convulſio* Convulſio verò ſphincteris alvi dejectionem impedit; aliorum duorum muſculorum anum ita ſurſum retrahit, ut in egerendi conatu foràs impelli nequeat. Reſolvuntur muſculi ani aliquando ex affectu proprio ſcilicet valida intemperie frigida humida cum materia pituitoſa, interdum per conſenſum affectis nervis, qui ad muſculos ani ſurculos mittunt.

Inflammatio ani. Inflammatio ani oritur ex influxu humoris calidi, concitati à multa dura equitatione, & non raró conſequitur alios ani affectus, ut hæmorrhoidas clauſas, rimas, &c. In his dolor acerbus eſt febriſque, & alvus difficulter aut ſummo cum dolore dejicitur, aut planè ſupprimitur, & ob vicinitatem veſica in conſenſum trahitur; Inflammatio ſi ad ſuppurationem tendat, ulcus purulentum relinquitur, unde ſæpè fiſtula, quæ interdum rectum inteſtinum perforat, & ad veſicam penetrat. *Vlcus ani.*

Sub

Sub genere ulcerum continentur rhagades, fiſſuræ in extremitate ani. Nam ulcuſcula ſunt oblonga cum ardore & dolore orta ab humore erodente aut ſiccante, aliquando à fecibus duris & propter condylomatum inflammationem, ſi partes circumſitæ rumpantur. *Rhagades*

Condylomata autem propriè ſunt tubercula rugarum ani ad ſimilitudinem eminentiarum in articulis, dum manus clauduntur, quæ κόνδυλοι vocantur, orta à confluentibus vitioſis humoribus, hæc tubercula interdum mollia ſunt ſine inflammatione, aliquando dura dolorifica cum inflammatione. *Condylomata.*

Thymi verò ſive mariſcæ, ſunt tubercula carnoſa, oblonga quaſi verrucæ, ad cutem tenuia ſupra lata, ſubrubra, aſpera, florem thymi referentia, unde nomen ſortiuntur, quæ cum vulnerantur amplius, quàm pro magnitudine ſanguinem profundunt, genita à melancholico ſanguine, cui aliquid acris humoris permixtum eſt, aut ex melancholia aduſta; plerumque propter attritionem ſedis, verùm thymi alii parvi ſimpliciter dicti, alii magni, qui ex ſimilitudine ficus propriè appellatur. Deinde thymi alii benigni ſunt, nimirum carunculæ parvæ, aſperæ albicantis aut ſubrubri coloris ſine dolore; alii maligni qui duriores, aſperiores, majores ſunt, coloris ſubnigri aut lividi cum dolore pungente, naturam cancri referentes. *Thymi.* *Ficus.*

Tandem ratione venarum ani non ſolum ipſe anus vehementiſſimis doloribus tentatur, dum repletæ diſtenduntur, inflammantur, aut exulcerantur, ſed etiam vires omnes corporis enervantur variique morbi frigidi oriuntur ex earum nimia apertione, quia immodica ſanguinis copia profunditur. Quæ omnes affectiones ſub nomine hæmorrhoidum continentur.

Nam

Hæmorrhoides.

Nam communiter hæmorrhoides ſunt fluxus ſanguinis per venas ani, aut tumor in illis ex affluxu craſſi ſanguinis. Verùm propriè hæmorrhoides ſunt fluxus ſanguinis ex apertione venarũ ani; Pars affecta ſunt venæ ani, quæ duplices ſunt, ut dixim⁹, exteriores à vena cava, interiores à ramo ſplenico venæ portæ, unde hæmorrhoides, aliæ externæ, quæ foris conſpiciuntur; aliæ internæ, quæ intus latent.

Differẽtia hæmorrhoidum.

Cauſa eſt vaſorum apertio & intumeſcentia; quare hæmorrhoides aliæ apertæ ſunt, quæ ſanguinem fundunt, aliæ cœcæ, quæ tument, ſæpeque dolent, ac nihil ſanguinis emittunt. Fluxus ſanguinis quidem eſt ſymptoma excretorũ toto genere præter naturam, attamen hæc evacuatio ſanguinis, quia in multis ſalutaris eſt, nimirum quando oportunè fit, ſive ſponte à natura per vices jecur & venoſum genus à melancholico ſanguine, & plenitudine evacuatur, cum tolerantia & conferentia; ideo tùm opùs naturæ eſt, & non ſymptoma, ut fluxus menſtruorum. Nam hoc modo natura multos morbos præſentes ex melancholia & plenitudine curat, & ab imminentibus tuetur: evacuant enim internæ hæmorrhoides melancholicum fæculentum ſanguinem à jecore, liene, venis meſaraicis, &c. Externæ verò ſæpius plenitudinem totius corporis ex vena cava, unde ſanguis magis purus coctusque exit, non rarò melancholicum ſanguinem à liene, &c. per exiguos ramulos venæ portæ, qui permiſcentur ramulis à vena cava derivatis. Quare qui aſſueti ſunt his oportunis evacuationibus per hæmorrhoides, læduntur non ſolum ſi modum excedant, ſed etiam ſi præter conſuetudinem parcius fluant, & ſupprimantur aut intumeſcant. Igitur ſymptomata hæmorrhoidum ſunt immodica ſanguinis profuſio, deinde præter conſuetudinem ſuppreſſio,

par-

parciorque fluxus ac etiam intumeſcentia, &c. In profluxu ſanguinis tria conſiderantur facultas fluxionem concitans, deinde materia profluens, tertiò inſtrumenta, à quibus & per quæ fluunt. Quare cauſæ hæmorrhoidum erunt, vel in facultate præcipuè expultrice & retentrice, vel in ſanguine, vel in inſtrumentis: itaq; immoderati fluxus hæmorrhoidum cauſæ ſunt, expultrix non modo venarum, ſed etiam jecoris aliorumque viſcerum vehementer irritata; aut retentrix debilitata, deinde ſanguinis copia, tenuitas & acrimonia; tertiò venarũ laxitas, raritas, immodica apertio, eroſio, diſruptio. Nã ſæpè jecur viſceraque affecta, ad hæmorrhoides, venas maximè ignobiles, debilesq́, vitioſos ſuos humores deponunt, potiſſimum ſi lienis tanta ſit debilitas ut fæculentum ſanguinem ad ſe non alliciat. Irritant autem violenter expultricem nimia ſanguinis copia aut acrimonia, cõmotio humorũ, uſus medicamentorum acriũ validè purgantiũ aut aperientium. Debilitatur retentrix venarũ propter relaxationẽ orificiorum ab humectantibus, &c. vel eroſionem ab acribus humoribus aut ulcere ani, vel vulnus & plagam, &c. Accidit ut naturâ etiam invitâ ſanguis effluat ob tenuitatẽ, quando ſeroſus, aquoſus aut bilioſus eſt & vaſa rara laxaque. A contrariis cauſis fit hæmorrhoidum ſuppreſſio, nimirum à debilitate facultatis expultricis jecoris plerumq; viſcerum & venarum. Deinde ſanguinis paucitate, craſſitie, viſciditate ac etiam averſione ad alias partes, ut ad nares, uterum, &c. tertiò conſtipatione ac anguſtia orificiorũ venarum ani, ab aſtringentibus, refrigerantibus, exiccantibus, &c. Propter anguſtiam autẽ non ſolũ fluxus ſupprimitur, ſed etiam ipſæ venæ dum à ſanguine craſſo impacto dilatantur, in tumorem attolluntur, interdum cum inflãmatione, unde cœcæ hæmorrhoides gignuntur.

DE CAUSIS LÆSÆ SANGVIFICATIONIS ET nutritionis.

CAPUT XII.

CHyli utiliorem partem, jecur per ramos venæ portæ à ventriculo tenuibusque intestinis exugit,& in sanguinem,alimentū toti commune transmutat. Est autem jecur sedes animæ vegetantis principium venarum, officina sanguinis. Nam in substantia ejus valde sanguinea radicatio est venæ portæ & cavæ,sanguinisque elaboratio. Ad sanguinis verò elaborationem & distributionem,quatuor ministrantibus facultatibus utitur. Nam per venas portæ chylum attrahit,& attractum tamdiu continet,donec insita proprietate in perfectum sanguinem transmutaverit, quo tempore separato excremento bilioso ad vesiculam fellis; melancholico ad lienem; purum sanguinem cum vehiculo sero in venam cavam detrudit, ubi à renibus percolatur.

Vsus Vesiculæ fellis. Quare ad actiones inculpatas perficiendas indiget jecur utili ministerio non solū venæ portæ,quæ chylum ab intestinis & ventriculo exugit; & venæ cavæ,quæ sanguinem elaboratum in totum corpus distribuit, sed etiam vesiculæ fellis, quæ excrementum biliosum allicit,& ad duodenum intestinum expellit; *Lienis.* lienis qui sanguinem feculentum attrahit, digerit, conficit, quod superfluum est,expellit,&c. Præcipuè autem functio jecoris est sangvificatio: Nam cæteræ gratia significationis sunt,quibus læsis sanguis efficiens, aut competens pro naturæ modo non generatur.

Quare

Quare læditur ſanguificatio non ſolum læſa facultate alteratrice, ſed etiam attractrice, retentrice, vel expultrice jecoris & venarum; ſingulæ harum functionum tripliciter læduntur, ſemperque vitia ſecundæ concoctionis vitiis primæ correſpondent, ut tertiæ vitiis ſecundæ & à ſimilibus cauſis fiunt. Primùm autem abolita ſanguificatio, eſt ubi ſanguis non generatur, aut loco ſanguinis aquoſus humor qualis in aſcite, deinde diminuta quando aut parum boni ſanguinis gignitur, unde atrophia, aut qui generatur ſemicoctus eſt, qualis eſt in cachexia, anaſarca, fluxu hepatico à frigida cauſa, &c. Tertiò depravata ſanguificatio, ubi gignitur ſanguis impurus, vitioſus, ut bilioſus, melancholicus aduſtus, &c. qui coacervatus circa viſcera primasque venas, hypochondriacam affectionem, &c. in venis, cacochymiæ varias ſpecies facit, unde cacotrophia, &c.

Symptomata iecoris.

Symptomata alteratricis.

Accidunt hæc eadem ſymptomata ſecundariò vitio cæterarum trium facultatum, quæ alteratrici miniſtrant. Læditur autem attractrix facultas & ἀνάδοσις, ubi jecur pro ſanguinis generatione nihil per venas meſaraicas attrahit, aut nõ juſta quantitate, unde facultas concoctrix fruſtrata nihil, vel parum ſanguinis gignit: aut depravatè ſive immodicè attrahit, ita ut humiditatem quoque ſecum exugat, ex qua gignitur ſanguis vitioſus. Deinde facultas retentrix læditur, quando materiam attractam non continet, aut non debito tempore, unde ſanguis crudus, aquoſus, &c. qualis in fluxu hepatico, aut depravatè & ultra juſtum tempus ita ut aduratur, &c. Tandem expultrix læditur ſi bilioſum aut melancholicum excrementum à ſanguine non ſecernat, ſive veſicula fellis bilioſum, lien melancholicum non ſuſcipiat & attrahat, unde cacochymia,

Sympt: attractricis.

Retentricis.

Sympt: expultricis.

chymia, icterus, &c. vel si sanguinem post concoctionem & sufficientem delectationem in venam cavam non detrudat, & vena cava non attrahat, quare in jecore ultra tempus permanens aduritur aut putrescit, deindè ad intestina sæpè propellitur ut in fluxu hepatico dictum est, Qui magna debilitate jecoris laborant, hepatici vocantur.

Ob principatum læsiones jecoris toti corpori communicantur, & vitio sanguinis nutritio quoque læditur, quæ omnium naturalium maximè necessaria est, cui cæteræ subserviunt. Sub nutritione comprehendimus nutrimenti appositionem sub halitus specie, deindè agglutinationem, tertiò assimilationem, quæ reipsa à nutritione non differt.

Symptom: nutritionis.

Quare si una harum trium desideretur, læsa erit nutritio, veluti ubi parum, aut nihil sanguinis partibus apponitur & agglutinatur, atrophia oritur, quando sanguis appositus & agglutinatus non perfectè assimilatur, cacotrophia. Nam nutritio, quæ prorsus non fit, aut infra justum modum Atrophia; quæ depravatè & vitiosè, cacotrophia appellatur, sub qua continetur vitiligo; Elephantiasis, scabies, &c.

Huc etiam referri poterunt omnes affectus, qui fiunt ab humore vitioso effuso in habitum corporis, qui aut sub vaporis specie non apponitur, aut non perfectè agglutinatur & assimilatur, ut cachexia, hydrops, icterus, &c. Nam excrementa & humores vitiosi collecti in venis pro sua qualitate cacochymiam gignunt, in corporis habitu varia symptomata & morbos excitant, veluti bilis flava nō expurgata, sed effusa in habitum corporis icterū propriè dictum; in parte coacervata Erysipelas: melancholicus succus in habitū corporis effusus icterum nigrum; in parte scirrhum exquisitum; melancholia adusta in toto Elephantiasin, in parte can-

crum

ctrum ulceraq; cancrosa; pituita naturalis in toto, Anasarcam, in parte œdema; pituita salsa scabiem, serosus humor in capacitate abdominis ascitem, in parte phlyctenas. Mixti humores inter se & cum sanguine mixtas affectiones producunt.

Causa symptom: iecoris.

Causa læsæ sanguificationis ac symptomatum omnium jecoris, est frustratio facultatis ex affectu proprio, aut ab externo errore vitio chyli, vel quia destituitur utili ministerio venarum, lienis, vesiculæ fellis, &c. Jecur omni ferè morborum genere laborare poterit, quorum præcipui sunt intemperies, quæ facultates in sua substantia labefactant, Deinde obstructiones, tumores, ut inflammationes, scirrhi, abscessus, ac ulcera, quæ functiones propriè impediunt. Nam debilitas jecoris, à qua ægri hepatici propriè dicuntur, oritur ab intemperie citra tumorem, continui solutionem, aliumvè manifestum affectum: hepatica verò affectio ita ad jecur se habet, ut stomachica & cæliaca ad ventriculum.

Morbi iecoris.

Intemperies.

Intemperies autem jecoris est simplex vel composita sine vel cum humore intemperiem fovente, aliquando cum vapore, simplex sola diu non subsistit nec sine materia. Verùm non omnis intemperies jecoris hepaticos efficit, sed quæ harmoniam & naturalem temperiē substantiæ hepatis dissolvit. Quare intemperies aliæ jecur & humores contentos pro sua qualitate tantum alterāt, aliæ simul harmoniam substantiæ ejusdem dissolvunt: Illa si calida fuerit, calidos adustos humores gignit, inappetentiā ciborum, sitim, febres, vomitus biliosos, extremorum calorē, &c. efficit frigida contraria nempe pituitosum crudumq; sanguinē, &c. In sicca intemperie humores & excrementa sicciora redduntur, corpus aridū ægriq; magis sitiunt, &c. In humida contraria, &c.

Debilitas iecoris,

Intemperies istæ si invaluerint & harmoniam substantiæ sive naturalē ejus temperiem dissolvere

vere cœperint; imbecillitas hepatis, sive hepatica affectio oritur. Est autem imbecillitas hepatis defectus in propriis ipsius functionibus proveniens à quavis insigni intemperie naturalem substantiæ jecoris temperiem labefactante & dissolvente: Causa proxima est insignis intemperies substantiæ jecoris. Nam ut naturalis temperies robur substantiæ & vires integras conservat, ita intemperies illam naturalem temperiem corrumpens, imbecillitatem virium efficit. Intemperies ista est cujuscunque generis maximè in qualitatibus activis & frequentius cum pravo humore aut tetro vapore substantiam jecoris contaminante.

Debilitatis omniũ & singularum facultatum causa.

Facultates jecoris propriæ sunt quatuor, ut diximus, quæ si maximus sit recessus â naturali statu, ita ut proportio temperamenti destruatur & amittatur, omnes ex æquo debilitantur, sin tantus non sit pro varia transmutatione ab intemperie, una facultas magis labefactatur, & nunc concoctrix, nunc attractrix, aut retentrix, aliquando expultrix. Attractrix autem si debilis sit, jecur per venas meseraicas parum, aut nihil chyli attrahit, & alvus liquida chylosa dejicit, nullo existente vitio in ventriculo & intestinis, aut obstructione in venis portæ: ubi retentrix infirma est per alvum quandoque aquosus sanguis aut liquida loturæ carnis recens mactatæ similia rejiciuntur, in progressu sæpè sanguis liquidus spontè exit per nares, uterum, hæmorrhoides, sputa, interdum ex venis in extrema cute. Excretrix si infirma sit, excrementitios humores à sanguine non secernit, ut dictum est, unde cachexia, &c.

Debilitas alteratricis.

Sin alteratrix vis languet, & ob intemperiem in concoquendo aberrat, cruditates corruptionesque fiunt, & irritata expultrice, initio sanguinolenta, tenuia & diluta dejiciuntur, deindè crassiora; color

lor

for naturalis mutatur, pedes intumescunt, &c. Ab intemperie calida colliquationes fiunt primùm humorum, deinde carnis ipsius jecoris, ex qua initio tenuia biliosa acria, post fœtida, crassa satis colorata, aliquando nigra dejiciuntur, febris intensa adest, vomitus sæpè biliosus, virulentus; calor faciei & corporis flavus est, urina rufa, pulsus celer, sitis, inappetentia ciborum, &c. Ab intemperie frigida dejectiones, nec ita multæ, nec assiduæ fiunt, ut in calida & sæpè alvus cum suppressa videtur repente copiosa profundit, initio liquida aquosa, deindè varii colores, interdum crassa quasi fecem sanguinis, sed nec acria, nec graviter olentia, nisi jam humor putrescere cœperit: In hac, febris nulla aut languida, color faciei pallidus aut albus, urina alba tenuis pulsus tardus, sitis nulla, appetentia ciborum major. Ab intemperie humida facies non concidit, oculi tumidi sunt, excrementa liquidiora & copiosiora, sitis nulla, &c. In sicca contraria omnia.

Angustia iecoris. Secundò accidit jecori, vasorum angustia, distributionem alimenti impediens, quæ vel obstructio est à materia cavitatem occupante, vel constipatio aut compressio à tumore coarctante aut comprimente. Frequentissimè obstructione tentatur, quod exilibus & angustissimis radicibus venæ portæ & cavæ intertextum sit per quas sanguis defertur.

Obstructio. Obstructio autem est angustia venarum jecoris, distributionem alimenti impediens, orta à materia cavitatem earum occupante. Pars affecta est hepar, secundum vasa, quæ vel sunt venæ portæ in cava parte jecoris præcipuè, vel venæ cavæ in gibba parte, unde obstructio alia in gibba, alia in cava.

Causa obstruct. Causa obstruens interdum est vapor crassus, flatulentus, qui facilè non discutitur; plerumque humor crassus, vel calidus, qualis est bilis flava, quæ

propter obstructionem vesicæ fellis in jecore diu detenta crassescit; unde periculosissimæ obstructiones; vel frigidus, crassus, viscidus, ut crudus pituitosus, aut melancholicus, ortus ex alimentis viscidi crassi succi qualia sunt, carnes & pisces salsi & fumo indurati, lac, caseus, legumina, crassa vina & cerevisiæ crudæ, &c. interdum vitio ventriculi, qui crudum aut vitiosum chylum gignit, aut ex catarrho à capite ad ventriculum, aut ex liene vel utero affecto humorem suscipit, aut suppressione consuetæ evacuationis, vel ex toto corpore feruntur humores vitiosi ad jecur, quia debile est, aut vi caloris & doloris attrahit, aut ob externum errorem in victu, quando à cibo statim, exercitiis, balneis aliisque utuntur, quæ crudos succos in venas rapiunt. Accedit hic usus intempestivus alimentorum aut medicamentorum astringentium. Ad obstructiones jecoris proclives sunt, qui angustas venas habent, si crassa victus ratione utantur.

Signa obstruct. Signa obstructionis sunt sensus tensionis aut gravitatis in dextro hypochondrio, præcipuè cum spiritus magna fit attractio, aut cum à cibo exercentur, quod si à vapore flatulento orta sit, major intensio, & dolor percipitur; si ab humore major sensus gravitatis; sine febre humorem frigidum arguit, nisi jam putrescere inceperit. Obstructio insignis si convexam partem occupaverit, tensio exterius sentitur, dum contrectatur & difficultas respirationis major dum loca sublimia scandunt. Ex diuturna obstructione inflammatio aut tumor aliquis sæpè exoritur.

Tumores jecoris. Infestatur jecur variis tumoribus pro varietate humoris, qui ex venis in meatus substantiæ jecoris effusus, eos implet, & impactus distendit; sanguis enim, phlegmonem; bilis, erysipelas; melancholia, scirrhum non exquisitum, &c. Verùm

Gale-

Galenus 4. de præs. ex pulsibus in jecore œdemata fieri non arbitratur, quod ab ipsius calore tenuis pituita facile digeratur.

Tumor in membrana iecoris.

Adduntur his primùm hydatides, id est, vesiculæ aquæ plenæ in membrana jecur ambiente quibus ruptis hydrops oritur. Deinde tumor magnus ex materia collecta intra membranas jecur ambientes, quæ interdum est vapor crassus, flatulentus genitus ex cruditatibus, &c. unde magna distentio & dolor sine gravitate, deinde citò incipit, facilè discutitur, aliquando humor vitiosus à substantia jecoris excussus, & intra membranas ejus coërcitus, qui non facile discutitur, ex quo major gravitatis sensus, &c.

Inflammatio.

Jecur inflammatione & scirrho frequentiùs tentatur, quàm alio tumore. Veteres ut eos, qui inflammatione pulmonis laborant, peripneumoniacos, ita qui inflammatione jecoris hepaticos vocarunt: Verùm nunc illi hepatici propriè appellantur, qui imbecillitate jecoris afficiuntur, & ipsa inflammatio jecoris à nonnullis hepatites. Est autem inflammatio jecoris tumor calidus, ortus ex sanguine impacto, & putrescente in substantia jecoris, adveniens cum febre continua dolore ac sensu magni ponderis & gravitatis in dextro hypochondrio &c. Sub calido tumore comprehendimus hîc phlegmonem exquisitam ex puro sanguine, vel notham, ut erysipilatodes, œdematodes, scirrhodes ex sanguine redundante, cum bile vel pituita, vel melancholia, item Erysipelas phlegmonides ex bile redundante cum sanguine.

Causa inflammationis.

Inflañatio jecoris oritur non aliter, quàm in aliis partibus. Præcipua enim causa est influxus sanguinis major, q̃ pars exigit, ubi humor è vasis in spatia jecoris inania effusus ea implet; sanguis verò impact⁹ dũ putrescit & inflañatur, substantiam jecoris labefactat & corrumpit. Causa excitans fluxiones, est

ſanguinis copia aut tenuitas & acrimonia, ac commotio humorum in venis, plerumque ab externis cauſis, deinde quia ratione doloris aut caloris jecur attrahit, vel imbecillitatis fluxiones à toto vel parte concitatas facilè ſuſcipit. Ab his inflammatur rarò totum jecur, plerumque pars gibba, aut cava.

Signa.

Dignoſcitur inflammatio jecoris primùm ex febre continua, quæ noctu potiſſimum affligit, rariùs acceſſiones habet, & eò ſemper ardentior, quò inflammatio Eryſipelatis magis particeps; remiſſior à ſanguine pituitoſo aut melancholico: Quare ratione caloris & febris lingua rubra, aut nigra, aſperaque redditur, ſitis, faſtidium ciborum, nauſea, vomitus, pulſus celer, frequens ac etiam denſus & aliquo modo durus oritur, &c. Deindè tumor & renitentia in ſiniſtro hypochondrio percipitur cum dolore, ſenſuque gravis ponderis hepatis deorſum inclinantis, diaphragma præcordia retrahentis, qualis dolor ad jugulum interdum pertingit propter pleuram, quæ cum diaphragmate divellitur, aut venam cavam, quæ violentius intenditur, oriturque reſpiratio parva, crebra, ac per intervalla magna; tuſſis ſicca, & inanis, his additur coloris corporis mutatio &c. Ubi pars cava inflammatur dolor magis gravans eſt, & ventriculus in conſenſum trahitur, & nauſea, vomitus, ſitis, ſingultus magis affligit, ſi virtus debilis ſit, fluxus hepatis conſequitur. Sin gibba jecoris afficiatur, ob ligamenta, quib⁹ diaphragmati & dorſo alligatur, pectus magis in cōſenſum trahitur, & dolor magis punctorius eſt, ac ad dorſum acutior, reſpiratio difficilior, tuſſis gravior, tumor jecoris contactu facilius deprehenditur, urinæ rufæ ſunt, &c.

Quomodo diſtinguitur inflam

Accidit nonnunquàm, ut muſculi jecori incumbentes inflammentur, quare nonnulli decepti eam jecoris inflammationē eſſe putant; diſtinguuntur

tur

tur tamen, quia jecoris tumor rotundus & circumscriptus ad figurã jecoris est, & major apparet corpore ad sinistrum latus inclinato; minor rursus ad dextrum devoluto; & cutis incumbens naturali modo conspicitur. At musculorum tumor oblongus est juxta musculi longitudinem magisque eminet, cutis incumbens circumtenditur, dolor quidem vehementior, sed febris minor cæteraque symptomata. *matio iecoris & musculorum abdominis.*

Quomodo distinguatur à pleuritide? Deinde ob symptomatum similitudinem à pleuritide jecoris inflammatio non facilè interdum discernitur, verùm in pleuritide dolor magis punctorius est sine sensu magni ponderis in dextro hypochondrio, respiratio difficilior, tussis vehementior non semper sicca, sed ut plurimùm cum sputo colorato, pulsusque durior, magisque erratilis, coloris corporis nulla mutatio, supra oppositum latus facilis decubitus, &c.

Quomodo terminetur inflãmatio? Inflammatio jecoris malum gravissimum & periculosissimum, unicaque spes salutis, virium robur. Terminatur autem sæpè immediatè ad mortem aut in tabem, hydropem, &c. aliquando post concoctionem criticè ad salutem per hæmorrhagiam dextræ naris, sudores, &c. rariùs tota inflammatio discutitur, sæpiùs decussa aut expressa parte tenuiore materiæ, in scirrhũ terminatur, ut mox dicetur. Non rarò inflammatio in abscessum aut suppurationem vertitur; ex quo disrupto pus exit.

Abscessus iecoris. Suppuratio autem quando fit, febres & dolores augentur, rigores nullo ordine fiunt, &c. quæ confecto pure se remittunt; sed vires multo debiliores relinquntur. Disrupto abscessu pus confertim effluens, ubi vires valdè debiles sunt, subitam mortem affert, sin non ita debiles & abscessus in cava jecoris ruptus sit, per alvum & vomitum pus magis profunditur, in gibba per urinas potius, ac post ru-

ptum abscessum ulcus insanabile ferè relinquitur.

Vlcus iecoris. Oritur etiam jecoris exulceratio interdum citra abscessum ex erosione & colliquatione substantiæ jecoris ab humore acri bilioso, corrupto aut venenato. Hanc affectionem Archigenes teste Aëtio colliquationem hepatis vocavit, in qua venter cruenta & saniosa excernit, his similia, quæ ex hepatis abscessibus promanant, aut ex mortuorum cadaveribus, quare quidam inexperti hanc passionem dysenteriam suspicati sunt, verùm dolor circa loca ulcerosus est, ad claviculam pertingens: Periculosa affectio est, sanguis vitiosus generatur, vires dejiciuntur, corpus atrophiâ laborat, sive non alitur aut colliquatur, aut verè contabescit, aliquando hydrops insanabilis subsequitur.

Scirrhus hepatis. Tandem post lienem nullum viscus magis scirrho infestatur, quàm jecur, quod quasi sanguinem lutosum contineat; scirrhus autem duplex est, unus exquisitus, tumor durus renitens doloris expers, ortus à melancholico succo impacto & concreto in substantia jecoris; alius minus exquisitus tumor durus quidem, sed nec planè renitens, nec sensus expers, genitus, sæpè à pituita crassa, viscida, interdum ab alio humore impacto, & concrescente in substantia jecoris. Gignitur autem scirrhus aliquando sponte post validas obstructiones ex humore crasso, qui interdum sensim coacervatur in jecore, plerumq; confertim à venis influit in vacua jecoris spatia, ubi exiccatur absumptaq; tenuiori parte concrescit & induratur. Deindè, ut diximus, relinquitur scirrhus ex inflãmatione dupliciter, uno modo dum discussis partib⁹ tenuioribus à flammeo calore inflammationis, vel errore medici ab exiccantibus & digerentibus, pars crassa relinquitur, sive sanguis impactus exiccatur & crassescit, naturamque melan-

melancholiæ acquirit. Deinde errore medici, quando urgente inflammatione immodicè refrigerantibus & repellentibus utitur, à quibus non modo per expressionē humores veluti concrescunt, sed etiam calor nativus ita labefactatur, ut alimentum proprium digerere nequeat, & humores quasi congelatos relinquat. Consistit scirrhus ut inflammatio in parte gibba vel cava. Verùm scirrhi sponte aut initio orientes frequentiores fiunt in cava, quæ injuriis crassorum alimentorum magis patet, & sanguinem magis crassum continet. Scirrhi verò per transmutationem inflammationis, in gibba parte potius oriuntur, quod ea pars exposita sit magis externis refrigerantium & exiccantium injuriis.

Signa scirrhi.

Scirrhus ut inflammatio situ & figura visceris circumscribitur, sed scirrhus cum febre non accedit, nec evidenti dolore, tumor tamen multò durior, quàm in inflammatione tangenti se prodit, corpore erecto & in dextrum latus inclinato, præcipuè si non adsit hydrops, decubitus dexter facilior, quàm sinister, coloris mutatio ad nigredinem pallore permixtam, corpus consumitur, superiores partes graciles redduntur, pedes intumescunt. Diuturnus hic morbus est, qui tandem ad hydropem insanabilem ægros deducit, verùm nonnulli quasi labascentes diutius vivunt, aliqui citius intereunt, illique præcipuè quibus per alvum liquida copiosè fluunt, ob angustiam vasorum in cavo jecoris.

Vitia partium ministrantium iecori.

Atque hi sunt præcipuè morbi jecoris, quibus vires ejus labefactantur, aut impediuntur. Læduntur etiam functiones jecoris per consensum aliarū partium, ut cordis, quia calor influens deficit, vel immodicè augetur, &c. Præcipuè verò quia destituitur utili ministerio ventriculi, tenuium intestinorum, & venarum meseraicarum, ex defectu

defectu aut prava qualitate chyli ex quo in jecore sanguis generatur, vel vesiculæ fellis, lienis, renum, ob suppressam evacuationem excrementorum ipsius hepatis.

Læsio sanguificationis ex consensu ventriculi vitio chyli.

Ex defectu autem sive inopia chyli cujus pars utilior per venas meseraicas à jecore attrahitur, sanguis debita quantitate non generatur. Deindè à vitioso chylo, pravusque vitiosusque sanguis oritur. Nam secunda concoctio non perfectè emendat primam, sicut nec tertia secundam. Defectus chyli sive materiæ sanguinis in jecore fit, quando in ventriculo non justa quantitate gignitur, vel ad intestina tenuia descendit, ut in præcedente capite dictum est, vel quia per venas meseraicas non distribuitur attractrice ipsarũ, vel labefactata à gravi intemperie potissimum frigida humida, vel impedita, ab obstructione, à crassis humoribus infarctis, aut compressione à tumore mesenterii vicinarumque partium, vel frustrata, vitio chyli, quando ita crassus & viscidus est, ut attrahi, & per venas ad jecur distribui nequeat. Deinde chylus pravus redditur interdum à prava ipsorum ciborum assumptorum qualitate, plerumq; quando in ventriculo corrumpuntur, &c. ut in præcedente capite dictum est.

Vitia venarũ meseraicarũ.

Symptomata cystis fellis.

Secundò functio cystis fellis est à bilioso excremento jecur sanguinemque evacuare sive bilem attrahere debito modo & retinere, & ad duodenum intestinum expellere. Læditur hæc actio, ubi nihil aut parum bilis à jecore attrahit & suscipit, vel ad duodenum expellit, aut depravato modo evacuat.

Morbi cystis fellis causaque symptomatum.

Abolitæ & debilis functionis causa est insignis intemperies vesiculæ & vasorum vim attractricem à jecore, & expultricẽ ad intestina labefactans, deinde angustia ductus vel à jecore, & tum vesicula vacua est, vel ad duodenum, & tum plena est; orta à craſ-

à crasso viscido humore infarcto, vel calculis in vesicula genitis ex crassâ bile concrescentibus; vel à magna bilis copia vesicam distendente, ut sese contrahere, & expellere nequeat; aliquando ob compressionem ex tumore jecoris vicinarumque partium incumbentium. Suppressâ hac evacuatione per alvum, bilis cum sanguine in totum corpus distribuitur, & icterus oritur, urinæ flavæ, rufæ crassæque redduntur, adeò ut nigrescant, alvus pigrior est, feces albicant,&c. Depravata sive immodica bilis evacuatio, fit ab expultrice cystis fellis proritata à copia aut magna acrimonia bilis. Vesicula autem vehementiùs stimulata interdum omnem ferè bilem violenter propellit ad intestina, aut ventriculum,& biliosas diarrhæas,dysenterias,vomitus,&c. concitat, aliquando in jecur & venas eructat, ac icterum quoque efficit,ut infra latiùs dicetur.

Officium Lienis.

Tertiò correspondent jecoris & lienis symptomata, & similibus morbis infestantur. Munus autem lienis est fœculentum sanguinem à jecore attrahere, elaborare & concoquere, ut meliori parte nutriatur, tandemque reliquum ad ventriculum & intestina expellere. Læduntur hæ functiones, ut aliæ omnes,tripliciter; morbi Lienis,causæ læsionis, sunt intemperies, quæ vires labefactant ac morbi compositionis,qui functiones impediunt nimirùm obstructiones, tumores, ut inflammationes,scirrhi, &c. tandem ulcera; adduntur excrementorum vitia,crassities, visciditas, copia, acrimonia,&c.

Symptomata & morbi.

Causa symptomatum.

Excrementum autem melancholicum in jecore relinquitur sive à sanguine nō segregatur, si lien nihil,aut minus quàm par est attrahat,ipsa attractrice lienis debilitata, ab insigni intemperie potissimùm frigidâ,humida,aut impedita,angustia meatuum & venarum, aut ob tumorem lienis ac ipsius excrementi crassitiem, tenuitatem. Aliquando de-

pravatè

pravatè sive majorem sanguinis copiam, quàm par est, attrahit, ob calorem, aut dolorem, humorumq; tenuitatem, undè lienis inflammatio, &c.

Symptomata consequentia læsionem functionũ Lienis.

Humor verò melancholicus in jecore detentus, calorem ejus nativum debilitans hydropem gignit; per venas distributus, febres quartanas, melancholiam, &c. in habitu corporis, scirrhos exquisitos; in cutem effusus, Icterum nigrum; si aduratur scabiẽ, lepram, cancros, &c. Deindè læditur concoctrix lienis, ubi succus melancholicus à jecore attractus non sufficienter elaboratur, & concoquitur, ob debilitatem alteratricis ex intemperie frigida, &c. aut corrumpitur & aduritur ab intemperie calida, inflammatione, &c. Tertiò vitiosus humor in ipso liene præter naturam retinetur, expultrice vel debilitata ab intemperie, vel impedita ab angustia meatuum aliove morbo instrumentali. Humor verò in liene diu retentus vasa ejus obstruit, undè melancholia hypochondriaca, plerumque è vasis in substantiam ejus effusus tumorem gignit, à quo facultates lienis debilitantur, corpus melancholico humore repletur, &c. Quarè apud veteres vulgatum adagium fuit, ut ait *Gal. 2. de Nat. Fac.* quibus lien florescit, id est, intumescit, his corpus tabescit, pravisvè humoribus inquinatur, sicut vice versa, quibus corpus florescit, lien tabescit, sive imminuitur. Præterea humor vitiosus à liene quandoque depravato modo expellitur, aut ad non propria loca, ut cum in venas meseraicas, & loca circa ventriculum effunditur, ubi detentus corrumpitur, & per ebullitionem evaporans, ventriculum subvertit, flatulentos ac tetros vapores sursum ad cerebrum mittit, deliria melancholica sive hypochondriacam melancholiam producit, aliquando humor vitiosus magna copia in ipsum ventriculum protruditur, qui si acidus fuerit caninam appetentiam, si adustus vomitus

vomitus pernitiosos humoris atri excitat, interdum in intestina propellitur, qui si adustus fuerit, dysenteriam lethalem, sive cancrum intestinorum incurabilem efficit.

Morbi lienis. *Intemperies.* Affectus proprii lienis, qui functiones ejus lædunt, sunt, ut diximus, primùm intemperies omnis generis, quamvis simplices, & sine materia non animadvertantur, nisi ita increverint, ut functiones manifestè labefactent; quæ dignoscuntur, ut jecoris intemperies, frequentissimè lien frigida humida intemperie laborat, ex consimili diæta, usu aquarum palustrium & stagnantium, &c. Nam lien magis frigidis morbis obnoxium est, quàm hepar, ac sæpius obstructione & scirrho infestatur: ob melancholicum succum, quo nutritur, & qui difficulter purgatur, ac substantiam laxam fungosam, quæ humiditates facilè imbibit. Ex intemperie vires lienis labefactante, melancholici humores in primis venis & in toto corpore coacervantur, obstructiones, tumoresque lienis oriuntur, corpus colore nigro & plumbeo inficitur, &c.

Angustia lienis. Deinde accidit lieni vasorum angustia præcipuè obstructio, ex melancholico humore venis aut arteriis infarcto, qui à liene non expurgatur, adveniens cum levi tensione & gravitate sinistri hypochondrii, &c. Oritur etiam angustia per compressionem vasorum à tumore lienis, aut constrictionem ab astringentibus, &c.

Tumores lienis. Præterea infestatur lien variis tumoribus, quorum unus laxus non renitens est œdemati similis situ & figura visceris circumscriptus, ortus propriè ab humore crudo aquoso substantiæ ejus impacto, fit etiam tumor initio quidem laxus ab humore melancholico, sed qui sensim induratur.

Secun-

2. *Inflatio lienis.* Secundò inflatio lienis eſt tumor ex vapore flatulento lieni incluſo, genito ob debilitatem caloris,& ſuccos aut cibos flatulentos,vel in ipſo liene,vel in ventriculo, à quo in lienem poſtea transferuntur. Hinc tenſio magis, quàm gravitas aut durities ulla percipitur, dolor major & acutior,quàm in obſtructione & ſcirrho. Nam ubi dolor vehemens excitatur, aut erit à flatulento ſpiritu in anguſto loco intercepto, aut ab inflammatione, ſed hæc duo febris diſtinguit.

Inflāmatio. Tertiò inflammatio lienis eſt tumor calidus dolorificus ex ſanguine impacto & putreſcente in ſubſtantia lienis. Cauſæ eædem ferè, quæ in jecoris inflammatione; verùm ſanguis qui influit rariſſimè aut nunquam purus eſt, plerumque craſſus melancholicus, aliquando bilioſus aut aduſtus; igitur inflammatio lienis raró,aut nunquam eſt phlegmone exquiſita, plerumque notha, ut phlegmone ſcirrhodes aut ſcirrhus phlegmonides, interdum eryſipelatodes,&c. dignoſcitur ex tumore duro,ſitu,figura lienis circumſcripto, tenſione, gravitate ſiniſtri hypochondrii, dolore vehementi & febre continua, quæ per quartum diem plerumque acceſſiones habet & aliis ſignis, ut in inflammatione hepatis. Terminatur quoque ut jecoris inflammatio,aliquando critice per hæmorrhagiam ſiniſtræ naris; aliquando in abſceſſum ex quo diſrupto, pus magna copia profluit, ulcusque relinquitur; ſæpiùs verò,quàm jecur in ſcirrhum deſinit.

Scirrhus lienis. Qui ſcirrho lienis laborant ab Hipp. σπληνώδεις vocantur, oritur autem ſcirrhus lienis, ut jecoris dupliciter; uno modo ſponte ex humore melancholico è venis effuſo & concreto in ſubſtantia lienis, verùm plerumque à tumore laxo minusque duro incipit, qui ſenſim concreſcit & in ſcirrhum

rhum obdurescit. Deinde oritur non rarò ex inflam̃atione lienis, tenuiorib⁹ partibus discussis, aut expressis ut in scirrho jecoris dictũ est. In hoc affectu ipse tumor sitũ & figurã lienis retinet, prorsusq; durus est, cum tensione & magna gravitate comprimente diaphragma, unde difficultas aliqua respirationis præcipuè cum acclivia loca scandunt, dolor ad sinistrum jugulum interdum pertingens, corpus sublivido aut plumbeo colore inquinatur, concoctio ventriculi vitiatur, flatus copiosi gignuntur sursum deorsumque cum murmure erumpentes, In progressu vires debilitantur, metus, mœstitia & ignavia oboritur, sæpeque hydrops, gingivæ interdum corrumpuntur, ulcera prava in tibiis nascuntur, &c.

De vitiis renum & vesicæ sequenti capite dicetur. Consequens nunc est ut causas nonnullorum præcipuorum symptomatũ explicemus, quæ morbos jecoris partiumque ministrantium consequuntur; Ac primùm cachexia latè sumpta & εὐεξίᾳ opponuntur, ac ut bonus habitus omnibus partibus sanis communis est, ita malus habitus ab omnibus malis propagatur. Verùm cachexia propriè dicta est universi habitus corporis prava dispositio seu inflatio & subtumiditas malusque color corporis, procedens ex errore nutritionis vitio sanguinis potissimùm. Nam causa primaria, est cacochymia sive sanguis vitiosus, qui sub halitus specie partibus perfectè agglutinari & assimilari nequit, qualis sanguis in cachexia est frigidus crudus, pituitosus aut aquosus, non propriè biliosus aut melancholicus ex quo icterus & cacotrophia potiùs, quàm cachexia oritur, licet sæpè aliquid melancholici aut biliosi succi affluat; secundaria causa est intemperies totius habitus corporis frigida humida contraria à

Cachexia.

Causa cachexiæ.

longo morbo, & propriè ex redundantia frigidi pituitosi, aut aquosi sanguinis, quem partes solidæ elaborare & digerere nequeunt, sed eas potius alterat & copia inflat. Sanguis autem crudus generatur, ob debilitatem caloris nativi, primùm jecoris, deinde ventriculi, aliorumque viscerum, ac vitio quoque ciborum, ob debilitatem caloris ventriculi, & cibos frigidos difficilis concoctionis. Unde chylus crudus, ex chylo crudo sanguis quoque crudus generatur. Nam secunda concoctio primam perfectè non emendat. Debilitatur calor nativus, primùm à frigida intemperie, deindè quia vehementer dissipatur immodicis evacuationibus, longo morbo, &c. aut opprimitur consueta aliqua evacuatione omissa, nimia repletione, tumore, obstructione, &c. Quare consequitur cachexia febres longas & pituitosas, obstructiones, & scirrhos jecoris & lienis, morbum gallicum malè curatum, vel diuturnos fluxus alvi, immodicos fluxus sanguinis per uterum, hæmorrhoidas, vulnera, &c. suppressionem menstruorum, urinæ, ac in summa omnes affectus, qui calorem nativum jecoris debilitant, ita ut pro sanguine bono pituitosus, serosus multis excrementis permixtus generetur. Affluunt excrementa interdum biliosa melancholica corrupta ex impuritate viscerum, præcipuè jecoris & lienis à scirrho, obstructione, aut corruptione substantiæ visceris aut humorum, cujus perpetua affusione sanguis vitiosis excrementis redundat.

Morbi ex quib. oritur cachexia.

Signa cachexia.

Sanguis vitiosus in habitu corporis, quia non digeritur, partes solidas sua copia inflat, sive in tumorem œdematosum attollit, easque relaxat, emollit, colorem nativum corporis in eum mutat, qui cum virore albescit, pallescit, aut livescit, interdum si affluat, bilis flavescit: in progressu membra invalida redduntur, cibi fastidium oritur, respiratio

ratio rara & debilis evadit, pedes vesperè intumeſcunt, & palpebræ à ſomno, urina & ſudores pauci ſunt ob aquoſam humiditatem retentam, &c.

Ut imbecillitas jecoris via ad cachexiam eſt, ita cachexia ad hydropem.

Hydrops.

ὕδρωψ & ὕδερος Latinis aqua intercus ſumitur aliquando pro ſymptomate excrementi præter naturam retenti in habitu corporis, ortum habentis ex ſanguificatione debilitata vel proſtrata, cujus vitio ſuccus, quo partes alendæ ſunt, in materiam nutritioni ineptam, ut ſanguinem pituitoſum, aut ſeroſum humorem, aut flatus degenerat, quæ partibus ſub halitus ſpecie agglutinari & aſſimilari nequit, ſed ob debilitatem expultricis detenta eas in tumorem attollit: ſæpè pro morbo ſumitur, & tum definitur tumor totius habitus corporis aut ventris, procedens à labefactata virtute ſanguifica, ob debilitatem caloris nativi jecoris venoſique generis ex materia nutritioni inepta, quæ partibus affluens non agglutinatur, nec expellitur. Dico tumorem toti⁹ corporis aut ventris, quia in omni hydrope non intumeſcit totius corporis habitus, ſed in anaſarca tantum, in tympanitide ſolùm venter, ac etiam in aſcite; ubi verò in aſcite ad fœmora & pedes tumor interdum producitur, tùm ut ſtatuit Aëtius hydrops componitur ex aſcite & ſarcitide ſive anaſarca, alii tamen ſub Aſcite propriè comprehendunt. Deindè dico, labefactata vi ſanguifica, &c. quia primaria cauſa hydropis ſicut cachexiæ, eſt ſanguis vitioſus nutritioni inept⁹, ſcil. pituitoſus, aquoſus aut flatulentus, genit⁹ ex debilitate concoctricis jecoris, ut mox dicetur, quem ob alienã qualitatem & copiã partes non agglutinant, nec digerunt, neq; etiam à ſe expellunt. Oritur quidem hydrops ut vult Paulus, ac etiam *Gal. 3. de Sympt. cauſ. cap. 2.*

Definitio hydropis.

ex colliquatione corporis aut ſuccorum in ſeroſam ſaniem, ſed hæc ſpecies rariſſimè accidit, & notha hydrops videtur.

Species hydropis tres præcipuæ. *1. Anaſarca.*

Species hydropis tres præcipuæ ſunt materia differentes, quarum una ἀνασάρκα, ὑποσάρκα, σαρκίτης & λευκοφλεγματίας vocatur, quæ propriè eſt tumor totius habitus corporis & ventris, ortus ob errorem facultatis nutrientis, à debilitate ſanguificationis ſive alteratricis jecoris, ex ſanguine pituitoſo, qui partibus non agglutinatur, nec aſſimilatur. In hoc malo pituita alba copioſa per corporis habitum diſſeminatur, interdum intra carnem & cutem, aut circa carnem colligitur, ut inſtar ſpongiarum univerſa caro perhumida prorſus appareat.

2. Aſcites.

Altera ἀσκίτης vocatur, quòd totus venter ab aquoſo humore repletus utrem aqua plenum repræſentat, hæc propriè eſt tumor totius ventris aliquando ſcroti & fœmorum, pedumque ex ſeroſo humore defluente plerumque inter peritoneum & inteſtina, rarius intra peritoneum & externam abdominis cutem.

3. Tympanitis.

Tertia τυμπανίτης dicitur, quòd ventre manibus percuſſo tympani percuſſi ſonum imitetur, aliquandò ſicca hydrops vocatur, hæc tumor ventris eſt à flatibus intra peritoneum & inteſtina collectis. Initio ſola inflatio eſſe videtur, deindè flatus inſpiſſatur & quaſi nubilus redditur, atque ita cum flatu, quaſi nebuloſus humor congregatur; aliquando ſeroſus humor affluit mixtaque affectio oritur.

Hydrops ex colliquatione.

Additur, ut diximus, hydrops ex colliquatione corporis & ſuccorum in venis, quando multa ſanies ſub cute colligitur. Nam in colliquatione id quod colligitur, interdum tenue eſt, & per ſudo-

res excernitur, aliquando crassum, & ad ventrem relegatur, unde diarrhæa συνληκτική, sæpè serosa sanies est, quæ à renibus, si sani sunt, attrahitur: si non attrahatur, oritur hydropis species, quæ à Paulo sub anasarca continetur.

Causa hydropis. Illarum trium causa primaria est, ut diximus, error sanguificationis ob debilitatem caloris nativi jecoris. Debilitatur calor nativus à contrario frigore, frigidoque morbo, deindè quando cum spiritu calor nativus dissipatur, & dissolvitur immodica sanguinis evacuatione per hæmorrhoides, uterum, nares, vulnera, diuturno alvi profluo, item inflammatione jecoris, febri valida, substantiam virium exhauriente, longo morbo, &c. Tertiò si suffocetur, aut opprimatur nimia humoris copia virtutem jecoris obruente, coacervata ex pleniore & inordinata victus ratione, suppressione consuetæ alicujus evacuationis per uterum, alvum, urinas, sudores, hæmorrhoides, &c.

Morbi iecoris. Morbi hepatis, unde hydrops immediatè & præcipuè oritur, sunt intemperies frigida, obstructiones, scirrhus & abscessus, ulcera. Intemperies autem frigida interdum primaria, sæpè secundaria est. Nam origo mali non semper incipit à jecore, sed plerumque ab aliis partibus vehementer refrigeratis, quæ hepar in eandem dispositionem deducere valent: afficitur enim sæpè jecur liene refrigerato, scirrho obstructionibus affecto, aliquando ventriculo affecto, & intestinis, præcipuè tenuibus, in lienteria, cæliaca affectione, dysenteria, &c. pulmonibus ex orthopnæa, phthisi: renibus refrigeratis, & ita debilitatis, ut serum non sufficienter attrahant, similiter septo transverso, utero ex scirrho, immodico fluxu, aut suppressione menstruorum, &c. In his omnibus ex sola jecoris refrigera-

tione incipere solet hydrops; pòst plerumque obstruitur, tumorem præter naturam contrahit. Accidit etiam hydrops ex acervata frigida potione sudante corpore, & ab omnibus morbis, à quibus cachexia. Debilitato calore nativo jecoris venosique generis sanguis pituitosus, serosus aut flatulentus gignitur.

Anasarcæ causæ. Particulatim in Anasarca jecur per se initiò minus afficitur, ipsumque malum plerumque originem sumit ex copia humoris pituitosi in venis, quam ob suam debilitatem, aut materiæ vitiosæ copiam emendare nequeunt: unde partes, quia id, quod attrahunt, non agglutinant, nec evacuant, totius corporis habitus in tumorem mollem, laxumque assurgit, corpusque colore pallido aut subalbido emortui instar apparet.

Ascitis causæ. In Ascite plerumque malum incipit à jecore & venoso genere ex debilitate non tantùm concoctricis, sed etiam virtutis expultricis, quæ serosum humorē à sanguine non secernit ob debilitatem caloris nativi, aliquando ex imbecillitate vasorū emulgentium, & renum, undè sanguis serosus, impurus redditur, & ad membra alenda inidoneus; repletis seroso sanguine primis venis, aliquid instar roris sensim in peritoneum defluit, aliquando per cœcas vias ipsæ venæ serosum humorem in capacitatem ventris transfundunt, unde totum abdomen paulatim intumescit, sæpè scrotum, pedes, omnesque inferiores partes. Ex seroso humore circa jecur & intra peritoneum, interdum hydatides sive vesiculæ, aqua plenæ oriuntur, ex quibus ascites, quæ per fluctuationes quasdem inæquales deprehenduntur, & certo loco quasi circumscriptæ sunt. Fernelius serosum humorem defluere in capacitatem abdominis arbitratur, solutâ continuitate jecoris aut vasorum. Verùm tùm unà cum seroso humore ali-

aliquid sanguinis unà influeret, quod fieri non solet. Colligitur serosus humor potissimùm inter peritoneum & intestina: aliquando inter peritoneum & externam abdominis tunicam; deindè ad inferiora decumbit: interdum in pectus portio aliqua erumpit.

In tympanitide à ventre & intestinis magis incipit malum, & desinit in jecore: undè *Galen. 3. de sympt. caus. & 11. Aphor. sect. 5* videtur tympanitidis causam ventriculo asscribere. Nam consequitur plerumque inflationem, aut tormina ventris, quæ nec naturâ, nec medicamentis solvuntur: flatus verò debilitatem ventriculi & intestinorum, ut supra demonstratum est. Colliguntur autem flatus inter peritoneum & intestina, totumque abdomen distendunt sine gravitate: aliquandò cum flatibus aliquid serosi humoris intra capacitatem abdominis coacervatur, mixtaque affectio oritur. *Causa Tympanitidis.*

Signa communia hydropis sunt tumor ventris, vitiatus color, ciborum fastidium, potionis appetitus, maximè in ascite ob salsum serosum humorem putrefactum, ex quo febris lenta, quæ hydropem sæpè consequitur. In anasarca tota corporis moles intumescit, ut diximus, pulsus magis undosi sunt; in cæteris ventre intumescente, superiores partes magis extenuantur: In ascite tumor ventris variato corporis situ mutatur; in tympanitide non, &c. *Signa.*

Icterus Latinis Arquatus & morbus Regius, symptoma est facultatis excretricis, ac etiam qualitatis corporis mutatæ, & duplex constituitur à medicis: unus propriè dictus symptoma excretricis biliosi humoris: alter impropriè dictus, & cum adjectione Icterus niger, symptoma excretricis *De Ictero eiusq; causis & differentiis.*

melancholici humoris. Icterus propriè dictus, est fœdus corporis color, citrinus, pallidus, &c. productus ex effusione biliosi humoris per summa cutis, ex debilitate interdum attractricis, plerumque expultricis non segregantis, aut non propellentis bilem per debitas vias, aut transmutatione alimenti in bilem.

Causæ Icteri. Causa immediata coloris vitiati est humor biliosus per summas cutis partes diffusus, qui plerumque citrinus, aut pallidus est, rarissimè porraceus, &c. Diffunditur autem in cutem præcipuè quando à sanguine non segregatur, aut propellitur propter nimiam biliosi humoris copiam, aut quia vis expultrix jecoris infirma est, aut attractrix vesiculæ fellis à jecore, & expultrix ad duodenum intestinũ debilitatur aut depravatur, id est, non naturali modo, aut per alienas vias expellit irritata facultate.

Ac primùm oritur Icterus, ubi major bilis copia generatur, quàm cystis fellis attrahere & suscipere queat, 1. ob calidam intemperiem jecoris & alimenta calida, quæ in biliosos humores facilè convertuntur, aut ob ferventem jecoris inflammationem, cujus vi sanguis in bilem mutatus per venas in totum corpus distribuitur. Deindè fit etiam interdum Icterus ex calida solidarum partium intemperie, dum id quod ratione alimenti iis offertur, in bilem transmutant. Tertiò ex morsu venenatæ bestiæ, ut viperæ, aut veneno assumpto, sanguinem alterante & substantiam corporis transmutante in colorem porraceum, citrinum, &c. IV. oritur Icterus, quando jecur bilem à sanguine non segregat, & separat; aut ad cystin fellis non expellit, ob intemperiem substantiæ vim secretricem & expultricem debilitantem, aut ob angustiam meatuum & ductuum ex jecoris substantia in vesiculam fellis,

quæ

quæ vel obstructio est à crassis humoribus infarctis, vel compressio à scirrho aliovè tumore jecoris. V. fit etiam arquatus ex debilitate virtutis vesiculæ fellis bilem à jecore non attrahentis, aut à se ad duodenum expellentis, ob intemperiem substantiæ ejusdem, deinde ob angustiam ductus, seu meatus ad duodenum, quæ plerumq; obstructio est à crasso humore, calculo, &c. aut compressio à tumore partium incumbentium, ut supra dictum est. Tandem gignitur repentè Icterus bile ab interioribus partibus in cutem effusa, facultate expultrice concitata vel à natura, ut in crisibus febrium biliosarum potissimum: vel symptomaticè vesicula fellis ad expellendum concitata à copia, magnaque acrimonia bilis, dum eam in jecur & venas eructat, ut suprà de affectibus vesiculæ fellis dictum est.

Icterus niger. Deinde Icterus niger est sublividus, aut niger totius corporis color procedens ab effusione melancholici humoris in summam cutem. Humor iste melancholicus est, qui à liene naturaliter attrahitur & expurgatur, ejusque tenuior portio, interdum etiam melancholia adusta. *Causæ.* Diffunditur autem in cutem, ut flava bilis, quando facultas jecoris à sanguine segregare, & per venas ad lienem eum expellere nequit. Deindè quia ipsa facultas attractrix & expultrix lienis debilis est, ob intemperiem, aut impedita, propter obstructionem, scirrhum, aliumvè tumorem, aut viæ & venæ obstructæ sunt, per quas à jecore attrahitur, aut à liene propellitur: aliquando quia melancholicus humor in habitum corporis, irritatâ natura, copiâ aut qualitate humoris propellitur.

Signa causarum. Signa communia icterorum, coloris corporis mutatio, album oculorum, malæq; pallorem, aut livorem ostendunt, venæ sub lingua replentur, difficultas motus & pigritia, ac pruritus corporis comitatur,

tatur, cibos dulces magis, quàm acidos & amaros aversantur, multis imaginationibus moventur. Particulatim in Ictero flavo, urinæ flavæ, rubræ, turbatæ sunt, quibus autem ratione bonæ crisis in febribus oritur, iis feces & urinæ naturali modo se habere videntur, ac eo adveniente cessat febris, quibus verò cum febre & biliosis dejectionibus alvi, invadit, si in dextro hypochondrio sit gravitas & dolor, causa Icteri erit jecoris inflammatio, si sine gravitate, calida jecoris intemperies, copia bilis, &c. quandò paulatim oritur, fecesque naturali modo se habent, intemperies calida solidarum partium; quibus citra febrim alba excrementa dejiciuntur, si nulla adest gravitas, aut tensio dextri hypochondrii, existimandum vires secretrices jecoris infirmas esse, aut attractricis & expultricis cystis fellis ab intemperie: sin cum sensu gravitatis & tensionis, angustiam aliquam vesicæ fellis, & meatuum esse, &c. In Ictero nigro, ut in citrino dignoscitur causa ex excrementis, febre, gravitate sinistri hypochondrii, &c. urina magis nigra, aut sublivida est, &c. si humor sit adustus graviùs afficiuntur, mordacitas circa ventrem oritur, difficultas respirationis, cibos aversantur, tristitia multisque imaginationibus infestantur, feces colorem chalcanthi referunt, &c.

Scorbutus Ictero nigro affinis est affectio locis nonnullis, & nautis imprimis familiaris, quam Plinius Sceletyrben & stomacacen vocavit, recentiores scorbutum, aliqui gingipedium à gingivis & pedibus corrupto sanguine infectis, & ad magnos lienes Hipp. referunt, eorumque symptoma videtur.

Descriptio Scorbuti. Nam propriè videtur scorbutus prava quædam nutritio, aut vitiosus corporis habitus, sæpè cum crurum debilitate & maculis, gingivis tumidis & sanguinolentis, nautis populisque nonnullis mari-

timis

timis familiaris, proveniens à melancholicis corruptis humoribus ex vitiosis alimentis in jecore genitis, qui à liene affecto non attrahuntur & expurgantur, sed in corpus distribuuntur. Afficitur autem lien in hoc malo plerumque obstructione aut tumore aliquo: Lien obstructus aut ex crassis humoribus intumescens à jecore fœculentum excrementum attrahere nequit, quare cum sanguine per venas distributus, corporis habitum labefactat, tabida quadam corruptione inquinat, &c. Nam ex hoc corrupto humore crura cum dolore debilitãtur, ut vix ægri interdũ cõsistere queant, multisq; maculis rubris purpureis nigris variegatis inficiuntur, aliquando etiam brachia, aliæque partes, gingivarum tumor & corrosio, dentium laxitas, oris graveolentia, difficultas respirationis, aliquando febris lenta, tabida, &c. consequitur. Humor iste vitiosus pravam qualitatem magna ex parte contrahit ex prava qualitate alimentorum, quam jecur aut ventriculus non corrigit, sed viscera potius inquinat, cujus generis sunt primùm, aquæ corruptæ stagnantes palustres crudæ, defectus aquarum dulcium; deinde pisces, & carnes salsæ fumo induratæ, rancidæ, crassi succi, legumina, panis submucidus, aut ex mucidis & corruptis frugibus, &c. His additur aëris constitutio calida humida, regio palustris, vigiliæ, curæ, &c. *Symptoma.*

Atrophia, cui opponitur plethoricus corporis habitus, sumitur interdum pro ipso defectu nutritionis, sæpe pro macie aut attenuatione corporis: Macies autem corporis tribus modis oritur, 1. Ob defectum alimenti in venis, ex inedia, immodicis evacuationibus, longo morbo, &c. 2. Ob consumptionem substantiæ corporis, vel subitò à calore colliquante, ut in febribus ardentibus & malignis, vel lentè à siccitate humidum nativum depascente, *Atrophia.*

quæ

quæ affectio marasmus dicitur. Tertiò à debilitata aut deperdita nutritione, quandò partes alimento non fruuntur, hoc modo atrophia propriè dicta oritur, à cæteris non nisi impropriè. Itaque vera Atrophia est macies aut attenuatio corporis, orta à facultate nutriente labefactata non valente frui debito alimento. Attenuatur autem sæpè totum corpus, interdum pars una, ut manus, pes, &c. unde Atrophia alia totius corporis, alia partis. Causa immediata est, quod partes debito alimento non fruantur, vitio proprio facultatis nutrientis, ob gravem intemperiem, calorem nativum debilitantem aut extinguentem, vel vitio alimenti sive sanguinis, quia per venas non distribuitur, propter intemperiem aut angustiam vasorum, aut ad nutritionem aptus non est. Atrophia autem, quæ unam partem obsidet, causa est ipsius partis peculiare vitium, nimirum intemperies calorem nativum debilitans, vel sanguinis vel spirituum defectus, ex interceptione, obstructione, compressione venarum, arteriarum, ac etiam nervorum, ut in paralysi, nam partes resolutæ attenuantur, &c.

Atrophia quid & quotuplex?

Causa.

Atrophiæ totius corporis causa.

Atrophiæ verò totius corporis, causa prima videtur affectus alicujus præcipui visceris, (ut cordis, jecoris, cerebri, ventriculi) calorem nativum cum spiritib⁹ debilitans, obtundens, & extinguens. Facultas autem nutriens in toto corpore, & quæ ei subministrant, læduntur plerumque ab intemperie potiss. frigida, sicca, aliquando à morbo instrumentali, ut angustia vasorum. Nam ob validam intemperiem, calorem nativum debilitantem, vis alteratrix partium alimentum attractum non agglutinat, nec in substantiam corporis convertit, interdum attractrix debitam sanguinis copiam non attrahit; vel retentrix tamdiù non retinet, donec agglutinetur; aliquando simul expultrix irritata copia, aut a-

liena

liena qualitate materiæ, vehementiùs insurgens utilia cum inutilibus expellit, ut in hepatico fluxu. Ratione sanguinis Atrophia nascitur, si ἀνάδοσις sive distributio alimenti per corpus impediatur ex validis venarum meseraicarum,& jecoris obstructionibus,&c. qualis hypochondriacis supervenire solent. Deinde ob pravam qualitatem alimenti, ut partes eo non fruantur, veluti si sanguis in venis, licet copiosus substantiæ bonitate & fibris careat, & biliosus adustus corruptusque sit, & proinde partibus perfectè apponi & assimilari nequit. Oritur quidem Atrophia vi alteratrice infirma, sed non semper, nec uno eodemque modo. Nam ubi attractrix suo munere fungitur, & plus succi attrahit, quam vis alteratrix conficere queat, excrementa copiosa gignit: ac interdum cacotrophiam cum Atrophia, plerumque cachexiam, pro ratione excrementi redundantis inducit: ac etiam hydropem maximè si excretrix facultas imbecillior sit. Nam excretrice infirma caro semper humidior magisq; excrementosa redditur.

Cacotrophiæ causa & differentiæ.

Cacotrophia, seu depravata nutritio propriè est alimenti conversio in alienam substantiã à qualitate, sive naturali proprietate humani corporis, proveniens vitio facultatis alteratricis, aut ipsius alimenti. Vitio autem facultatis alteratricis viscerum partiumque corporis ex intemperie cum substantiæ corruptione in lepra, elephantiasi & similibus facit, ut cibi boni in pravum succum & substantiam convertantur.

Verùm præcipua causa pravæ nutritionis est vitium alimenti. Vocabulo autem alimenti intelligo hîc non verè alimentum, quod partibus apponitur & agglutinatur, sed primum quasi alimentum scil. sanguinem; deinde futurum alimentũ, cibum, qui ab ore in ventriculum recipitur. Nam sanguis

vitiatus pro sua natura varias corruptelas corporisque affectiones excitat. Deinde immutat quidem corpus nostrum cibum & alimentum in suam naturam; verùm ipsi cibi quandoque ob qualitatem alienam, quæ à natura vinci nequit, magnam vim habent ad carnem immutandam, sæpeque, ut in brutis videmus, mutatione locorum & pabuli, corporis habitus imitatur colorem, aliaque accidentia ipsius alimenti, unde cibi alii pituitosi, alii biliosi, alii melancholici dicuntur, quia in talem sanguinem facilè permutantur, qui pro sua natura carnem immutant.

Nam sanguis pituitosus carnem in album colorem transmutat, ad similitudinem carnis testaceorum, si levis error sit alteratricis, & humor cutem tantùm occupaverit, excitantur in ejus superficie maculæ albæ non continuæ ad squammarum similitudinem, quæ ἀλφοὶ vocantur & λεύκην præcedunt: Sin error magnus sit in toto corpore & pituita crassa lenta cutem & subjectam carnem occupaverit, oritur λεύκη: in qua pili eodem colore tinguntur, caro ita transmutatur, ut acu puncta non sentiat, nec sanguinem perfectum emittat, sed aut aquosum, aut loco sanguinis lacteam humiditatem, & tunc insanabilis est, & à nonnullis lepra alba vocatur.

ἀλφοί.

λεύκη.

Lepra alba.

Sanguis melancholicus corpus in nigrum colorem transformat; si levis error sit alteratricis, in cute tantùm maculas nigras excitat, quæ à Græcis μέλας, à nonnullis alphi nigri appellantur. Si magnus sit & humor adustus, acris evadat, cutemque erodat, scabies simplex, si altiùs depascat ψωρὰ ἀγρία & lepra à Græcis nominatur: sin major multò sit alteratricis error & humor adustus maligna qualitate affectus, in toto, elephantiasis; in parte, cancer

μέλας.

cancer oritur. Bilioſus humor in cutem effuſus ἐξανθήματα maculaſque rubeas, aut purpureas efficit,&c. Humor acris, ſeroſus, tenuis,paucus pruritum,cum craſſis permixtus λειχήνην ſeu impetiginem propriè dictam, verùm ſub impetigine communiter dicta comprehendunt nonnulli pruritum, ſcabiem, & lepram, quæ inter ſe magnitudine, forma,& cauſis diſtinguuntur. Nam ut alphi viæ ſunt ad leucen;ita pruritus, ad impetiginem; impetigo, ad ſcabiem; ſcabies, ad lepram; lepra interdum,ad elephantiaſin.

Eſt autem pruritus propriè triſtis ſenſatio deſiderium ſcalpendi excitans, ſine cutis aſperitate & exulceratione, ex tenui, ſalſo, acri, pauco,immoto excremento ſub cute collecto. Deinde lichen ſeu impetigo eſt aſperitas cum levi pruritu,ex tenuibus ſalſis acribus ſuccis cum craſſis permixtis, impetigo ubi faciem & mentum occupat fœdatque, mentagra dicitur. Tertiò ſcabies eſt,major cutis aſperitas cum pruritu, in qua corpus colliquatur & cōſumitur,originem trahens ab acri humore melancholico; aliquando à ſanguine bilioſo ſalſo,craſſo,corrupto,cutem variè depaſcente,ut furfuracea remittat. IV. Lepra eſt magna cutis aſperitas cum gravi pruritu ex multo craſſo acri melancholico humore cutem orbiculatim altiùs depaſcente, ſæpè exulcerante & in ſquammas reſolvente. Hujus duas ſpecies recenſet Celſus, quarum una ſicca eſt, cum majori pruritu,altera humida eſt cum puſtulis multaque ſanie: quidam quatuor ponunt ſola magnitudine differentes, quarum peſſima eſt craſſa, dura, ſubalbida recenti cicatrici ſimilis, altè depaſcens,&c.

Pruritus. *Impetigo.* *Scabies.* *Lepra.*

Ab his omnibus ſpecie & magnitudine differt Elephantiaſis, quæ morbus eſt magnus contagioſus

Elephantiaſis.

giosus ab atra bile maligna qualitate inquinata, totius corporis substantiam immutante; seu est tumor totius corporis cancrosus, valdè contagiosus, genitus ex atra bile venenata qualitate prædita à jecore & liene in totum corporis habitum effusa.

Causa. Venenatam & contagiosam illam qualitatem contrahunt partes & humores, interdum ab utero malo hæreditario ex semine parentum eodem morbo laborantium, aut ut arbitratur Avicenna ex materno sanguine vitiato, si concipiantur fluentibus aut instantibus mensibus. Deinde contagione ex concubitu, contactu aut conversatione cum elephantiacis,&c. Tertiò proprio vitio ex suppressione consuetæ evacuationis per hæmorrhoides,uterum,&c. varicibus cohibitis, interdum ex lue gallica, usu alimentorum crassi succi ac etiam exiccantium, dum obstructo liene humores in atram bilem aduruntur,& per adustionem venenatam qualitatem ascisçunt,ac primùm viscera inquinant,deinde corporis habitum. Nam cum totum affici nequeat, nisi viscus aliquod; initium mali hujus à viscere aliquo erit,præcipuè à labe contracta in jecore aut liene,ubi succus melancholicus naturaliter generatur,aut elaboratur, & expurgatur. Deinde quia sensim humidum radicale invadit,& occupat à corde quoque erit,cæterisque partibus. Quare viscera hac labe inquinata similis qualitatis succos gignunt.

Differētiæ Elephant: Atra bilis,ex qua Elephantiasis,duplex propriè est , quare Elephantiasis quoque duplex à Paulo statuitur, una minus maligna subrubicunda ex humore melancholico adusto , altera magis maligna ex bile flava adusta, in qua corpus pravis ulceribus fœdatur,extremæ partes decidunt , ut cutis digitorum,nasi,&c. membra ad ossa usque eroduntur. Additur tertia species subalbida ex adustione melan-

melancholici humoris cum pituita salsa crassa commixti.

An Elephantiasis sit lepra illa Arabum; quæ tantum describitur tumor pedum cum varicibus, dubitatur. Nam hæc in totum corpus spargitur, & quia cutis hispida, crassa, dura & decolor redditur, facies informis cum tuberculis, ut elephas, elephantiasis vocatur; ob rugarum frontis similitudinem cum leonibus, Leontiasis: ob libidinem & faciem satyris similem, quos Poëtæ fingunt naso simo, labris crassis, auriculis extenuatis, ossibus juxta aures prominentibus, satyriasis. Initio cutis decoloratior est; hinc durior, asperior in facie, manibus, pedibusque potissimùm; torpet sensus, extrema frigent, maximè pedes, capilli defluunt; tenuesque regenerantur, fœtet corpus, musculi pollicis consumuntur, adest cutis spissitudo instar implumis anseris, extuberationes rotundæ duræ sub lingua, circa aures & palpebras, sanguis trombosus, niger, livens, alvi adstrictio, respiratio difficilis, vox rauca, ructus continui, vehemens ad coitum alacritas, &c.

Signa Elephant:

Nomina ex effectib⁹ indita.

Elephantiasi cognatus est morbus contagiosus veteribus aut ignotus, aut non satis accuratè descriptus, qui lues Venerea appellatur, quòd in coitu contagium plerumque communicetur, & quia in Gallorum exercitu Neapoli, Anno 1495. primùm sevire cœpit, ab Italis morbus gallicus vocatur; à Gallis, Neapolitanus; interdum Hispanicus, quod ex Hispanis ex America, ubi Endemius est, credatur in Europam primùm delatus: sunt tamen nonnulli, qui arbitrantur Gallos hac lue omnium primos correptos fuisse ex potione vini ab Hispanis infecti, admixtione sanguinis Elephantiacorum.

Lues Venerea.

Est autem lues venerea morbus contagiosus defluvio capillorum, maculis, tuberculis, ulceribus, & dolore sæviens, genitus ex putrido lento excremento

Definitio Luis.

mento, qualitate virulenta maligna & venenata prædito, aliunde susceptо, plerumque ex impuro concubitu. Causa prima labis hujus est putridum excrementum tota substantia nobis infensum qualitate virulenta maligna & venenata præditum, quod non modò spiritus & humores inquinat, sed etiam partes solidas invadit & corrumpit, ac primùm partes, quibus insidet, contaminat, deinde sensim continuatione quadam etiam per arterias & venas in totum corpus spargitur. Materia autem hujus labis secundum speciem esse poterit quivis humor, aut excrementum lentum facilè adhærens, sed putridum & in qualitatem nostræ naturæ inimicam corruptum.

Causa Luis.

Subiectũ.

Subjectum luis est totum corpus omnesque partes, omnes enim tandem afficiuntur: subjectum ubi fomes mali tanquam in domicilio residet, pars unica non videtur; attamen cum hoc malum ab usu veneris frequentius oriatur, & ex sanguine vitiato ulcera, tubercula, maculæ, &c. oriantur; credibile est ex omnibus visceribus jecur primùm inquinari, & ex jecore affecto crudum aut corruptum vitiosum sanguinem in corpus spargi. Sæpius alias partes venenata qualitas petit, præcipuè caput & artus, quia caput membrũ pituitosum est, & in coitu maximè afficitur. Contrahitur ista perniciosa labes non ex proprio corporis affectu, sed aliundè per infectionem contagionem aut excrementi putridi & venenati communicationem, cujus merito unius affectus alteri communicatur. Contrahitur labes interdum in utero, sæpius post ortum: In utero vel in conceptione ex semine parentum infectorum & imprimis eorum, qui gonorrhæa gallica laborant, ex qua lues maligna; vel in utero post cõceptum, quandò nutritur fœtus sanguine materno infecto. Extra uterum contagione oritur plerumq; ex

ex impuro concubitu, aut viri cum muliere infecta aut mulieris non infectæ cum viro infecto. Nam in cõcubitu dum partes incalescunt, poriq; & meatus aperiuntur, excrementum virulentum facilius in corpus spargitur. Communicatur etiam iis, qui cum infectis dormiunt per sudores; aliquibus per lintea sudore & sanie inquinata, pueris si ex nutrice infecta sugant, & nutrici non infectæ à puero infecto; aliquando per osculum effusius, si salivam inquinatæ ab ore exceperit. Nam hujus veneni vis hebetior est, & ægri solo halitu ut elephantiaci, non inficiunt; deinde virulenta labes, ut diximus, crassiori vehiculo indiget, & partes nisi nudatas, aut valdè laxas, rarasq; non pervadit.

Quatuor grad⁹ aut species luis.

Initio virus, spiritus, & ichores invadere solet, deinde humores, hinc carnosas partes, tandem solidas; Quarè quatuor gradus, & species luis sunt, una levissima est ex veneno consistente in spiritibus aut ichoribus, quando pili capitis & barbæ defluunt tantùm; Altera in sanguine tenuiori virus habet, qua cutis ferè tota multis maculis non extuberantibus conspergitur, nũc parvis lentiginis instar, nunc latioribus & utrisq; flavis rubris, &c. Tertia multo deterior est ubi virtute jecoris debilitata, sanguis vitiosus praviq; humores generantur, & in corpus distribuuntur, ex quibus pustulæ rubræ flavæ & siccæ, circa frontẽ, tempora, in capite, ponè aures, per totũ corpus erumpunt, tubercula ulceraq; oriuntur, tenellæ partes præcipuè ad nares, & fauces exulcerantur &c. Quarta omniũ pessima in qua virulenta corruptio nõ solùm carnes, sed etiam spermaticas partes invadit, membranas, nervos, tendines corrodit, ingentesq; dolores excitat, ossa divellit, exedit, carie consumit gummositates tophosq; parit, &c.

Symptomata luis.

Ex his signis dignoscitur etiam lues gallica. Præter hæc symptomata comitantur morbũ hunc

dolores intensi, fixi noctu & interluniis, ingravescentes in capite, & in mediis articulorum partibus, ex materia collecta intra periostium, ardor urinæ, & si malum sit ex coitu, statim initio gonorrhæa, bubo in inguine, ulcus penis. In progressu ulcera & pustulæ per totum corpus extuberantes, coloris naturalis mutatio in lividum, &c. Hic morbus omnes non æquè affligit, & initio cum oriretur gravior multò fuit, quare nonnulli eum indies inclinari & consenescere arbitrantur.

DE CAUSIS SYMPTOMATUM, QUÆ CIRCA URINÆ segregationem & excretionem contingũnt; seu de morbis & symptomatibus Renum & vesicæ.

CAPUT XIII.

Munus renum & vesicæ.

A Natura duo renes constituti sunt, ad latera venæ cavæ, & arteriæ magnæ, quorum munus est, ut sanguis ad alendum corpus aptior reddatur, per venas & arterias emulgentes serosum excrementum allicere, percolare, & à sanguinis massa segregare, & per ureteres in vesicã transfundere: vesicæ verò est, serosas humiditates paulatim collectas ad commodum tempus excretionis continere, aut ubi copia & acrimonia irritant, locus tempusque oportunum sit, in maribus per colem, in fœminis per uteri cervicem foràs detrudere. Quarè urinæ retentio & excretio, sive mictus, proprium vesicæ munus est, & in seri segregatione ac excretione, cõcurrunt actiones, & naturales & voluntariæ: Nam seri attractio à renibus, & defluxus per ureteres in vesicam, ac

ipsius

ipsius vesicæ à sero influente dilatatio; Deindè dum copia aut acrimonia ad expellendum irritatur constrictio, functiones naturales sunt. Quia verò ad libitum urinam sistere & excernere possumus, actio voluntaria erit, musculo ex arbitrio os vesicæ aperiente & claudente concurrentibus musculis abdominis.

Symptomata Renum & vesicæ. Singulæ harum functionum, ut aliæ omnes tripliciter læduntur, & sub mictus læsione continentur. Mictus autem ut naturalis functio, symptomata sunt 1. abolita urinæ excretio, quæ accidit vesica vel vacua existente, & tum abolita est attractio seri, & defluxio per ureteres, oriturque Ischuria notha; vel plena, & tunc deperdita est functio excretrix vesicæ, quæ Ischuria vera dicitur. 2. diminuta urinæ excretio sive mictus pro ratione assumptorum paucus rarusque accidit debilitatis functionibus renum aut vesicæ. 3. depravata excretio urinæ multiplex est, una ratione quantitatis, immodica urinæ excretio, quæ diabetes dicitur, Symptoma renum, consequens immodicam seri attractionem, & abolitam retentionem in renibus: altera ratione qualitatis non naturalis eorum, quæ excernuntur, ut mictus cruentus, purulentus, pilaris, &c. Tertiò ratione modi non naturalis, qui vel est, quando guttatim exit, undè stranguria; aut cum dolore, ardore, multo conatu, ut in dysuria: Additur his unum symptoma, quatenus mictus est opus animale ratione musculi claudentis orificium vesicæ, nimirùm involuntarius exitus urinæ.

Causæ sympt. Causæ præcipuæ horum symptomatum, sunt morbi renum, ureterum, & vesicæ. *Morbi renum.* Morbi autem renum, sunt primùm intemperies omnis generis genitæ à causis ejusdem generis internis aut externis temperiem naturalē alterantibus, præcipuè calida intemperies, ex qua sensus ardoris in lumbis, *Intemperies.*

ſitis, urinæ copioſæ, diabetes, &c. Deinde frigida, quæ vim attractricem ſeri debilitat, &c. Intemperies, ſi cum humore ſubſtantiæ renum impacto fuerit, tumorem præter naturam excitat. Tumores quibus renes potiſſimum infeſtantur, ſunt inflammationes & ſcirrhi.

Tumores.

Inflammatio renũ.

Inflammatio autem eſt tumor præter naturam calidus ex ſanguine ſubſtantiæ renis impacto; ſanguis ille vel bilioſus, pituitoſus, aut melancholicus eſſe poterit, ſed plerumque tenuis, quod ſubſtantia renum denſa & compacta ſit, quarè inflammatio erit phlegmone exquiſita, vel notha, ſæpius eryſipelatis magis, quam œdematis aut ſcirrhi particeps. Cauſa eſt fluxus ſanguinis in vacua renum ſpatia, eos diſtendens; influit à Venis emulgentibus præcipuè ob calorem & dolorem renum attrahentem, pharmacorum calidorum potionem, contuſionem à calculo, ab ictu, plaga, continua & vehementi equitatione, &c. ubi renes debiles ſunt. Conſequitur inflammationem febris continua, quæ in bilioſa inflammatione major eſt, cum vehementi ſiti, ardore, &c. in pituitoſa minor dolor circa primam lumborum vertebram, ſi ſubſtantiæ renis tantùm inflammetur, gravans, ſi ſimul tunica renis, acutus & tenſivus: Dolor verò ſupra ad jecur vel lienem, infra ad veſicam, lumbos & coxendicem extenditur, & coxa quoque dolore, crus verò ſtupore afficitur, extrema frigent, maximè pedes, laborioſe & aſſiduè mingunt initio aquoſa alba, in quibus nil ſubſidet; aucta inflammatione ſymptomata vehementiora redduntur, ventriculus, jecur, inteſtina, cerebrũ in conſenſum contrahuntur, unde ructus, vomitus, primùm pituitæ, deinde bilis, cardialgia, deliquia animi, alvi ſuppreſſio, ventris inflatio, deliria, &c. poſt primos dies ſi urina in colore ſubſtantia & hypoſtaſi in melius mutetur, aut ſignũ

Symptomata inflammat.

eſt

est inflammationem ad resolutionem vergere, si nõ mutetur, & vires validæ sint in scirrhum aut abscessum tendere, si infirmæ ad mortem.

Abscessus renum. Abscessus autem dum fit, febres doloresque augentur, quæ facta suppuratione se remittunt, manet tamen gravitas, pondusque sentitur ubi supra sanum latus inclinant, ubi pus jam erupturum est, rigores & accessiones inæquales fiunt, hinc pus copiosum erumpit, plerumq; cum urina; interdum per alvum, si eruptio sit versus emulgentia vasa, & renes obstructi sint; aliquaodo rupta tunica renum in ilia & lumborum spatia defluit. Post abscessus ruptionem relinquitur ulcus insanabile: sin inflammatio in scirrhum convertatur, ardor febrilis et dolor mitigatur, sed manet gravitas.

Scirrhus renum. Scirrhus sive tumor renum durus, indolens, oritur ut scirrhus jecoris, vel sponte & per se ex crassis, lentis succis, impactis, & condensatis in substantia renum, genitis ex alimentis crassi, viscidi succi, vel ex inflammatione oritur, tenuioribus partibus à calore exiccatis, aut expressis. Signa ejus sunt gravitas lumborum citra dolorem, ardorem & febrem, nisi inflamationis reliquiæ aliquæ supersint, stupor coxæ partis affectæ cum imbecillitate cruris, urina pauca redditur, aliquando supprimitur, corpus inflatur, ut in cachexia, unde hydrops, &c. *Signa.*

Ulcus renis. Ulcus sive exulceratio renum oritur, vel propter abscessum disruptum, ut jam dictum est, vel ob ruptionem vasis à plenitudine, & contusione ex ictu, plaga, vehementi equitatione, &c. vel propter erosionem, ab acri mordaci humore, ut bilioso, salso, corrupto per renes delato: ut plurimùm ab aspero calculo ibidem genito exedente & conterente. Symptoma ulceris est puris mictus. Pus autem cum urina augetur, non solum ex ulcere renum, sed etiam vesicæ ureterum ac etiam ex- *Symptomata ulceris.*

ex abſceſſu in jecore, pulmonibus, &c. Verùm in ulcere renum urina purulenta cruenta, aliquando fœtida redditur, cum fibris & carunculis rubris ex ſubſtantia renum ſeparatis, dolor in regione renum percipitur; præceſſit vel abſceſſus renum, vel ruptio quæ ex cauſis præcedentibus dignoſcitur & mictu copioſi ſanguinis; vel eroſio, & tum evidens eroſionis dolor in renibus præceſſit à calculo vel humore erodente, &c. Ulcus ſi initio non curetur, ſordidum & incurabile efficitur, unde pus modò albũ, modò mucoſum per urinas defluit, & urina turbida ſero lactis ſimilis redditur, quæ poſtea quiete ſedimentum purulentum & mucoſum deponit.

Morbi conformationis renũ. Præterea accidunt renibus morbi in conformatione, nimirum vaſorum, aut meatuum dilatatio & anguſtia. Ob nimiam etenim vaſorum dilatationem ſine ulla percolatione urina cum ſanguine in veſicam deſcendit: contra, anguſtia, ſeri percolationem & deſcenſum impedit. *Vaſorum dilatatio.* Dilatatio autem & apertio vaſorum oritur à facultate expultrice irritata copia aut acrimonia & tenuitate materiæ, vel tunicis rarefactis, & relaxatis, vel ruptione à copia humorum, aut flatuum diſtendentium à plaga, contuſione vel eroſione ab acri humore plerumque à calculo conterente, ut infra dicetur.

Anguſtia renum. Anguſtia meatuum & vaſorum renis, eſt interdum aſtrictio & compreſſio à cauſis aut externis, veluti ſunt medicamenta aſtringentia, balnea aluminis, ferri, &c. cingulum arctius renes conſtringens: aut internæ, ut renum tumor præter naturam meatus comprimens, præcipuè ſcirrhus & inflammatio: plerumque anguſtia eſt obſtructio à materia cavitatibus renum impacta, quæ vel humor craſſus, lentus, copioſus vitio concoctricis ex alimentis craſſi, lenti ſucci, difficilis concoctionis genitus; interdum pus craſſum ex abſceſſu diſrupto in renib⁹, aut aliis parti-

partibus, vel grumus ſanguinis ex apertione, ruptione aut eroſione vaſis, vel lumbrici in renibus producti ex putredine humorum, ſæpiſſimè arena, aut calculus in renibus concretus, aut in meatus & cavitates renum expulſus.

Generantur calculi in aliis quoque partibus, ut in inteſtinis, pulmonibus, &c. in abſceſſibus, ſed nullibi frequentius, quàm in renibus & veſica, quorum omnium eadem ferè generationis ratio eſt. Calculus autem renum νεφρίτης propriè dicitur, quòd renes graviſſimè exerceat. Sumitur, ut alibi dictum eſt, aliquando pro morbi cauſa, quatenus renes obſtruit, continuum ſolvit, undè dolores ingentes, &c. à Galeno pro morbo in numero aucto toto genere præter naturam; eſt enim corpus tophaceum, aut lapideum præter naturam in renibus, ex materia craſſa, lenta, per exſiccationem à calore præcipuè genitum actiones eorum impediens. *Calculi renum.* *νεφρίτης.*

Cauſa materialis ex qua gignuntur calculi, eſt humor craſſus, glutinoſus terrenæ ſubſtantiæ, qualis primariò eſt pituita craſſa, lenta in renibus, plerumq; cum ſanguine commixta aliquando cum alio humore, vel pure craſſo lentoque. In hac materia, aut par ratio craſſi & glutinoſi eſt, aut major copia craſſi, quàm glutinoſi, aut contra: materia autem quò glutinoſior fuerit, & calor exiccans vehementior, eò duriores calculi producuntur, coloris magis cinerei ſubruffi; alioquin renum colorem ſuccique exuperantis imitantur. Generatur humor ille craſſus lentus ex cruditatibus & alimentis craſſi ſucci, difficiliſque concoctionis, ut caſeus, lac caſeoſum, oriza, panis azymus non bene coctus, carnes veterum animaliũ, piſces cartilaginei, & teſtacei, anguillæ, piſces, carneſque ſalſæ fumo induratæ, aquæ crudæ ſtagnantes, &c. vina craſſa, rubra & ceveviſia recens non defæcata cruda, &c. *Cauſa materialis.*

confluunt humores crassi ex venis in renes concitati interdum à calidis diureticis intempestivè exhibitis, & omnibus quæ dorsum renesque calefaciunt. Opitulatur angustia meatuum & vasorum. Nam in illis, qui latiores habent meatus, licet calidi sint, & in victu peccent, rarius nascuntur calculi, quòd facilius effluat crassus humor, & non retinetur, donec siccescens concrescat. Causa efficiens immediata concretionis & generationis lapidum est, humidi redundantis exiccatio, sive consumptio, quæ duobus modis accidere putatur, uno à calore tenues humidasque partes resolvente, absumente & discutiente, alio, à frigore, vel per se quatenus calorem nativum mixti foràs exprimit, nam calor nativus expressus humidum suum unâ educit: vel ex accidente, quando in liquidis id, quod à calore assatum est totiq; permixtum, post caloris & spiritus evaporationem refrigescens, concrescit, hoc modo urina in matulis relicta crustam lapideam gignit, ac in vasis vinariis tartarus, quare Paracelsistæ generationem lapidum fieri arbitrantur, ex materia tartarea à spiritu salis coagulata; verùm cum præter rationem sit in humano corpore, frigoris tantam vim esse, ut per solam expressionem caloris nativi cũ suo humido, humor in calculos concrescere queat, consentaneum magis videtur, generationem lapidum fieri, vel à calore renum humorem crassum, lentum exsiccante & per exsiccationem incrassante & condensante, vel ex materia à calore in jecore, & venis perassata, quæ refrigescens concrescit, & ob debilitatem expultricis & angustiam meatuum renibus adhærescit, non aliter ferè, quàm tartarus in vasis vinariis, aut crusta in matulis urinariis, ac ibi detenta progressu temporis à calore induratur. Igitur præcipua causa generationis lapidum, est calor vel intensus, & brevi

Causa efficiens calculi.

vi tempore calculos producit, vel debilis, qui longiori tempore ad generationem indiget, aut materiam magis diſpoſitam, ſive valdè craſſam lentam requirit.

Materia autem ubi in cavitate renum concreſcit, ſi expultrix renum ita valida ſit, ut priusquam à lento humore glutinetur, expellat, arena cum urina excernitur. Sin debilis ſit citoque expellere nequeat, & materia viſcida, craſſa in eundem locum aſſiduè confluat priori adhæreſcens, & quaſi cruſta obducens calculus unus interdum plures naſcuntur, ex materia craſſa minus glutinoſa calculi friabiles ſive tophi, ex craſſa valdè glutinoſa à valido calore, calculi duri magisque ſaxei oriuntur, qui à nonnullis propriè lapides appellantur. Omnes figuram à ſitu, ſive loco ubi generantur accipiũt, colorem à parte & materia potiſſimùm mutuantur quantitatem à copia materiæ & loci capacitate, unde calculi duri, vel friabiles ſunt, magni vel parvi, rotundi oblongi, vel aſperi, in renibus ut plurimùm colore ruffi, rarò albi, flavi aut nigri; in veſica ſubalbi cineritii. In renibus minores magisque aſperi & friabiles gignuutur, quàm in veſica. Oritur quidem & excernitur, ut diximus, arena antequam in calculum coaleſcere queat, non rarò tamen ex ipſis calculis contritis fractis, aut comminutis in renibus, & veſica, arena & materia ſabuloſa expellitur, quæ tenuis & quaſi pulvis apparet, ſi calculus durus ſit, craſſior, aut fruſta lapidum, ſi friabilis.

Cauſa arenæ.

Calculi.

Differẽtia calculorũ earumque cauſæ.

In generatione calculi opitulantur ſiccitas anguſtia, & debilitas expultricis renum, quæ vel aſcititia eſt, vel nativa & hæreditaria contracta à parentibus, nam nephritici nephriticos ut plurimum gignunt, maximè ſi in victu peccent.

Calculus morbus hereditarius

Seni-

Cur senes calculo renũ, pueri vesicæ magis infestentur.

Senibus calculus renum familiarior, est pueris calculus vesicæ. Nã pueri licet ex voracitate multos crassos succos congerant, eaque de causa eorum urinæ crassiores & turbulentiores sunt, tamen quia eorum calor validus est, & meatus renum laxi & patentes, ac expultrix valida, ideo materia crassa in renibus non retinetur, sed liquata in vesicam effunditur, ubi ob crassitiem & visciditatem diutius detenta resolutis partibus tenuioribus in lapidem sensim concrescit, & accessione novæ materiæ obducta nova crusta augetur. In senibus ob contrarias causas accidit, ut materia crassa cum urina ad renes delata non expellatur, sed retenta in calculum induretur. Calculi in renibus magnitudine numero, colore, forma, duritie & asperitate inter se differũt, ut ex supra dictis constat. Deinde aut in renis substantia, aut cavitatibus nascuntur

Signa calculi.

Calculi quiescentis signa, sunt sensus gravitatis seu ponderis in lumbis affecti renis sine tumore, dolor gravans, cum cibo replentur, stupor coxæ lateris affecti ob compressionem nervorum à lumbis, aut renum cum vena cava & arteria magna conjunctionem, spina difficulter flectitur, &c. cum autem spinam vehementiùs flectunt intempestivis exercitiis, vehementi equitatione, prava victus ratione utuntur, calculi pondere & molestia sua, naturam ad expellendum stimulantes paroxismum nephriticum excitant. Nam in expellendo dum calculus, vel per membranas in cavitatem renum penetrans, vel in ureterem se inferens, deorsumque procidens, partes sensiles conterit vulnerat aut divellit, gravissimi & acutissimi dolores, qui nephritici dicuntur, oriuntur, meatus obdurantur; calculi parvi, rotundi, leves facilius excernuntur; magni, duri & asperi difficulter; circa initium paroxismi & obturationis, urinæ paucæ, aquosæ minguntur, postea

Paroxismus nephritici.

ea, si uterque ren afficiatur, plerumque supprimitur lotium, aliquando ob violentiam calculorum præcipuè asperiorum urina cruenta excernitur, testis affecti lateris contrahitur, & ex consensu ventriculi & intestinorum, ructus vomitusque oriuntur primùm pituitosi, pòst biliosi humoris, alvus supprimitur, venter inflatur, singultus, dispnæa, coma interdum oritur, &c. Tandem ubi calculus à renibus in vesicam defertur, sensus calculi transeuntis percipitur, quo tempore urina multa exit, arenosam substantiam habens, & alvus simul ut plurimùm largè egerit. Si calculus in renum cavitate resideat, facilius excutitur, & cum arenis nulla sanies per urinas erumpit: sin in ipsa substantia renis concretus sit, antequàm in cavum protrudatur, nullæ arenæ in urinis cōspiciuntur, & præcessit suppuratio, febrisque; dum è substantia in cavitatem propellitur, partem disrumpens pus elicit, quod pariter cum urinis excernitur. Dolores colici nephriticis valdè similes sunt, verùm colici magis vagi sunt, & supra renum regionem, faciliusque mitigantur, & in colica urina non supprimitur, nec cruenta, aut arenosa redditur, vomitus tamen vehementior, alvusque magis astricta, &c.

Morbi ureterum præcipui sunt angustia transitum seri à renibus impediens, & continui solutio: Angustia interdum est compressio à tumore partium incumbentium, ut plurimùm obturatio ex calculo grandiori à renibus emoto, & cavitati ureterum impacto, qui ex sensu calculi transeuntis & inhærentis dignoscitur; obstruuntur etiam, sed raro ex humore valdè crasso, lento aut grumo sanguinis. Continui solutio est vulnus aut exulceratio plerumque à calculo asperiore conterente, divellente, vulnerante, aut acri seroso humore abradente. Notæ ulceris ureterum, sunt dolor inter renes & pubem

Morbi ureterum.

Angustia.

Exulceratio.

pubem initio subcruenta, deinde in urinis pus natat capillorum specie, &c.

Tertiò afficitur vesica urinaria aut per se, aut per consensum; per se omni ferè genere morborum, præcipuè intemperie, inflammatione, scirrho, abscessu, angustia, calculo & exulceratione. Per consensum verò, quando à renibus serum, quantum & quale non oporteat, suscipit, item calculos, pus, sanguinem; Deindè cerebri, & spinæ, quando vis animalis in corpus vesicæ, aut musculum cervicem claudentem non distribuitur ob paralysin, &c. interdum ex intemperie, dolore aut tumore partium vicinarum, nimirùm uteri, recti intestini, &c. Intemperies vesicæ sunt simplices vel compositæ sine vel cum materia, quæ causas habent externas vel internas simili vi præditas, de quibus latiùs capite de causis morborum dictum est. Præcipuam autem vim in labefactandis actionibus vesicæ habet frigida intemperies (quòd pars ipsa frigida & exanguis sit) interdum simplex contracta ex alimentis & medicamentis frigidis, & narcoticis assumptis aut admotis, ex aëre frigido, longa mora in aqua gelida, &c. vel cum materia frigida in vesica coacervata. Cæteræ intemperies magis sunt cum materia, quæ partem alterat, & intemperiem fovet. Materia autem illa vel alluit tantum & in cavitate vesicæ præcipuè continetur, vel in vacua substantiæ spatia effusa & impacta est, eam distendens, tumoremque præter naturam excitans, nimirum inflammationem, scirrhum, &c.

Morbi vesicæ.

Intemperies.

Inflammatio autem vesicæ est, tumor calidus, dolorificus ex sanguine: corpus vesicæ, cum exangue & frigidum sit, rarius ea tentatur, sæpius cervix vesicæ & musculus cervicem claudens, plerumque in cervice incipit, deinde toti corpori vesicæ communicatur. Sanguis ex quo gignitur vel sincerus est,

Inflammatio vesicæ.

eſt, vel bilioſus, pituitoſus, aut melancholicus, quare inflammatio, vel eſt phlegmone exquiſita, vel notha eryſipelatis, œdematis, aut ſcirrhi particeps. Effluit ſanguis ille è vicinis venis in ſubſtantiæ ſpatia ob dolorem, aut calorem attrahentem, contuſionem à plaga, ictu, calculo, vehementi equitatione, &c,

Signa & ſympt: inflammat: Symptomata inflammationis ſunt dolor vehemens cum gravitate & pondere, ardore & rubore circa pubem & inguina; febris continua eò magis acuta, quò inflammatio eryſipelatis magis particeps eſt, cum ingenti ſiti, nigredine linguæ, &c. Si cervix magis afficiatur, urina ſupprimitur cum ſummo mejendi deſiderio, & ubi redditur, guttatim, & paulatim exit cum dolore. Deindè quia veſica pars nervoſa ſenſibilisque eſt, aliæ partes nervoſæ, ac ipſum etiam cerebrum in conſenſum trahitur, unde vomitus bilioſorum, ſingultus, deliria, vigiliæ, &c. & ob compreſſionem recti inteſtini egerendi deſiderio laborant, ut in teneſmo fieri ſolet, aliquando alvus aſtricta eſt, & inflationes ſequuntur, &c.

Morbus iſte graviſſimus & periculoſiſſimus eſt, ob magnitudinem ſymptomatum. Si inflammatio magna ſit, non raro in gangrænam abit, ex qua vix ullus reſtituitur; rariùs diſcutitur, niſi parva ſit, aliquando remiſſo dolore & febre, manente gravitate, in ſcirrhum tranſit, licet etiam ſcirrhus veſicæ ſponte oriri queat, ut renum: ſæpiùs non ſine periculo in abſceſſum abit; Nam dum ſuppuratio fit, febris, dolor, cæteraque ſymptomata augentur, ut in renum inflammatione, deinde rupto abſceſſu pus copioſum, cum multa urina excernitur, tandemque ulcus incurabile relinquitur. *Scirrhus veſicæ. Abſceſſus veſicæ.*

Anguſtia veſicæ. Anguſtia orificii veſicæ varias cauſas habet, diverſasque ſpecies, ut infra de cauſis iſchuriæ dicetur.

Cal-

Calculi vesicæ.

Calculi vesicæ puerili ætati imprimis accidunt, senibus non nisi prius affuerint. De causis & differentiis calculi supra in renum affectibus dictum est. Fernelius in vesica calculum nullum generari arbitratur, sed à renibus radicem rudimentum aut nucleum trahere, aut vesicam calculos accipere, qui deinde in ea temporis progressu ex allatarum sordium adhæsu coagmentantur, & in perfectum lapidem confirmantur. Verùm à renibus licet rudimentum quoddam calculi, vesica accipere interdum queat, ut in adultis potissimùm; tamen cum calculi renum & vesicæ, nec eadem figura, & substantia sint, nec eadem ætate eveniant; Probabile non videtur eundem generationis locum, causamque semper esse. Nam calculi vesicæ non solùm majores ut plurimùm sunt, calculis renum, sed etiam duriores minusque asperi & friabiles, coloris subalbi, aut cineritii: Deindè in pueris vesicæ calculum rarò præcedunt dolores nephritici, & eorum calculus si frangatur, nucleum diversi coloris à toto habere non videtur. Quare consentaneum potius est calculos vesicæ generationis suæ initium & incrementum in ipsa vesica ferè semper obtinere, ubi ob loci capacitatem & materiæ affluentis copiam majores, quàm in renibus gignuntur, interdum unus solùm magnus, aliquando plures minores, qui vel fundo vesicæ adhærescunt, & pondere suo premunt, ac cum ægri vehementiùs agitantur, saltant, equitant, ac dum sedentes alteram pedem vehementiùs concutiunt, circa anum imamq; pudendi partem dolorem gravantem sentiunt, vel uni loco affixi nō sunt, sed hinc inde moventur, motuq; suo non solùm sensum gravitatis, sed etiam vagam titillationē circa pubem & peritoneū efficiunt, variaque symptomata. Nam calculi notæ, sunt urina cruda, aquosa, in pueris sero lactis similis cum sedi-

Opinio Fernelii de calculis vesicæ.

Modus generationis calculi vesicæ.

Signa calculi vesicæ.

ſedimento arenoſo, ſi calculus magnus ſit, cum ſedimento mucori ſimili, pruriunt laborantes ſæpeque pudenda ſcalpunt, virga intenditur, dyſuria & ſtranguria nonnunquàm oritur, crebroque ad urinam reddendam irritantur, & ſuberuenta nonnunquam cum magno dolore excernunt, præcipuè in fine mictionis, non raro lotium planè ſupprimitur. Facilis verò excretio urinæ redditur, remotione calculi à meatu urinario, immiſſo cathetere, vel corpore ſupino figurato, ut crura ſublimiora ſint, deindè ſæpiùs concuſſo. In pueris imprimis tactu dignoſcitur immiſſo per anum digito medio, &c. Mulieres minùs calculis infeſtantur, quàm viri, ob menſtrua, & viarum laxitatem, rariſſimè veſicæ calculis, quia earum veſica ad pubem collocata eſt, & breviorem latioremq; virili cervicem obtinet.

Exulceratio veſicæ. Tandem exulceratio veſicæ, vel ex abſceſſu rupto oritur, vel conſequitur contuſionem, rupturam; aut vulnus, caſu, vel minus periti chirurgi opera inflictum in calculi ſectione, catheteris immiſſione, &c. vel ex eroſione provenit ex materia acuta, vel acri abradente, quæ vel interna, ut calculi aſperiores potiſſimum, deindè urinæ acres ex permiſtione bilioſorum ſalſorum, aut corruptorum humorum, vel externa, ut uſus alimentorum calidorum, vini potentis, medicamentorum erodentium præcipuè cantharidum, quæ ſpecifica proprietate veſicam lædunt & exulcerant, adeò ut in tenellis corporibus pro veſicatoriis admotæ dyſuriam interdum pariant. Conſiſtit exulceratio interdum in fundo veſicæ aliquando in cervice, parteque maximè carnoſa intra capacitatem veſicæ vel extra, ubi in maribus incipit meatus urinarius, in fœminis verſus cervicem uteri. *Signa.* Notæ ulcerum veſicæ ſunt urina craſſa initio modico cum ſanguine aut pure. Hinc excernuntur ſquammulæ non carnoſæ, qua-

les ulcus renum consequuntur, sed membranosæ furfuris crassioris speciem referentes; si ulcus sordidum mucosa graveolentia, interdum subcruenta & saniosa, potissimùm quando latè depascit; dolor acutus ægros mictionis tempore maximè excrutiat, & si exulceratio intra capacitatẽ vesicæ sit, citra mictionem omni tempore dolor sentitur, ob lotium ulcus mordicans, quare expultrix sæpè irritatur, & ægri urinam diu retinere nequeunt, assiduaque mejendi cupiditate stranguria & dysuria infestantur, erecti diu consistere non possunt, penis multum erigitur, &c. sin ulcus sit in cervicis parte exteriore, dolor tantum mictionis tempore sentitur circa radicem penis, & maximè ubi mingere inceperint & desierint; pus initio mictionis exit, aliquãdo sine urina. Quia autem vesica pars nervosa est, & urina sua natura acris non sinit ulcera consolidari, ideo vesicæ ulcera aut insanabilia sunt, aut curatu difficilima. Pereunt autem ægri assiduo dolore, vigiliis, &c. alii citiùs, alii tardiùs.

Morbi fistula urinaria. Cervicem vesicæ excipit in maribus fistula urinaria, seu meatus penis, lotio & semini communis, qui iisdem morbis infestatur, quibus cervix vesicæ, præcipuè inflammatione aliove tumore, deinde meatus angustia urinæ excretionem impediens, ex humore crasso lento, aut calculo impacto, vel caruncula, aut tuberculo innato, &c. tertio exulceratione ex abscessu disrupto, calculo asperiore, vel acri corrupto humore abradente, sæpè ex impuro concubitu cum muliere lue venerea infectâ. Morbi penis exteriùs patent, facileque dignoscuntur. In exulceratione dolor tempore mictionis sentitur, præcipuè cum fluere incipit & desinit, non circa radicem penis, sed in ipsa pene pus initio mictionis exit, sæpeque citra ullam mictionem.

His præmissis, superest ut de causis præcipuorum

rum

rum ſymptomatum, quæ contingunt in mictione in ſpecie agamus. Correſpondent ſymptomata, quæ contingunt circa excretionem urinæ, ſymptomatibus dejectionum alvi. Nam ſuppreſſioni alvi, Iſchuria; lienteriæ, diabetes; diarrhææ, incontinentia urinæ; dyſenteriæ, dyſuria, mictus cruentus & purulentus; teneſmo, ſtranguria reſpondent. Iſchuria autem dividitur in veram, propriè dictam vitio veſicæ, & notham, vitio renum, ureterum. Mictio autem functio compoſita eſt ex expultrice naturali irritatâ copiâ, aut qualitate urinæ, corpus veſicæ contrahente, lotiumque exprimente, & ex animali per muſculum ad libitum orificium veſicæ aperiente, quarè urinæ ſuppreſſio oritur, quando in veſica non coacervatur, vel coacervata non ſentitur, nec ſtimulat, vel ſi ſentiatur & irritet, non tamen veſica ad expellendum inſurgere, & ſeſe contrahere queat, vel licet ad expellendum inſurgat, ob anguſtiam tamen veſicæ, quia impeditur, nihil exprimat. Verùm quando urina in veſica non coacervatur, Iſchuria vera non appellatur, ſed quando ſuppreſſio accedit veſica plena exiſtente. *Symptomata mictionis.*

Quare Iſchuria propriè erit abolita mictio veſica plena exiſtente, procedens ab expultrice labefactata ob ſenſus torporem, aut intemperiem corporis veſicæ, aut impedita ab anguſtia cervicis ejusdem. Pars affecta eſt veſica, interdum ſecundum corpus, aliquando ſecundum cervicem. Cauſa triplex eſt, prima quia veſica ſe gravari non ſentit à copia urinæ ob torporem corporis veſicæ, ſeu paralyſin nervorum, qui per ſubſtantiam veſicæ diſſeminantur; non autem ob paralyſin muſculi claudentis cervicem veſicæ. Nam ex paralyſi illius muſculi urinæ ſuppreſſio non excitatur, ſed involuntarius exitus. Accidit quoque à gravi ſopore, & quocunq; affectu ſoporifero, ut veſica ſe gravari *Iſchuria vera.* *Cauſa Iſchuriæ.*

non sentiat, & lotium supprimatur, ac etiam in iis affectibus, in quibus mens laborat, ut in phreniti-de. Secunda causa est intemperies frigida substantiæ vesicæ expultricem debilitans, ut sese contrahere & lotium contentum, facultatem stimulans exprimere nequeat; contracta ex intemperie vesicæ frigida ab externis vel internis causis, de quibus supra dictum est.

Angustia vesica. Tertia est angustia orificii aut cervicis vesicæ excretionem urinæ impediens, cujus variæ sunt species & causæ; una obstructio ex materia crassa meatui infarcta, nimirùm ex crasso lento humore, vel pure vel grumo sanguinis, vel calculo. II. Constipatio & obstructio à caruncula carnisuè excrescentia innata, ab ulcere cervicis vesicæ, vel callo sive cicatrice dura ex ulcere relicta, aliquando à tuberculo. III. Nimia distentio vesicæ præcipuè cervicis ejusdem, ut inde meatus occludatur, à tumore, inflammatione, scirrho, abscessu, &c. IV. Compressio cervicis à tumore partium vicinarum incumbentium, nimirùm uteri ex fœtu grandiore, recti intestini, aliquando ani ob hæmorrhoides valdè intumescentes. V. Subsidentia & conniventia meatus ob convulsionem musculi claudentis cervicem ex immodica siccitate & inanitione imprimis, qualis accidit interdum in febribus ardentibus & colliquantibus. His addi poterit vitium ratione subjecti ab errore externo, nimirum immodica tensio totius corporis vesicæ, à nimia urinæ copia diutius, quàm par est, retentæ, quod sanis accidit in conviviis, foro, &c. quando urgente necessitate ob loci temporisque importunitatem urinam reddere nolunt. Nam ob nimiam tensionem corpus vesicæ in expellendo sese contrahere nequit, ac etiam meatus contrahitur & obduratur. Hæc species angustiæ ad secundam referri aliquo modo poterit.

terit. Ab his omnibus causis urinæ excretio impeditur, aut supprimitur ipsa vesica plena existente.

Ischuria notha est urinæ suppressio, in qua nihil seri in vesicam defluit & descendit; non descendit, quia renes non alliciunt, deorsumque mittunt, aut ureteres non suscipiunt. Non attrahunt renes deorsumque mittunt, quia labefactantur à valida intemperie potissimùm frigida, aut impediuntur à tumore, angustia renum, &c. A renibus per ureteres nihil defluit in vesicam propter ureterum obstructionem à calculo impacto, à crasso lento humore, grumo sanguinis, &c. vel ob compressionem à tumore partium vicinarum, verùm ab uno rene vel uretere affecto lotium in totum non supprimitur, per alterum enim defluit, sed utroq;. *Ischuria notha.*

In vera Ischuria vesica plena est, & manifestè secundum circumscriptionem intenta cum gravitate in imo ventre & immisso cathetere, aut compresso pube urina effluit. In notha vesica inanis est, & immisso cathetere nihil exit. In vera ischuria causæ angustiæ vesicæ non solùm ex præsentibus accidentibus, sed etiam ex iis omnibus, quæ præterierunt, judicare oportet, & considerare an adsint, aut præcesserint certa indicia inflammationis ulceris, calculi, &c. ut docet *Gal. lib.5. de loc. Affect. cap.1. & lib.6. cap 3.* Peculiariter torporem sensus arguunt nullum mingendi desiderium: intemperiem frigidam, causæ refrigerantes, præcedentes, &c. obstructionem à grumo sanguinis, crasso humore, vel calculo si urina repente supprimatur, & præcesserint excretio sanguinis, crassi humoris, vel calculi, &c. sæpè immissa fistula, & educta secum aliquid peccantis materiæ extrahit: Carunculæ signa sunt, quæ ulcus designant, & cathetere immisso nisi fracta carne, cum dolore urina non exit, & mox sanguis consequitur. Calculus, inflammatio, scir- *Signa Ischuriæ.*

rhus propriis signis, ut supra, dignoscuntur; sicut & compressio vesicæ à tumore uteri, intestini recti, cætera ex relatione ægri.

Diabetis. Deinde diabetis communiter pro omni copioso urinæ profluvio sumitur: & dividitur à nonnullis in diabetem propriè dictam, & notham. Diabetis propriè dicta est symptoma renũ, lienteriæ simile, quoad transitus velocitatem, sed caninæ appetentiæ, quoad symptomatis modum, quia ob violentam renum attractionem, potus cupiditate perpetuò torquentur, quem non transmutatum renes statim motu attractricis depravato vehementer alliciunt, & ob copiam retentricem gravantem in vesicam defluere sinunt, unde excernitur. Quare erit diabetis celerrima, & copiosa mictio potus non transmutati, cum valida siti: orta ab attractrice renum depravatâ, ab intemperie calida sicca, unà cum retentricis debilitate. Pars affecta sunt renes. De causa discrepant medici, quidam volunt ab intemperie frigida fieri facultatem retentricem debilitante: verùm cum diabeti adjuncta sint sitis, æstus hypochondriorum, &c. magis probabile videtur causam esse depravatam seu immoderatam functionem attractricis aquosi serosi humoris ex venis, quem retentrix renum debilis ob copiam non retinet. Depravatur autem attractrix renum ab intemperie calida, vel sicca, vel utraque, quæ raro sine materia est, plerumque cum materia calida impacta, aut imbibita substantiæ renum, scilicet bilioso humore, aut pituita salsâ, unde ob immodicum calorem renes aquosos & serosos humores ex venis violenter ad se alliciunt, quos ob copiam retentrix debilis gravata non sustinet, sed per ureteres in vesicam defluere permittit. Adjuvant hanc intemperiem renum immodica jecoris caliditas, & materia acris, maligna in venis; quod accidit in febribus pestilen-

Causa diabetis.

ſtilentialibus: item retentricis ventriculi debilitas: & qualitas eorũ, quæ aſſumuntur, ut vini calidioris & aromatum. Fit etiam teſte *Gal. 6. de Loc. aff.* diabetes à morſu dipſadis ſerpentis. Rara affectio & in ardoribus naſcens, ubi urina aquoſa redditur, &c.

Diabetis notha eſt profluvium urinæ ſyntecticum, id eſt, colliquativum, dum ſucci in venis, aut ipſa ſubſtantia corporis à vehementi calore, in ſeroſam ſaniem transmutantur: hæc diarrhææ ſyntecticæ correſpondet; ſed differt modo colliquationis, & excretionis, unde alia plura ſymptomata: nam ſucci aliquando ex colliquatione in ſeroſam ſaniem transmutantur, quæ à renibus, ſi ſani ſunt, attrahitur, & ad veſicam deſcendit, unde mictio συντηκτική: ſin verò à renibus nõ attrahatur, manet in corporis habitu, & oritur hydropis quarta ſpecies, de qua ſupra. *Diabetis notha.*

Tertiò mictus involuntarius eſt excretio urinæ præter voluntatem, ex reſolutione muſculi claudentis cervicem veſicæ. Reſolvitur autem muſculus iſte per ſe valida intemperie frigidâ, humidâ, & ſolutione continui ut vulnere, ulcere, contuſione, &c. aut reſolutis nervis, qui ſenſum & motũ ei communicant, in paralyſi vel univerſali, vel particulari, affecta parte ſpinæ, unde exoriuntur nervi, qui muſculo veſicæ implantãtur: verùm ubi reſolvitur muſculus, unica illa actio perit tantùm, ubi nervi aut exortus nervorum, plures. Cauſæ iis ſignis dignoſcuntur, quæ cuiq; affectui ſupra adſcripta ſunt. *Mictus involuntarius.*

Sub mictu involuntario cõtinetur illa incontinentia urinæ, quâ nonnulli noctu in ſomno ſeſe permingunt, cujus cauſa eſt nõ paralyſis, ſed ſtupor aliquis, aut debilitas muſculi claudentis orificium veſicæ, ob nimiam laxitatẽ & mollitiẽ, ex intemperie frigida, humida, ſæpè cũ humore pituitoſo. Hoc vitium pueris valdè familiare eſt, ob corporis molli- *Cauſa incontinentia urinæ in ſomno.*

tiem & laxitatem, & in somnis accidit, quo tempore, quia vires animales sopitæ sunt, & musculus claudens cervicem vesicæ obscuram actionem obtinet, ideò urinam copiosam minùs, quàm interdiu retinet.

Stranguria & dysuria.

Quartò veteres stranguriam à dysuria sæpè non distinguunt, & pro eodem communiter sumunt. Propriè tamen stranguria ob assiduum conatum tenesmo magis correspondet, & quia ante tempus evacuat, lienteriæ: dysuria verò magis, dysenteriæ; Est autem stranguria assiduus mingendi conatus, sine aut cum vehementi dolore, in quo urina guttatim effluit, sive pauca & frequenter, proveniens ab expultrice vesicæ assiduè stimulata ex affectu dolorifico & acrimonia urinæ, vel ob debilitatem retentricis, quæ minimo onere, seu copia urinæ gravatur. Pars affecta est ipsa tota vesica, præcipuè orificium.

Causa stranguriæ.

Causa assiduum conatum mingendi excitans, est facultas expultrix stimulata: stimulatur autem duobus modis: quare stranguria duplex est, una simpliciter dicta excretio urinæ guttatim cum conatu sine dolore; Altera à nonnullis stranguriosa dysuria vocatur excretio urinæ guttatim cum conatu, vehementi dolore & ardore vesicam ad expulsionem assiduè irritante.

Differẽtia

Stranguriæ simplicis causa.

Illius causa præcipua est expultrix irritata ob debilitatem retentricis vesicæ, quæ minimo onere gravatur, ut vel exiguam urinæ copiam non sustineat. Debilitatur autem retentrix vesicæ & musculi claudentis cervicem ejusdem, à quacunque intemperie præcipuè frigida, ut plurimùm cum materia pituitosa; aliquando ob angustiam cavitatis vesicæ, veluti quando à tumore vicinarum partium comprimitur, quod gravidis interdum accidit, quæ hac stranguriæ specie potissimum infestantur. Ex paralysi musculi claudentis cervicem vesicæ urina guttatim sæpè effluit, sed sine conatu,

conatu, qualis affectio decrepitis interdum accidit, sed ea non ad stranguriam, sed mictum involuntarium propriè refertur.

Stranguria dolorifica causa. Stranguriæ verò dolorificæ causa est expultrix vesicæ, præter naturam stimulata ab acrimonia urinæ, stimulatur autem, vel quia ipsa urina mordacior acriorque reddita est, quàm ut vesica secundū naturam affecta eam ferre queat, vel quia vesica affecta urinam quamcunque non sustinet. Acrimoniam autem acquirit urina, aliquando ex permistione biliosorum, salsorum, corruptorum humorum, aut materiæ purulentæ, ab ulceribus non solum vesicæ, sed renum aliarumque partium, interdum ex usu alimentorum aut medicamentorum acrium & diureticorum, &c. Afficitur verò vesica per se, interdum ab intemperie inæquali, plerumq; à continui solutione, ut exulceratione, vesicæ distentione à flatulento spiritu, item abscessu, inflammatione non solum vesicæ, sed etiam vicinarum partium, ut recti intestini, uteri, vasorum spermaticorum in gonorrhæa gallica inveterata, &c.

Dysuria. Dysuria verò est propriè mictio dolorifica, aut difficilis ex intervallis accidens sine assiduo conatu, in qua urina interdum affatim, interdum guttatim exit. Hujus quoque duæ species sunt, una mictio dolorifica, in qua tempore mictionis dolor vehemens sentitur, & præcipuè quando urina effluere incipit & desinit, ob tristem sensum ab urina excitatum non intra vesicam, sed extra in cervice, aut fistula urinaria dum effluit. Quarè hæc species dysuriæ non modo affectus & causa, sed parte affecta à stranguriosa dysuria distinguitur. Nam ab iisdem causis oritur rariùs tamen ab urinæ magna acrimonia, plerumque proprio affectu, & ulcere in cervice vesicæ, & fistula urinaria, aut vasis spermaticis & glandulis ad radicem penis, ut in gonorrhæa *Species dysuriæ. 1.*

 gal-

gallica, interdum ex inflammatione, abscessu,&c.

2. Altera species dysuriæ, est mictio difficilis & laboriosa, interdum cum dolore, ita ut ægri nisi diu magnoque conatu enitantur, urina liberè perfluere nequeat, orta ob debilitatem expultricis vesicæ. Hæc affectio ab Ischuria sola magnitudine differre videtur,& à causis levioribus oritur, nimirum intemperie,præcipuè frigidâ vesicæ & plerumque cum materia crassa viscida adhærente, aut infarcta, vel urinæ permixta, deinde angustia orificii vesicæ,ut in Ischuria,sed imperfecta,&c. Causæ dysuriæ & stranguriæ, eodem modo, ut Ischuriæ dignoscuntur,ac ex iis signis, quæ singulis affectibus renum & vesicæ afscripta sunt.

Mictio cruenta. Præterea depravata mictio ratione excretorum est cruenta, purulenta,& pilaris. Mictio cruenta est, quando urina sanguine perfusa excernitur. Causa est venæ in vasis urinariis apertio, à copia & tenuitate sanguinis,&c. vel ruptio & erosio à calculo, acribus humoribus, ictu,plaga, &c. Pars primariò affecta poterunt esse, renes, ureteres, vesica, cervix vesicæ, meatus penis: A renibus affectis maximè copiosus sanguis emanat, qui initio toti urinæ permiscetur, Deindè liquidus non concretus subsidet; minus copiosus ex cervice vesicæ, qui urinæ acuratè non miscetur, & in grumos facile in vesica concrescit,unde Ischuria,deliquia animi,&c. Paucus ex vesica; paucissimus ex ureteribus. Ex intimo penis meatu sæpè sine urina exit, & qui cum urina effluit, concretus statim subsidet. Accidit nonnullis,teste Aëtio,ut per circuitus sanguinem ex apertione venæ in renibus excernant simili modo, ut ex hæmorrhoidibus, undè in principio quidem nihil periculi metuendum est, nisi diuturnior fuerit affectio, aut præter consuetudinem cohibeatur,

tur, ex quo illa mala, quæ ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus contingunt.

Mictio purulenta fit, ubi urina pure permixta mingitur; pus autem prodit vel ex renibus, cæterisque vaſis diureticis, aut etiam ſpermaticis exulceratis in gonorrhæa gallica, &c. vel ex aliis partibus, ut pectore, jecore, &c. ſi pus per venas ad renes & veſicam transmittant. A renibus ſuperioribusque partib⁹ pus ſæpè copioſum urinæ accuratè permixtum mingitur. Ab ureteribus paucum capillorum ſpecie innatans. A veſica minus permixtum cum ſquammulis furfuraceis. A meatu urinario vaſisque ſpermaticis & paraſtatis exulceratis initio mictionis pus exit, aliquando citra mictionem. Cætera ſigna partis exulceratæ ſuo loco deſcripta ſunt. *Mictio purulenta.*

Præterea *Hipp. Gal.* & Aëtius mictionis pilaris mentionem faciunt, ubi cum urina materia mucoſa nunc tenuibus foliis, nunc pilis aut capillis ſimilis excernitur longitudine quandoque unius aut duorum palmorum, quorum cauſa eſt craſſus viſcidus humor in venis à calore exiccatus & coactus, qui in tranſitu per anguſtas renum venas in tantam longitudinem extenditur, &c. *Mictio pilaris.*

DE PARTIUM GENITALIUM AFFECTIBUS.

CAPUT XIV.

AD procreationem maris & fœminæ conjunctione neceſſariò opus eſt: quod mas vim generandi in alio habeat & ſemen, unde principiũ motus, præbeat: fœmina

verò

Partes genitales in utroq; sexu earũq; officia.

verò in seipsa gignat,& agrum ac materiam potissimùm conferat. Instrumenta generationis alia in utroque sexu eadem sunt, ut testes vasaque spermatica; alia diversa, & proportione sibi invicem respondentia; in maribus penis & scrotum; in fœminis cervix uteri, & uterus: in maribus autem prominent, aut ita conformata sunt, ut in muliebres partes penetrantia, quasi sementem faciant; in fœminis verò, ut semen aliundè recipiant,& quasi in argo fœcundo foveant, fructumque producant. Munus autem testium utriusque sexus est sanguinem & spiritus à vasis præparantibus suscipere, & in semen prolificum transmutare, deindè elaboratum & redundans in vasa ejaculatoria distribuere, quæ tempore complexus venerei semen fœmineum in uterum effundunt; virile in penem impellunt, ac penis vicissim intenta rigidaq; partim ex spiritu flatulento per arterias concitato, desiderio rei venereæ, partim vi copiosi seminis ad expellendum stimulantis, ope quatuor musculorum,in cervicem uteri detrudit. Uteri verò munus est naturali desiderio semen virile attrahere,cum proprio semine miscere,latentemque vim plasticam in semine suscitare, sive concipere. Deinde conceptum fovere, & ut nutriatur, augeatur, singulaque conformentur, per vasa umbilicalia sanguinem & spiritum communicare; tertiò ad debitum tempus pariendi fœtum continere; tandem commodè in lucem edere; atque ita procreationem absolvere; sub qua continetur conceptio,fœtus formatio, & partus legitimus. Ex quibus apparet, quæ actiones requisitæ sunt,primùm ad actum venereum, deinde ad procreationem, quarum una læsa, impeditur actus venereus, aut sobolis procreatio.

Modus procreationis.

Menstrua.

Præterea uterus non solùm generationi destinatus est, sed etiam in fœminis toti corpori inservit,

vit, quatenus menstruum sanguinem statutis temporibus expurgat. Nam in fœminis justæ ætatis ob defectum caloris nativi non digerentis alimentum, ut in maribus, redundant menstrua, excrementa utilia, quæ in prægnantibus retinentur, ut materia pro nutritione fœtus; in cæteris nisi impediat peculiaris corporis dispositio, defectus alimenti, ex magna evacuatione, inedia, longo morbo, &c. naturaliter singulis ferè mensibus per uterum expurgantur. Tot sunt functiones partium genitalium, quarum singulæ tribus modis læduntur.

Initium autem sumemus à vitiis testium, vasorumque spermaticorum, ac penis, deindè de uteri dicemus, quatenus menstruorum expurgationi & procreationi inservit.

Tres actiones viriles earumq; læsiones.

Ad procreationem & complexum venereum tres functiones viriles requirũtur, ut diximus, quarum priores duæ etiam fœminis certo modo tribuuntur, nimirùm seminis prolifici in testibus productio sive elaboratio, deinde ejaculatio, tertio gratia ejaculationis penis erectio, quæ se mutuò ita consequuntur, ut præcedat seminis elaboratio, sequatur in complexu venereo penis erectio, tandemque seminis in uterum ejaculatio: ac primùm seminis productio in testibus læditur, si nil omninò generetur, aut generetur, sed paucum, vel imperfectũ crudumque, aut acre, corruptum, minusque prolificum; additur à nonnullis nimis copiosa seminis productio, quæ sæpè in juvenibus plethoricis accidit, qui pollutiones nocturnas patiuntur, vel graviter offenduntur, si à venere prorsus abstineant. Causa læsionis, ut in aliis concoctionibus est frustratio facultatis alteratricis, seu concoctricis in testibus, ex affectu proprio, aut per consensum ac vitio objecti, sive materiæ, ex qua semen elaboratur.

Symptoma facultatis generatricis seminis & causa.

Affectus

Morbi testium.

Affectus proprii testium sunt primùm excessus primarum qualitatum, seu intemperies cujuscunque generis productæ à causis externis, vel internis eandem vim habentibus, aliquando per consensum ob intemperiem præcipuorum viscerum. Signa intemperiei frigidæ, sunt antecedens victus frigidus, causæ refrigerantes, coitus intempestivus & immodicus, ætate immatura, nulla ferè libido, & si concũbant, semen tenue aquosum & infœcundum emittunt, cum exigua aut nulla voluptate, juvantur calidis, &c. Calidæ intemperiei signa contraria sunt, magna ad venerem propensio, semen acre, calidum, &c. Humida intemperies conjicitur ex laxitate & mollitie partium, & quod celerrimè semen emittant, quamprimùm penem intentum habeant, in coitu non ita facilè offendantur, &c. Siccæ intemperiei contraria est ratio, &c. Morbi compositionis testium, sunt primùm meatuum & vasorum nimia dilatatio retentionem vitians, de qua in gonorrhæa dicetur, ac angustia attractionem & distributionem impediens, quæ plerumque est obstructio à crasso lento humore infarcto vasis aut testibus, aut à semine crasso rentento & incrassato ob intermissum veneris usum; aliquando constipatio aut compressio à tumore præter naturam, validisq; astringentibus.

Intemperies testiũ.

Angustia.

Deinde accidunt testibus morbi in magnitudine vel diminuta ex defectu utilis alimenti siccaq; intemperie, &c. vel aucta veluti tumores præter naturam testium & scroti, quorum alii pluribus partibus communes sunt, ut inflammationes, ex calido sanguine influente, quæ sensibus patent, &c. scirrhi, &c. alii his partibus magis proprii sunt, aut

Tumores testium et scroti.

aut paucis aliis qui herniæ & ramices appellantur.

Hernia. Hernia autem Græcis κήλη est tumor scroti, inguinis, vel umbilici ex materia quadam illapsa; quare ratione loci affecti hernia triplex est, una scroti ὀσχεοκήλη; altera inguinis βυβωνοκήλη; tertia umbilici ὀμφαλοκήλη, additur his ob similitudinem tantùm βρογχοκήλη tumor colli foras prominens ex crassa lenta pituita ad colli extimas partes confluente; hæc nonnullis populis Alpinis ex usu vitiosarum aquarum valdè familiaris est: per similitudinem quoque tumor varicosus & aquosus circa pudendi muliebris alas consistens, ab Aëtio *lib.16. cap. 100. & 102.* hernia mulierum varicosa & aquosa appellatur. De hernia inguinis & umbilici supra de affectibus intestinorum dictum est. *Differētia herniæ scroti.* Oscheocele pro diversitate materiæ, quæ in scrotum dilabitur, varia est, dilabitur autem intestinum aliquod præcipuè ileum aut cœcum, quæ valdè laxa sunt, nec ita ligata ut cætera, oriturque ἐντεροκήλη; *ἐντεροκήλη.* vel omentum, unde ἐπιπλοκήλη; *ἐπιπλοκήλη.* vel aqua, plerumque ex superioribus partibus defluens scrotum utri modo implens, nasciturque ὑδρωκήλη, *ὑδρωκήλη.* qualis affectio asciten plerumque consequitur, vel flatus ex debili concoctione, unde πνευματοκήλη. *πνευματοκήλη.* Præterea à carne dura testibus, vel scroto adnata, aut ut statuit Galen. à tumore scirrhoso ex crassis lentis humoribus concreto, qui carnosus videtur, fit σαρκοκήλη. *σαρκοκήλη.* Tandem cum venæ testiculum seu potius tunicas ejus nutrientes crasso melancholico sanguine refertæ intumescunt, generatur κιρσοκήλη, id est, varicosus ramex.

Causa illapsus intestini, etc. in scrotū.

Causa illapsus intestini, aut omenti, ac aquæ in scrotum est relaxatio aut disruptio unius aut utriusque foraminis, seu potius productionis illius peritonei, per quam vasa spermatica, musculiq; cremasteres ad testes & à testibus feruntur. Fernelius in omni enterocele ac epiplocele existimat interiorem peritonei tunicam disrumpi, externam verò duntaxat relaxari, sed si interior rumpatur, sine exterioris relaxatione, bubonocelen tantum nasci. Hæc ratio in fœminis locum habere non videtur, quæ non minus, quàm viri, bubonocele infestantur. Relaxant autem meatus & tunicas peritonei humectantia & emollientia, ut intempestiva balnea, potationes, destillationes, &c. Disrumpunt ictus, casus ex alto, saltus, vehemens anhelitus compressio, in vociferatione, tibiarum inflatione; tussi vehementi; item gravioris oneris gestatio, aut dimotio, immodicus coitus pleno ventre, flatuū copia, &c. Quando uterq; meatus seu productio peritonei afficitur, in utramque scroti partem materia illabitur, altera tantum affecta alterius partis hernia oritur.

Signa.

In enterocele tumor mollis est repentè natus cum fluctuatione & murmure, qui ex satietate, crapula, flatulentis cibis facilè augetur, iterumque minuitur, alvus sæpè cum magno dolore supprimitur, ut in Ileo dictum est. In epiplocele tumor minor, magisq; inæqualis & lubricus est, quàm in enterocele, digitisque difficilius cedens sine rugitu sive fluctuatione, sæpè in pube potiùs, quàm in scroto. Aquosa ac flatulenta hernia opposito lumine perspicuæ apparent, sed aquosa obscurior graviorque est, quàm flatulenta. Sarcoceles tumor durus gravis, sibiq; similis, & pedetentim longiori tempore crevit In scirrhocele sentitur magna tumoris diversitas, vasaque quasi intorta ac agglomerata. Omnium periculosiss. est enterocele, potissimum si intestinum

ſtinum reduci nequeat, aut ſi violenter reponatur; à ſiniſtra parte gravior ſemper eſt, quàm à dextra.

Præterea ex defectu unius, aut utriusq; teſtis, ut in Eunuchis, oritur morbus in numero, veneris uſum prohibens, virilitatem tollens, qui accidit, ſi exciſi fuerint, aut ex affluxu vitioſi humoris corrupti, aut contuſi & contriti computruerint, vel contabuerint. Evenit quoque interdum, ut teſtes ſitum mutent, & unus aut ambo ſurſum contractus ſit; ob brevitatem ſeu contractionem ligamentorum aut partium, quibus ſuſpenduntur, vel ab ortu, vitio conformationis, vel poſt ob inflammationem, exiccationem, repletionem ſeu diſtentionem, &c. Adduntur his ſolutiones continui, ut vulnus, contritio teſtis, exulceratio ex acri & erodente humore, ſæpè prava qualitate inquinato, ex lue venerea, unde gonorrhæa gallica, &c.

Morb⁹ in numero.

Morbus teſtium in ſitu.

Solutio continui.

Læduntur teſtium functiones per conſenſum errore objecti, quando per vaſa ſpermatica deferentia à venis & arteriis ſanguinem quantitate, aut qualitate minus idoneum ad nutritionem, & ſeminis prolifici generationem non ſuſcipiunt; ſed aut ita copioſum, ut teſtes conficere nequeant, vireſque eorum obruat; aut ita paucum, ut ad ſemen generandum non ſufficiat, & vix ad teſtes nutriendos; aut qualitate pravum & vitioſum; aut in ipſis vaſis ſpermaticis non ritè præparatũ, quorum omnium cauſa, eſt vitium vel vaſorum ſpermaticorum, vel ipſius ſanguinis. Vaſorum autem læſa ipſorum attractrice, retentrice, alteratrice aut expultrice, præcipuè ab inſigni intemperie, cavitatum nimia dilatatione, vel anguſtia, ac unitatis ſolutione, exulceratione, &c. Nam non ſolùm in teſtibus, ſed etiam in vaſis ſpermaticis attractrice vaſorum debilitata ab intemperie frigida præcipuè, aut impedita ab anguſtia vaſorum, teſtes defectu ſanguinis & ſpiri-

Morbi per conſenſum

Affectus vaſorum præparantium.

tuum semen non generant. Deinde concoctrice vasorum debilitata aut retentrice exoluta, ab intemperie, nimia dilatatione aut exulceratione sanguis crudus nõ præparatus ad testes confluit, quem conficere nequeunt, undè profluvium seminis crudi oritur, præcipuè expultrice vasorum & testium irritata copia, aut acrimonia materiæ.

Vitia materia ex qua semen generatur

Materia ex qua semen generatur, est residuum utilis alimenti sive sanguinis in corpore ultra nutritionem redundans, ut alibi dictum est. Vitia ejus sunt aliena quantitas vel qualitas, quantitas autem aliena, est excessus aut defectus, verùm ubi magna sanguinis copia in venis redundat, ut in plethoricis aut juvenib⁹ qui liberaliori victu & otio, fructib⁹ & alimentis copiosum semen gignentibus, utuntur, si testes vasaq; spermatica naturaliter disposita sint, viresq; robustæ plus nõ attrahunt, quàm conficiunt, & copiosum semẽ generant, undè nocturnæ pollutiones, ut infra dicetur. Nam reliquum utilis excrementi in venis manens corpus alit. Sin præter naturã ad testes plus confluat, vel attrahatur, quàm conficere, & ob retentricis debilitatem retinere queant, semen crudum aut pravum gignitur, &c. Ob defectum sanguinis & spirituum in testibus seminis defectus oritur. Deficit autem vel secundum naturam, ut in decrepitis ob siccitatem frigiditatemque, & pueris, ob corporis incrementum; vel præter naturam, primùm ob inopiam utilis alimẽti in venis, aut ob corporis exsiccationem & consumptionem ex inedia, vigiliis, laboribus, curis, atrophia, magnis evacuationibus, diuturno morbo, medicamentis semen extinguentibus, corporis raritate, sicca intemperie cordis cerebri jecorisque, defectuque spirituum, sectione Venarum post aures, &c. Deindè quia in alias partes validius attrahitur & in corporis augmentum absumitur, ut in pinguibus, obesis

Redundantia.

Defectus materiæ seminis.

magni-

magnisq; corporibus: tam viri, quàm mulieres corpore obeso vastoque minus fœcundi sunt. Qualitas aliena sanguinis est intemperantia vel in primis qualitatibus, ut frigiditas, caliditas, &c. vel secundis ut crassities, viscididitas, acrimonia, tenuitas, corruptio, &c. orta ex prava viscerum constitutione, vitiosis alimentis, & in corporibus cacochymicis, quæ vitiosis humoribus refecta sunt, quia omnia ex dispositione corporis & præcipuorum viscerum facilè dignoscuntur. His modis læduntur functiones testium seminisque generatio. *Aliena qualitas materiæ seminis.*

Præterea læditur expultrix testium seminisq; ejaculatio per vasa & penem, affectis aut testibus, aut vasis ejaculatoriis, aut pene. Ejaculatio sive expulsio seminis est actio propria testium vasorumque, dum à copia aut acrimonia seminis turgescunt, & desiderio expellendi fervent, ad quem penis actio tantum concurrit, quatenus via est per quam semen in uterum detruditur ob cujus attritionem in coitu factam expultrix testium vasorumque incalescens, majori vi ad expellendum incitatur, simulque adjuvatur à duobus musculis penis. *De seminis emissione seu eiaculatione.*

Morbi vasorum semen deferentium, ejaculationem lædentes, sunt intemperies omnis generis, quæ dignoscuntur, ut testium; deinde inflammatio & affectus inflammatorii: Tertiò nimia dilatatio, aut angustia, ut obstructio à crassis lentis humoribus, aut semine crasso diu retento; aliquando constipatio aut compressio à tumore; coalescentia, ab ulcere. Præterea continui solutio, præcipuè exulceratio ab acribus mordacibus humoribus, & corrupto semine, ex impuro concubitu, lueque venereâ; plerumq; afficiuntur glandulosæ prostatæ ad cervicem vesicæ & initium penis positæ, quæ semen asservant, unde tensio dolorque circa radicem penis, &c. De Affectibus penis præcedenti capite dictum est. *Morbi vasorum semen deferentium.*

Symptomata accidentia circa emissionem seminis.

Læditur autem ſeminis ejaculatio tribus modis, quorum primus eſt abolita ſeminis emiſſio, ubi ex vaſis nihil expelli queat; alter diminuta emiſſio, ubi paucum nec effatu dignum expellitur; tertius depravata expulſio, quæ multiplex, una quando in & citra actum venereum ex emiſſione ſeminis corpus præter naturam afficitur, ſcilicet convellitur, vel cum ſemine feces, aliaque expelluntur, ut in nonnullis proſtratæ mentis ac epilepticis, &c. altera qnando citra actum venereum effunditur, vel in ſomno tantùm, quæ pollutio nocturna dicitur; vel quocunque tempore & præter voluntatem citraque imaginationem, quæ Gonorrhæa appellatur. Gonorrhæa verò alia ſimplex eſt, ſine penis erectione, alia cum priapiſmo conjuncta penisque tenſione.

Symptoma circa penis erectionem.

Similiter penis tenſio ſeu erectio tripliciter læditur. Nam aut prorſus tollitur, tendique nulla ratione poterit, aut debilitatur, minusq; promptè, rariùs quàm oportet, & cum difficultate erigitur; aut depravatur, ſeu immodicè ac præter voluntatem citra Veneris deſiderium & imaginationem, cum dolore tenditur, quòd poſterius ſymptoma, à Priapo Satyro, quem ob laſciviam cum tali membro genitali veteres finxerunt, Priapiſmus & Satyriaſis quoque à Galeno dicitur: Qui verò ob impotentiam & ignaviam membrorũ genitalium re venereâ uti nequeunt, quamvis maximè cupiant, impotentes vocantur; ſicut qui vitioſum ſemen, aut non proliſicum aut non debito modo emittunt, infæcundi.

Impotentia quid?

Communiter impotentia eſt depravata functio virilis facultatis, quæ conſiſtit in ſeminis generatione & emiſſione: primariò tamen & propriè illi impotentes dicuntur, quorum membrum genitale ad coitum inſurgere nequit: deinde qui ſemen

men emittere non valent. Quare pars primario affecta est penis cujus proprium munus est desiderio libidinis, ad coitum insurgere, & semen ex testibus vasisque spermaticis attritione sua allicere, & in uterum detrudere; secundariò testes vasaq; spermatica. Nam in coitu requiritur penis erectio & seminis ejaculatio, ob utramque actionem absolutè, aut ad tempus deperditam viros impotentes appellare solemus. Ad penis erectionem concurrunt tria, quorum primùm non semper necessarium est seminis copia in vasis expultricem stimulans; alterum ex libidinis desiderio spiritus fistulosum penis nervum implens, tertium actio musculorũ penem attollentium; quare penis non erigitur triplici de causa, nimirum defectu seminis in vasis, vel spiritus in fistuloso penis nervo, vel à paralysi musculorum penis. De causis paralysis & defectus seminis supra dictum est. Deficit autem spiritus in fistuloso penis nervo, quia paucus in corpore procreatur, aut à pene avocatur, aut non recipitur. Non procreatur defectu caloris nativi utilisque alimenti in corpore, ut in senibus & valetudinariis, & ab omnibus, quæ spirituum robur dissolvunt. A pene spiritum avocant, venerisque stimulos coercent, vehementiores cogitationes, & curæ, labores, contemplationes, &c. (*Otia* enim *si tollas periere cupidinis arcus*) ac in ipso actu venereo, aut antè, nimia lætitia, timor, indignatio, &c. ut penem erigere, & voluntatem explere nequeant. Præterea quia de re venerea cogitationem nullam admittunt, & venereis illecebris assueti non sunt. Verùm quibus spiritus avocantur impotentes absolutè censeri non debent. Tertiò spiritus à veneris desiderio concitatus à pene non suscipitur, quia frigidus, siccus, exanguis, brevis, exilis, ut in decrepitis & in iis, qui partibus genitalibus nunquam usi sunt. Nam ignavia vires exolvit; pro-

Causa.

Causa cur penis erigi nequit.

proprii muneris exercitatio robur membrorum auget, vel quod alio gravi morbo affectus est, ut à tumore, ulcere, partis amputatione, &c. Accidit interdum ob nimiam penis longitudinem aggravantem, ut ab exiguo spiritu impleri, extendi & attolli nequeat; & si erigatur pondere suo statim concidat. Ad vitium in spiritibus potissimum eorumq; evocationem subtractionemq; referri poterit extincta virilitas ex maleficorũ incantamentis. Nam qui propriè maleficiati vocantur, membra genitalia pro naturæ modo habere videntur, illisq; citra ullum affectum repentè virilitas extinguitur. Interdum cum alia coire possunt, sed non cum propria conjuge.

Quæ requiruntur ad seminis eiaculationem.

Ad emissionem seu ejaculationem seminis in coitu tria concurrere debent, I. semen naturaliter dispositum expultricem stimulans, non crassum, viscidum, tenue, &c. II. vis expultrix testium, vasorumque deferentium satis robusta; III. viæ patentes & naturaliter ad hoc opus dispositæ exquisito sensu præditæ, penis rigidus, benè conformatus non nimis brevis aut longus indirect⁹ aut tortuosus, &c. stimulatur autem facultas expultrix seminis copia & acrimonia ac etiam in coitu ex nimia attritione, dum incalescens effervescit; expulsionem adjuvat motus duorum musculorum penis, qui tempore ejaculationis prostatas comprimunt, semenque exprimunt, & alliciunt.

Causæ deperditæ eiaculationis seminis.

Igitur deperdita seminis ejaculatio oritur vitio vel seminis ex defectu potissimùm, interdum si facultas expultrix valdè debilis sit ex crassitie aut visciditate ejusdem, vel vitio expultricis testium, vasorumque deferentium, vel penis. De causis defectus seminis jam dictum est. Expultrix verò testium vasorumque labefactatur ab intemperie præcipuè frigida sicca, qualis decrepitis accidit: impeditur ob angustiam quandam cavitatum scilicet ob-

stru-

ſtructionem, conſtipationem, &c. Vitio penis ſeminis ejaculatio læditur, quia erigi nequit, ut jam diximus, aut meatus ſemini & urinæ communis interceptus eſt, obſtructione, conſtipatione aut coaleſcentia; vel à glande deorſum vehementer retracto, tortuoſus & obliquus redditur, ut ſemen in colis flexibus hæreat, & directè in cervicem uteri emitti nequeat, quos ita affectos Gal. ὑποσπαδιαίους vocat: diſtorquetur verò glans à ligamento duro tortuoſo ſæpè vitio conformationis, interdum poſt ortum ob tumorem ligamenti, qui pertractanti intra penem, glandulæ ſpeciem refert, & penis nodus vocatur. His additur nimia penis brevitas, & longitudo, reſolutio muſculorum penis. Verùm excepta meatus anguſtia cæteri affectus omnem ſeminis emiſſionem non impediunt, ſed ejaculationem in uterum, ac coitum. Nam ob brevitatem coitus imminuitur, & ſemen procul non propellitur; ob nimiam longitudinem cum tenuitate, ſpiritus, & vis ſeminis prolifici evaneſcit. Verùm qui hoc modo afficiuntur, ac quicunque coire quidem poſſunt, ſed paucum minusq; prolificum ſemen emittunt, frigidum, aquoſum, tenue, vel calidum, acre, corruptum, non propriè impotentes, ſed infœcundi tantùm appellãtur, ut infra de ſterilitate mulierum dicetur.

De priapiſmo & Satyriaſi. Priapiſmus & Satyriaſis ab Aëtio & Gal. pro eodem ſumuntur: quidam ſola palpitatione ſatyriaſin à priapiſmo diſtinguunt. Paulus ſatyriaſin mulieribus quoq; accidere dicit, ſed rariùs, quàm viris; & definit, palpitationẽ pudendi conſequentẽ affectionem inflammatoriam vaſorum ſpermaticorum, cum tenſione; quare parte primariò affecta, *Quid ſatyriaſis.* cauſa, modoque affectus à priapiſmo diſtinguitur. Nam pars primariò affecta, ponũtur à Paulo vaſa ſpermatica; cauſa, affectus inflammatorius, qualis

etiam cervici uteri in mulieribus accidit teste Aëtio, ex salsis acribus humoribus ingentem pruritum cum dolore excitantibus, unde satyriasis, ardensq; coeundi desiderium. Palpitationem verò istam Trincavella arbitratur in viris, nil aliud esse, quàm penis motum palpitationi similem, compositum ex erectione & residentia; Morbus hic acutus est, palpitatio verò nisi brevi finiatur, in paralysin aut convulsionem terminari solet; deinde convulsio celeriter cum ventris inflatione & sudore frigido ad mortem.

Priapism⁹ proprie dictus. Priapismus propriè dictus est, tensio seu erectio pudendi præter naturam citra veneris desiderium, orta à flatulento spiritu, replente fistulosum penis nervum. Pars affecta est penis, primariò nervus fistulosus, deinde musculi penem attollentes plerumque duo, qui seminis expulsioni serviunt.

Causa. Causa est distentio fistulosi illius nervi, & musculorum convulsio à repletione ex spiritu: repletur interdum ob vaporosum spiritum in ipso nervo genitum, ab intemperie frigida, &c. plerumque ob ora arteriarum immodicè dilatata, & patentia, copiosum spiritum effundentia, vel quia calefactis lumbis renibusq; multa equitatione, decubitu super dorsum, &c. arteriæ penis calidiores redduntur, vel quia multo spiritu implentur, quod accidit iis, qui copioso semine abundant, liberaliori victu utuntur, & præter consuetudinem à coitu abstinent, & nulla exercitatione sanguinis copiam dissipant, ac etiam iis, qui sermonibus & spectaculis Venerem stimulantibus delectantur, cibisque acribus flatulentis semen generantibus utuntur. Impletur quoque fistulosus nervus à flatuoso spiritu in pene vel vasis genito, ex crasso crudo humore à calore non proportionato, ut voluit *Gal. 14.* Methodi. Qui priapismo corripiuntur non aliter, quàm qui tetano ten-

tentantur, dolent, pudendum distentum habent, ac convulsionis modo interdùm pereunt cum ventris inflatione sudoreq; frigido.

Gonorrhæa, ut suprà diximus, alia simplex est, alia cum penis tensione conjuncta. Illa mictioni involuntariæ correspondet, & mulieribus quoq; accidit, sed rariùs, quàm viris; hæc tantùm viris. Gonorrhæa autem vera est involuntaria seminis emissio sine tensione pudendi venerisque desiderio, orta à debilitate retentricis vasorum spermaticorũ. Dico sine veneris desiderio. Nam ubi ex attenta rei venereæ cogitatione semen copiosè excernitur, gonorrhæa non est, sed opus quoddam naturæ. Causa proxima est imbecillitas functionis retentricis testium, vasorumque seminalium, ut semen debito tempore non retineant, aut tamdiu, donec concoquatur. Contrahitur ista debilitas ex affectu proprio testium vasorumque spermaticorum, præcipuè ex intemperie frigida hnmida, vasa relaxante & patentiora reddente, producta ex intempestivo coitu ætate adhuc immatura, crebro usu alimentorum frigidorum humidorũ, balneorum, affluxu humorum pituitosorum, &c. Læditur etiam retentrix exulceratione vasorum, ac etiam vitio objecti, ob redundantiam seminis præcipuè frigidi, tenuis, aquosi, crudi, aliquando corrupti, quod Cacochymicis sæpè accidit, unde semen diversorum colorũ exit, nunc viride puri ferè simile, nunc loturam carnis referens, aliquandò cum dolore, urinæ ardore, si viæ exulceratæ sint. Verùm ubi semen nimia copia, aut acrimonia expultricem stimulans tensionem pudendi efficit, tum non oritur vera gonorrhæa, sed si tensiò perpetua sit, priapismus, affectio rara & acuta, sin tempore tantum emissionis seminis, Notha quædam Gonorrhæa, quæ à pollutione nocturna non distinguitur, nisi quod interdiu quo-

Gonorrhæa. *Causa.*

que accidat, & pollutionem nocturnam inveteratam consequatur, ob expultricem testium, vasorumque spermaticorum stimulatam acrimoniâ seminis, ut infra in causis pollutionis dicetur.

Gonorrhæa gallica. Adduntur his species aliæ nonnullæ, & primùm gonorrhæa gallica contracta à lue venerea, ex acri corrupto virulento semine vasa spermatica plerumque exulcerante: Deinde juxta Avicennam duæ species, quarum prima est seminis emissio, ex convulsione musculorum genitalium, qualis Epilepticis accidit, & in aliis corporis convulsionibus, &c. *Gonorrhæa ex convulsione* altera est frequens excretio non seminis, sed pinguedinis cujusdam post mictionem & urinas ex phthisi sive colliquatione renum, ob nimis frequentem & immodicum coitum in juvenibus potissimum. *Gonorrhæa ex colliquatione renũ.* Hûc refertur profluvium seminis in tabe dorsali, quæ ut ab *Hipp. lib. 2.* de morbis describitur, novos maritos & libidinosos corripit ex nimia venere, & cum stercus aut urinam reddunt, semen genitale copiosum & liquidum emittunt, noctuque veneris ludibria patiuntur, colliquantur anhelosi & imbecilli evadunt, &c. *Gonorrhæa in tabe dorsali.*

Pollutio nocturna. Tandem pollutio nocturna, est seminis in somno emissio, plerumque cum tensione pudendi, & veneris insomniis. Dico plerumque, nam aliquibus, teste Aëtio, nulla ferè præcedente imaginatione, ac etiam citra sensum, profluit semen, ob retentricis debilitatem, non aliter ferè, quam in vera gonorrhæa, hæc nonnullis ob mæstitiam aut inediam etiam accidit. Plerumque seminis emissio est cum veneris insomniis & tensione pudendi ob expultricem irritatam copia aut acrimonia seminis. Nam duæ hujus species sunt, una orta ob robur partium genitalium, & seminis copiam expultricem irritantem, quæ nisi modum excedat, opus

naturæ

naturæ est potiùs, quàm symptoma; altera fit ob acrimoniam seminis expultricem vasorum stimulantem vitio vasorum aut seminis. Nam interdum ipsa vasa præter naturam affecta (nimirùm calida intemperie, inflammatione, exulceratione, &c.) copiam ac etiam qualitatẽ naturalem seminis non sustinent: non raró ipsum semen vitiosum est magis calidum acre & mordax, quàm ut vasa naturaliter disposita ferre queant. Cujus ratione semen cum dolore sæpè effluit, si adsit lues gallica, in transitu vias statim exulcerat. Hoc profluvium iis plerumque accidit, qui vitioso sanguine abundant, illosque gravissimè affligit, qui semen multum acre calidum gignunt, ad excretionem vehementer urgens. Nam hi per coitum exolutionem oris ventriculi totiusque corporis patiuntur, squallidi pallidique redduntur, oculosque cavos habent, nec tamen ex continentia, aut absentia coitus magnopere juvantur, sed gravedine capitis, æstu & fastidio ventriculi anguntur, & in somno etiam semen copiosum profundunt.

De morbis mulierũ. Viris & mulieribus affectus nonnulli communes sunt; in quibus verò à mulieribus viri dissident, & mulieres à viris, sua propria & peculiaria patiuntur vitia. Mulieres utero donatæ sunt, ad procreationem & menstruì sanguinis statutis temporibus expurgationem, sub utero hîc intelligimus cervicem uteri, & vulvam; ad quorum inculpatas actiones perficiendas requiritur apta constitutio tam per consensum, cum aliis partibus, quàm per essentiam; quæ consistit in temperie primarum qualitatum, debita compositione, & utriusque unitate: quorum uno vitiato læduntur functiones uteri. Læduntur autem singulæ functiones, tàm privatæ, quæ nutritioni serviunt,

unt, quàm publicè, nimirùm procreatio (sub qua continetur conceptio, fœtus gestatio & partus) deinde menstrui sanguinis statutis temporibus expurgatio, tribus modis, ut infra latius dicetur.

Affectus uteri. Causæ læsionis, affectus sunt uteri proprii, aut per consensum. Morbi autem, qui mulieribus ratione uteri accidunt, acuti, magni, periculosi & intellectu difficiles sunt, quod se ægrotare nesciant, priusquàm morbus invalescat, aut narrare præ pudore vereantur, nisi vi morbi cogantur, quo tempore sæpè incurabiles sunt. Laborare autem uterus solet omni ferè genere morborũ, quorum primum est intemperies, quæ nativam temperiem evertit, & functiones omnes uteri in sua substantia labefactat, ex qua uteri debilitas. Intemperies est, vel simplex, vel composita, sine, vel cum materia, orta à causis eandem vim habentibus, ut suprà capite *de morborum causis:* & plerumque cum simili intemperie præcipuorum viscerum.

Intemperies. Peculiariter intemperies frigida vel à causis refrigerantibus, vel ob spiritus & caloris nativi resolutionem, à laborioso partu, frequenti abortu, gravi morbo, &c. Propter frigidam intemperiem, quia uterus alimentum non conficit, nec supervacanea expellit, ideò crudis frigidisque humoribus abundat, unde obstetrix contactu oris uteri, pudenda multo mucore repleta percipit, os uteri quasi solidum est sine sensu, torpent inguina, difficulter moventur, flatibus abundant, & quia spissior frigidiorque uterus est, non concipiunt, & menstrua supprimuntur, aut aquosi fluunt, venerem fastidiunt, omnesque actiones debiles, aut deperditas obtinent.

Calidæ intemperiei contraria ratio est. Nam partes pudendi calidæ sunt, menstrua pauca exeunt, aut acria, rubicũda, nigra, cum dolore, ut viæ interdum

dum exulcerentur, & ob acrimoniam nullum ordinem quoque servent, magna ad coitum appetentia est, &c. Quæ humida uteri intemperie laborant, laxas madidasque uteri partes habent, menses copiosos, aquosos aut decolores, coitum non appetunt, nec eo delectantur, neque semen retinent; ob id non concipiunt, & si concipiant, citò abortiunt, ad motum impotentes sunt, & desides. In sicca intemperie contraria omnia sunt, pudendum contactu squalidum, siccum sentitur, ligamenta contrahuntur, menses paucissimi crassique sunt, initio coitu non delectantur, nisi calida intemperies conjuncta sit, deindè non facilè satiantur, juvantur humidis, læduntur siccis, &c. Compositæ intemperies ex his notis inter se complicatis dignoscuntur, si materia accesserit, intemperiem fovens, cognoscitur partim ex causis præcedentibus, partim ex effectis, ut excrementis, colore corporis, & imprimis papillarum, quæ utero maximè consentiunt. Debilitantur functiones uteri nimis, ab intemperie calida humida; maximè à frigida sicca. Deinde ex ea, quæ à frigido humido succo ortum habet, ubi acetabula uteri muco replentur, cujus ratione semen viri injectum non detinetur, sed vel à concubitu, vel aliquandiu post effluit, menses exuberant, & inordinatè interdum bis aut ter in mense defluunt, aquosi, decolores, tempore menstruorum sæpè pectinis, lumborum, crurumq; gravitas adest, stomachus afficitur, & à vaporibus sursum elevatis dolores, suffocationes uteri, &c. consequuntur.

Morbi conformationis uteri.

Secundò morbi conformationis uteri in superficie interna sunt, nimia asperitas, attractionem seminis impediens, ab exulceratione, exsiccatione, aut defluxu acrium humorum, vel immodica levitas retentionem seminis & conceptus prohibens, cujus causæ sunt humor pituitosus, crassus,

visci-

viſcidus tunicis tenaciter adhærens, eaſque oblinens,&c.

Deindè morbi in meatibus & cavitatibus membri genitalis, ſunt immodica dilatatio & anguſtia. Nam hæc vim attractricem ſeminis in uterum, ac expultricem menſtruorum & partum prohibet, illa retentionem ſeminis, conceptus & menſtruorum impedit. Immodica autem dilatatio cavitatum & meatuum fit, plerumque à relaxantibus, ut defluxu pituitoſorum humorum ex venis, aut ſeminis crudi, aquoſi ex vaſis ſpermaticis, aut à balneis humectantibus,&c. aliquando à copia tenuium acrium humorum ex apertione venarum uteri, &c. ut in profluvio menſtruorum latius dicetur.

Immodica dilatatio cavitatũ uteri.

Anguſtia verò ſeu contractio, & obturatio partium genitalis mulieris communiter φίμ⊙ & φίμωσις appellatur. Anguſtia vel eſt in pudendo aliſq; vulvæ, vel in ipſo orificio uteri, vel in intermedio loco ſcilicet cervice uteri propriè dicta. Oritur vel in utero vitio facultatis formatricis ex membrana aut carne innata, foramen intercludente, ac etjam ut ſcribit Avicenna & *Ariſtot. 4. de gener. Anim. cap. 1.* ex coaleſcentia & conjunctione labiorum oris uteri, vel poſt ortum, primò ex craſſo viſcido humore coacervato intra uterum, qui interdum acetabula, ſive orificia vaſorum uteri oblinit, clauditque, aliquando os uteri & cervicem occupat obſtruitque, ut ſemen recipere nequeat. Deindè uſu medicamentorum validè aſtringentium intra os pubis, quod interdum ab imperitis obſtetricibus fit à partu, ut fluxum immoderatum ſupprimant, aliquando à meretricibus, ut ſtrictiores reddantur, virgineſque habeantur. Tertiò à corpore cavitati &

Anguſtia uteri. *φίμωσις*

& foramini membri genitalis innato viam intercludente ſeu conſtipante, quale eſt tumor aliquis præter naturam, ut inflammatio, ſcirrhus, &c. carnis excreſcentia ex ulcere pudendi, cicatrix calloſa, aut membrana innata, quæ interdum meatum planè obturat, aliquando propendet, qualis affectus eſt, qui nympha & cauda vocatur. Præterea coaleſcentia oris uteri ex ulcere tunicas conglutinante, item compreſſio à multa omenti pinguedine, ut in obeſis, quæ rarò concipiunt, aut à tumore partium vicinarum & inteſtini recti, veſicæ, &c. Tandem conniventia oris uteri à multitudine materiæ ſubſtantiam uteri ita diſtendente, ut os ejus concludatur, quod in uteri hydrope & inflatione accidit. Propriè autem Φίμωσις à Paulo & Celſo vocatur obturatio ſeu intercluſio foraminis membri genitalis à membrana aut carne innata, additur à nonnullis inflammatio indurata, ſeu tumor, ſcirrhus, coaleſcentia ab ulcere glutinante tunicas meatuum, & calloſa durities.

Signa loci affecti.

Quæ verò vitio formatricis ex nativitate obturantur, ab Aëtio non perforatæ propriè appellantur. Dignoſcitur affectus ex relatione ægræ & contactu aut viſu, adhibito ſpeculo matricis. Quibus pudendi labia obturantur, nec coire nec menſtrua emittere poſſunt. Si in cervice ſit obturatio coire quidem ſolent, ſed ſemen à viro ejaculatum citò decidit, menſtruaque non habent. Sin in uteri orificio vitium ſit, menſtruis non carent, viroque uti poſſunt, ſed non concipiunt: accidit tamen ut ſemen intra uteri anguſtum orificiũ admiſſum, conceptus cauſa ſit, verùm ob anguſtiam loci fœtus prægnanti mortem accerſit.

XIV.

Morbi uteri in magnitudine

Accidunt utero morbi in magnitudine diminuta, vel aucta. Diminuta autem magnitudo, seu pravitas uteri, ut plurimùm ab ortu iis evenit, quæ concipere quidem solent, sed fœtum alere, & ad perfectionem deducere nequeunt. Sub aucta magnitudine continentur tumores omnes uteri præter naturam. Intumescit autem uterus duobus modis, uno à materia substantiæ uteri impacta, unde tumor propriè dictus; alio ex materia præter naturam in cavitate collecta, quæ replet,& non raró ad similitudinem prægnantium uterum extendit: sub hac specie continentur, mola, hydrops uteri, falsa ingravidatio,&c. Tumor autem uteri propriè dictus, est magnitudo aucta cum intemperie orta ex materia impacta substantiæ uteri. Materia illa est humor aliquis, aut vapor flatulentus. Humor autem cujuscunque generis esse poterit simplex,aut ex pluribus permixtus, aut non naturalis. Ex sanguine enim substantiæ uteri impacto oritur phlegmone exquisita, ex bile naturali, erysipelas; ex crassa acri, herpes; ex pituita naturali œdema: ex crassa lenta, scirrhus non exquisitus; hûc referri poterit scirrhus ex inflammatione indurata, ex melancholia naturali impacta & indurata, scirrhus exquisitus; ex adusta minus fervida, cancer; ex fervida carbunculus; ex flatulento humore impacto inflatio oritur. Adduntur his in cervice uteri & pudendo condylomata, thymi, hæmorrhoides cœcæ, &c. ut in ano. Quarè omni ferè genere tumorum uterus affici solet, frequentissimè inflammatione à sanguine ex venis in substantiam uteri effuso, ibique putrescente; effunditur autem ob plagam & contritionem uteri, nimium coitum, abortum, exulcerationem, menstruorum suppressionem, longam & molestam ambulationem, flatus, immodicum frigus,&c. Tumor autem vel totum occupat, vel partem

Tumores uteri.

Species tumorum uteri.

Causæ inflammationis uteri.

tem nimirum anteriorem aut posteriorem, dextram vel sinistram, superiorem seu fundum, aut partem inferiorem sive os; non raró cervix uteri tantum afficitur, quod facilè contactu, ac per dioptram dignoscitur.

Signa tumorum. Ubi intumescit uterus ex conclusa materia intra cavitatem, dum ægra ab uno latere in aliud se movet, fluctuationem & fragorem percipit, tumor utplurimùm major est, magisque æqualis, sed minus dolorificus, quàm in tumoribus substantiæ uteri. Tumor verò uteri contactu deprehenditur, & ex tensione aliqua in media abdominis parte cum læsis functionibus uteri; si magnus sit, & in anteriori parte, urina supprimitur, aut cum difficultate exit, dolor major in pube percipitur; si in posteriore parte, feces alvi cum difficultate egeruntur, dolor lumbos infestat: si fundus afficiatur, dolor & tumor ad umbilicum pertingunt; sin latera, inguina tenduntur, ac crura gravantur.

Signa tumoris flatulenti. Tumor autem mollis cum dolore pungente & distendente sine gravitate & febre, est à flatibus; tumor cum gravitate ab humore; humor si pituita tenuis sit, tumor mollis erit, tactui cedens, seseque rursum paulatim attollens sine evidente dolore aut febre. *Oedematis.* In scirrho verò, tumor durus gravis percipitur sine dolore, nisi spurius sit, difficulter moventur, & in progressu color corporis mutatur; quod *Scirrhi.* in cancro uteri non exulcerato quoque evenit, sed cancer vehementi dolore pungente non sine calore affligit, præsertim circa summum ventrem, inguina & lumbos, & medicamentis facilè exacerbatur, ipseque tumor durus inæqualis colore fæculentus, aut sublividus reperitur, &c. si cancer exulceratus sit, excernitur sanies tenuis aquosa, nigra graveolens, aliquando sanguis, prædicta symptomata sæviora redduntur, &c. si materia calida sit, & *Signa cancri.*

Signa inflammationis.

tumor sub genere, inflamationis ex dolore febreq; deprehenditur. Nam omni inflammationi uteri conjuncta est febris continua; dolor acris pulsatilis; tensio gravitasque imi ventris, oris uteri conniventia, &c. Dolor autem eò vehementior est, & febris ardentior, quò materia calidior fuerit, & inflammatio major. Nam ubi inflammatio erysipelatis particeps est, tumor minor quidem percipitur, sed dolor & febris ardentior, sitis & vigiliæ pertinaciores, symptomata omnia vehementiora: inflammatio enim magna uterum stomachum cerebrum & cor in consensum trahit, unde vomitus, anxietas, dolor capitis præcipuè sincipitis, deorsum retractio tendinum colli, basis oculorum; pulsus parvi crebri, deliquia animi, &c. qualia uteri carbunculum potissimùm comitantur, qui maximè lethalis est, ac ingenti ardore vehementissimisque symptomatibus sævit. Omnis autem uteri inflammatio periculosa est. Terminatur interdum in abscessum, ut inflammationes aliarum partium, & dum pus fit, dolores & febres nullo ordine augentur, quæ confecto pure mitescunt, rursumque dum rumpitur abscessus, redeunt. Post abscessum disruptum, ulcus relinquitur.

Abscessus uteri.

Hydrops uteri.

Hydrops uteri sæpè sumitur pro intumescentia præter naturam inferioris ventris, à tumore uteri ex aquoso humore, aut flatibus conclusis; propriè verò tumor, qui ex humore aquoso, seroso, tenui oritur, hydrops uteri propriè appellatur, qui à flatibus inclusis inflatio ac tympanites uteri. In hydrope colligitur tenuis serosus, aut aqueus humor, præcipuè in spatio seu cavitate uteri, non rarò in ipsius substantia ὑδατίδες erumpunt, seu vesiculæ aquâ plenæ. Humor inclusus sæpè frigidus aquosusque est, interdum acris; qui cum ex-

purga-

purgatur subcruentus saniosus effluit, quasi muria pudenda mordens & erodens. Causa est debilitas caloris nativi uteri, contracta ex frequenti abortu, difficili partu, supressione menstruorum, usu refrigerantium, una cum angustia aliqua orificii ipsius uteri. Colligitur autem humor intra uterum, rariùs per solam congestionem ob debilitatem facultatis alteratricis & expultricis, sæpissimè per transmissionem aliundè, veluti ex vero hydrope abdominis, materia per cœcas vias in uterum prolabente; aliquandò à vena cava serosum sanguinem in uterum instillante principium sumit; aut ex jecore & liene, ut verus hydrops, post longam menstruorum suppressionem & conceptum impeditum. Concluditur & detinetur humor intra capacitatem uteri ob angustiam aliquam cervicis ejusdem, ut obstructionem à crasso lento humore, grumo sanguinis, &c. constipationem à tumore, plerumque ob conniventiam oris à copia humoris replentis & distendentis corpus uteri.

Signa hydropis. Mulieres quæ hydrope uteri laborant, sæpissimè prægnantes existimantur. Consequitur hydropem uteri tumor, circa imum ventrem amplus laxus, & dum de latere in latus se convertunt, strepitus aut murmur aliquis auditur, in ambulando gravitas, & respirandi difficultas, conceptus mensesque impediuntur, aut pauci pravi cruenti fœtidi nullo ordine exeunt, os uteri ad contactum gracile & humidum sentitur, excrementa alvi grave olent, mammæ turgidæ laxæque fiunt, & si lac in mammis sit, vitiatur & aqueum evadit, &c.

Inflatio seu tympanites uteri. Inflatio seu tympanites uteri, est tumor ex flatulento vapore in utero collecto & incluso. Concluditur flatus præcipuè intra cavitatem uteri, aliquando poros uteri & vasa subit & distendit.

 Causa

Causa est debilitas caloris nativi uteri cum angustia aliqua orificii ejusdem, ut in hydrope uteri; flatus autem interdum in ipso utero gignuntur ob debilitatem caloris, vitiumque sanguinis affluentis, sæpiùs ab aliis partibus ad uterum transmittuntur, nimirum à capacitate abdominis in vera tympanitide, ab intestinis, &c. Concluduntur & detinentur in utero propter angustiam aliquam orificii, ut supra in hydrope uteri.

Signa. Comitantur inflationem uteri imi ventris tumor, qualis in vera tympanitide, qui ad digitorum pulsationem sonum tympani æmulatur, dolor pungens, plerumque ad ventriculum & septum transversum ascendens, respirationis difficultas, dolor capitis, ciborum fastidium, & quando bibunt, affliguntur, menses supprimuntur, conceptus impeditur, pedes & cavæ partes faciei intumescunt. Dolores autem vehementiores sunt, & curatu difficiliores, ubi flatus in substantia uteri & vasis continetur; leviores si in sola cavitate conclusus sit, & tum sonus præcipuè auditur, qualis in intestinis, quæ torminibus vexantur, &c. De falsa gravidatione & mola suo loco dicetur.

Tubercula uteri. Præterea in orificio, aut cervice uteri, vel pudendo innascuntur varia tubercula coitum & conceptum impedientia; quæ contactu, aut per dioptram deprehenduntur, ut condylomata, verrucæ, thymi, cœcæ hæmorrhoides, &c. quemadmodum in ano; deinde eminentiæ quædam miliares; præterea scabræ pruriginosæ quædam pustulæ, furfuraceas squammas rejicientes, productæ ab acribus salsis corruptis succis, in iis plerumque, quæ lue venerea inquinantur ex virorum infectorum consortio, ejusmodi pustulæ pruriginosæ maligna sordida & depascentia ulcera præcedere solent.

Sub

Sub morbis in magnitudine aucta comprehenditur affectus, qui à Paulo & Aëtio nympha appellatur, cui similis est morbus ille, quæ κέρκωσις, Latinis cauda vocatur. Verùm cauda morbus est non in magnitudine, sed numero aucto, ac etiam in via. Nympha autem est substantia quædam carnosa supra alarum pudendi commissuram sita, quæ interdum ad tantam magnitudinem excrescit, ut deformitatem & pudorem pariat, notaq; sit insignis impudicitiæ. Nam vestimentorum attritu arrigitur, & similiter ut in viris ad venerem & coitum incitat. *Nympha.*

Cauda verò est carnosa quædam substantia, quæ ab orificio uteri exoritur, & pudendum muliebre implet, coitumque impedit, aliquando extra progreditur instar caudæ, unde nomen habet. Hi affectus oriuntur ex redundantia sanguinis à natura nimiam carnem generante, quare æstate maximè augentur, quo tempore à calore partes dilatantur, hyeme minuuntur. *Cauda.*

Afficitur uterus quandoque morbis in numero præter naturam aucto, cum in eo substantia aliqua contineatur, quæ ex usu non sit, & functiones impediat; sub hoc genere continentur mola, falsa gravidatio, monstrum, quæ propriè symptomata sunt facultatis generatricis; deindè Nympha, ut diximus, lapides & vermes uteri, fœtus mortui, secundina post partum diu retenta; adduntur à nonnullis semen in utero concretum, sanguinis grumus, pus exiccatum, &c. De mola, falsa ingravidatione, monstro, secundina retenta, &c. infra de vitiis procreationis dicetur. *Morbi in numero.*

In utero calculos generari, præter Aëtium testis est *Hipp. 5. Epid. Sect. 7.* qui soluti non sunt, sed tunicis uteri aut collo ipsius affixi. Deinde topha- *Calculi uteri.*

cei, concreti ex crasso lento humore, & ab excrementis augmentum suscipiunt, ac mole sua partes premunt, conceptum prohibent, plerumque fluxum menstruorum.

Vermes uteri. Vermes ex utero excretos se vidisse gravissimi authores scribunt, verùm an ibi generentur, aut aliundè in uterum permeent, dubitatur? credibile est, ut in aliis compluribus partibus, ita in utero generari, maximè in cervice ob copiam excrementitiæ pituitæ rugis adhærentem, sed parvos ut in recto intestino; majores fortassè ex intestinis in uterum migrare, ut voluit Priscianus & Cleopatra. Dignoscuntur ex pruritu partis, cum dolore, ac redundantia pituitæ in pudendo, tumultuoso somno, &c. aliquando cum menstruo exeunt.

Morbi in situ. Præterea uterus à sua sede variis modis dimovetur, morbosque in situ patitur. Situs uteri est in hypogastrio intra vesicam & rectum intestinum, & undiquaque vinculis quibusdam laxioribus alligatur. Nam per fibras complures recto intestino, & vesicæ connectitur, per ligamenta propria ossi sacro & pubis; per tunicam peritonæi cæteris; hepati, per vasa spermatica & venas hypogastricas; cordi, per vasa spermatica & arterias; cerebro & spinali medullæ, per nervos; quare maximus est consensus uteri cum universo corpore, ut mox dicetur.

Movetur autem uterus præter naturam à sua sede in omnem dimensionem, deorsum quidem in uteri procidentia, quando extrà prominet; seorsum ut in ascensu uteri, antrorsum retrorsum aut ad latera in contortione, seu reclinatione, aversione & recursu ad alias partes. Plato uterum arbitratur esse quasi animal vorax, gignendi cupidum, si eo privetur, ægrè moram ferre, passimque per corpus ob-

errare, & ad ſemen excipiendum deorſum ferri, ſurſum deorſumque deſiderio fugaque benè maleque olentium. Medici plerique uterum in coitu ad ſemen amplexandum hiare, & quodammodo diſtendi, deinde conſtringi volunt, ſed à ſua ſede non prolabi niſi vincula relaxentur aut rumpantur, nec ſurſum moveri aut contorqueri niſi à vinculis & vaſis contractis attrahatur, aut inflectur.

Procidentia uteri. Procidentia autem uteri eſt dimotio ipſius ex ſuo naturali loco à proprio pondere decumbente, ob relaxationem aut diſruptionem vinculorum, quibus ſuſtinetur & continetur; Vincula illa ſunt, quibus oſſi ſacro & pubis alligatur, item vaſa & tunica peritonæi. Cauſa præcipua cur pondere ſuo deorſum delabatur, eſt ſolutio aliqua illorum ligamentorum, nimirùm relaxatio propriè dicta, quando longiora redduntur, aut diſruptio: relaxant autem & reſolvunt humectantia, refrigerantia, emollientia, ut intemperies frigida humida, defluxus pituitoſorum humorum, victus balneaque humida, frigiditas pedum & lumborum, animi conſternatio, ſeſſio in loco frigido, &c. Diſrumpunt caſus ab alto, plaga, oneris gravioris elevatio; partus difficilis, ubi uterus vehementi conatu fœtum, aut ſecundinas expellens conſequitur, aut unà cum fœtu mortuo vel ſecundinis, ab imperita obſtetrice extrahitur & invertitur; item vehemens ſternutatio & vociferatio, curſus ad acclivem aut declivem locum, ſaltatio, &c. Fernelius uteri deſcenſum à prolapſu diſtinguit, & deſcenſum appellat, ubi ad inferiores partes uterus provolvitur; prolapſum verò affectum longè graviorem, quod everſus uterus procedat, fundusq; ejus ovi anſerini magnitudine promineat.

Differētiæ procidētiæ uteri.

Mercatus aliiq; nonnulli tres procidentiæ ſpecies ponunt, quarum una eſt, quando uteri cervix in vulvam procidit, altera ubi fundus totumque corpus in cervicem excidit, & videtur quaſi glans viri rubens in ore pudendi cum conſpicuo foramine: tertia cum membrana ejus interna procidit, & rugoſa extrà prominet. In omnibus prominet tumor mollis, quaſi virili ſcrotum, major aut minor pro magnitudine affectus, cum ſenſu ponderis pudendo incumbentis, quando erectæ conſiſtunt; aut recto inteſtino quando ſedent alvumque exonerant; ſi extra multum promineat, magnus dolor ardorq; in imo ventre & pudendo percipitur, urina paulatim exit,& pudendum mordet,&c. Signa cauſarum ex cauſis præcedentibus & effectis ſuis dignoſcuntur.

Aſcenſus uteri et reclinatio.

Dimotio uteri à ſuo loco directè ſurſum, ut in Aſcenſu uteri, vel ad latera, ut in contorſione reclinatione ſive averſione, oritur præcipuè à contractione, ſive brevitate vaſorum & vinculorum uteri, perindè ferè ut in convulſione. Nam contractis vaſis & ligamentis uterus è ſuo loco neceſſariò dimovetur & detrahitur, & ad partem vehementius trahentem inclinat. Quare ubi undiquaque uterus à vinculis æqualiter trahitur rectà ſurſum aſcendere videtur, ſine inclinatione: ſin contractio inæqualis ſit ad unam partem magis, quàm aliam, ad eam, quæ vehementius trahit, declinabit. Cauſa iſtius contractionis præcipua, eſt repletio vaſorum & ligamentorum, plerumque ex menſtruis retentis & ſuppreſſis, quandò ſanguis per venas ad interna uteri nō deſcendit, vel quia orificia vaſorū obſtructa ſunt, vel ſanguis ita craſſus, ut permeare nequeat, ac proinde in vaſis retentus ea diſtendit, ac etiam vicinas uteri appendices replet & extendit. Deinde replentur & tenduntur vincula & appendices uteri ob

ob tumorem aliquem, ut inflammationẽ, ſcirrhum, abſceſſum, &c. item ob ſpiritum flatulentum utero concluſum, quod in ſuffocatione uteri præcipuè accidit, quæ à plerisque ſub aſcenſu uteri comprehenditur, licet ſimplex aſcenſus non ſit, ſed ſymptoma potius, ut ſuo loco dicetur. Præterea accidit brevitas & contractio quædam vinculorum uteri ex vehementi ſiccitate ipſorum, humidum nativum depaſcente, ac ex frigiditate ſubſtantiã denſante & cogente, ſed rariùs.

Opinio Fernelii de commotione uteri.

Fernelius his cauſis commotionis uteri, addit ingenitam quandam uteri proprietatem, quia ut id quod noxium eſt & injucundum fugiat, jucundum & amicum amplexetur & fruatur, ſurſum deorſum ac quoquò verſum exſtimulatur & movetur. Nam uterus odoribus nõ minùs, quàm cerebrum & cor afficitur, gratos enim & jucundos odores ſectatur, & ut tetros refugiat in contrarium movetur ſive naribus, ſive orificio pudendi admoveantur. Verùm conſentaneum non eſt hoc qualicunque motu uterum ulteriùs tendere, quàm à ligamentis aut propria cervice permittatur, nec à ſuo loco proprio recedere, ut in commotione uteri à relaxatione & cõtractione ligamentorum.

Signa commotionis uteri.

In quam partem uterus inclinat ab obſtetrice digitorum admotione deprehenditur, ac etiam partis illius tumore, tenſione & dolore, Nam parti in quam inclinat, dolores incumbunt, & uterus durus veluti pila inſidet. Quare ubi ad ſuperiora recta trahitur ſive aſcendit, ventriculus, & organa reſpirationis læduntur, dolor in præcordiis affligit, difficultas reſpirationis, animi deliquia, aliaque complura ſymptomata, præcipuè ſi adſit vera ſuffocatio: ſi ad latus inclinet, propinqui fœmoris diſtentio, dolor, ſtupor & refrigeratio, motusque ejus difficilis inditio erit: ſi retro, utriusque coxæ & cruris dolor,

lor ſtupor, difficultas motus, alvi ſuppreſſio : ſin ad pubem pervertatur, ibidem dolores percipiuntur & lotium ſupprimitur. Retractio verò uteri ſurſum, ſi ad latus dextrum denotat venas hepaticas, ad ſiniſtrum ſpleneticas copiâ ſanguinis diſtentas à ſua parte uterum retrahere.

Solutio continui. Tandem accidunt utero morbi in ſolutione continui, ut vulnus, deinde dilaceratio & diſruptio vaſorum & membranarum ex difficili partu, fœtus aut ſecundinæ violenta extractione, effreni concubitu, caſu ab alto, &c. Tertiò exulceratio ſive ulcus uteri. Oriuntur autem ulcera multiplici de *Vlcera uteri.* cauſa. 1. ex vulnere. 2. ex diſruptione ac dilaceratione uteri. 3. ex inflammatione in abſceſſum ſuppurata ruptaque ex cancro eroſo, alioque tumore. 4. ex putrefactione fœtus mortui aut ſecundinæ retentæ, vel menſtrui ſanguinis ſuppreſſi & retenti in utero. 5. ab acri bilioſo aut ſalſo humore erodente & defluxu vias abradente, quod accidit vitio proprio uteri, vel ab expultrice partium irritata, per hanc partem purgante vitioſa excrementa, ut in muliebri profluvio latius dicetur. Præterea ulcera pudendi cervicis ac ipſius etiam uteri frequentiſſimè ortum habent à lue gallica, ex excrementis inquinatis & putrefactis circa locellos & rugas. His additur eroſio uteri ab acribus medicamentis.

Ulceris variæ differentiæ ſunt, Nam vel ſim- *Differētiæ & ſigna ulceris.* plex purumque eſt vel inflammatum, vel ſordidum, vel depaſcens, vel fiſtuloſum & calloſum, item cancroſum, vel carbunculoſum. Deinde obſidet ulcus interdum uterum, aut ejus orificium ; nonnunquam cervicem, non rarò pudendum. Exulceratio ipſius uteri, ut abſceſſus eſt in ſinu ſeu cavitate, eſt quandoque in ſuperficie parteque convexa.

Nam

Nam nonnunquam abſceſſus uteri erumpit inter peritonæum & inteſtina, ita ut in imo ventris tumor appareat, qui judex eſt abſceſſum in eam partem dum ſuppuratur inclinare; interdum inteſtinum rectum aut veſica ulceris quoque particeps eſt, unde alvus vel urina cum difficultate evacuatur. Facti ulceris inditia ſunt pus per genitalia deſtillans, vellicatio & punctio uteri, dolor punctorius in parte affecta, præcipuè dum contrectatur, qui ad coxas imumque ventrem, quandoque ad jugulum ſurſum pertingit, unde febris lenta, dolor ſincipitis & radicum oculorum ad manuum digitos ſe extendens, ut in inflammatione uteri. Ulcus in pudendo, aut cervice, contactu, aut per uſum dioptræ deprehenditur; altum & reconditum intra ſinum uteri, per ſubſtantiam & colorem eorum, quæ excernuntur. Ulcus purum conjectabis, cum humor paucus albus æqualis craſſus minimeque fœtidus exierit; inflammatum ubi ſanioſa pauca cruenta cum magno dolore: ſordidum ſi copioſa minus cruenta cum minore dolore: ſin depaſcens fuerit, evacuabuntur ſanioſa magis fœtida, nigra corrupta, acria interdum cruenta, & grumoſa, cum ingenti dolore ad coxas & jugulum ſæpè pertingente. Fiſtuloſum ulcus dignoſces ex callo forma fiſtulari obducto, ex tenui virulenta ſanie, cum exiguo dolore.

Ulceris cancroſi ſigna ſupra enumerata ſunt. Inveterata ulcera uteri maligna depaſcentia & periculoſa redduntur: ſi ſanentur, cicatricem relinquunt ægraſque ſteriles reddere ſolent. Sub genere ulcerum continentur Rhagades uteri, quæ eodem modo oriuntur, ut in ano.

Hactenus de morbis, qui utero propriè & per eſſentiam accidunt, læduntur functiones, quæ

Læsiones vitio obiecti.

quæ ope uteri perficiuntur, ab errore externo vitio objecti sive seminis & sanguinis menstrui ac per consensum aliarum partium. Nam primum ubi semen & sanguis menstruus à naturæ modo recedunt, & in quantitate & qualitate peccant, functiones uteri læduntur, ac aliæ partes in consensum sæpè trahuntur. De vitiis seminis, quæ viris & mulieribus communia sunt, supra dictum est. Vitia sanguinis penes quantitatem sunt sanguis ex venis affluens, nimis copiosus, aut paucus, nullusque. Deinde ratione qualitatis, calidus vel frigidus, acris tenuis, vel crassus lentus, corruptus, aut ita vitiatus, ut non modò ad fœtus procreationem & nutritionem ineptus sit, sed etiam ipsi utero infestus, undè varii morbi & symptomata. Menstruum sanguinem uterus non attrahit & expellit, sed natura totius corporis id quod redundat in venis, & superest ultra nutritionem, per uterum expurgat, & parsimonia affecta id totum sui gratia asservat: ac proinde uterus usum tantum commodum susceptioni menstruorum præstat, sicut & generationi. Nimis copiosum sanguinem natura irritata immodica copia & acrimonia ad uterum transmittit, ut in profluvio menstruorum dicetur. Paucum aut nullum suscipit ob defectum sanguinis superflui in corpore, aut quia per alias partes expellitur, ut per nares, os, hæmorrhoides, &c. pravus seu vitiosus sanguis in venis coacervatur læsa concoctrice jecoris & ventriculi ac effectis præcipuis visceribus; ad uterum vero partem debilem, maximeque oportunam robore facultatis cæterarum partium relegatur, ut in profluvio muliebre mox dicetur.

Affectus uteri per consensum

Trahitur uterus in consensum à vicinis partibus affectis, ut à recto intestino, vesica, &c. Deinde à ventriculo pravis succis referto, ac ab aliis nervosis partibus affectis, item à capite ex catarrho, ac ab omni

omnibus partibus, quæ à natura mutuum consensum cum utero adeptæ sunt, ita ut suos proprios affectus utero facilè communicent, & uterus illis vicissim suos; ex quo consensu in hystericis tanta symptomatum diversitas.

Restant ut de symptomatibus in specie dicamus, quæ fœminis accidunt circa menstrui sanguinis expurgationem & procreationem.

Symptomata quæ cõtingunt circa evacuationẽ menstruorum.

Purgatio autem menstruorũ tripliciter læditur; I. quando planè tollitur, & menstruorum suppressio vocatur, II. quando imminuitur seu non justa quantitate, aut rariùs, quàm oportet menstrua expurgantur. III. ubi depravatè exeunt. Depravata verò expulsio intelligitur, vel ratione quantitatis immodicæ sanguinis, quæ profluvium menstruorũ vocatur; vel qualitatis, quando menses decolorati, vel humor alius à sanguine excernitur, ut in profluvio muliebri seu uterino; vel ratione modi, si cum dolore guttatim exeant, quæ affectio stillicidium uteri propriè appellatur. Nam ubi sine dolore menstrua guttatim, sive parcè & difficulter egrediuntur, certisq; temporibus, sub diminuto profluvio menstruorum potiùs, quàm depravato continetur.

Carere menstrua purgatione aliquibus mulieribus naturale est, aliquibus præter naturam: naturale tantum iis est, quæ nullâ molestiâ totius corporis & uteri afficiuntur. Acta idonea purgationi menstruorum, debita quantitas, & tempus unum certum determinatumque non est, sed evariant hæc omnia pro dispositione & temperamento corporum, victusque ratione, ut plurimum ante 14. ætatis annum incipiunt, & post 50. desinunt. In temperatis, beneq; constitutis corporibus non prægnantibus, nec lactantibus singulis ferè mensibus duobus aut tribus diebus, à natura sanguis rubens, animalis recenter mactati similis per venas in sinum

aut

aut cervicem uteri terminantes expurgatur, mensura duarum heminarum Atticarum aut paulò plus, ut voluit Hipp. Aliquæ tamen parum purgantur, & nonnullæ citra omnem menstruorum purgationem innoxiè vivunt.

De suppressione menstruorum.

Uterus, ut supra diximus, menstruum sanguinem non attrahit & evacuat, sed natura corporis seu expultrix præcipuorum viscerum & venosi generis, id quod redundat ultra nutritionem, & molestum est per venas uteri statis temporibus expurgat. Quare suppressio menstruorũ est abolita menstrui purgatio in fœminis justæ ætatis, orta ex frustratione facultatis expultricis. Frustratur vel ob debilitatem ipsius facultatis, vel vitium sanguinis, qui expelli debet; vel angustiam vasorum uteri & cervicis per quæ expurgatur. Sub debilitate expultricis facultatis comprehendimus sensûs hebitudinem seu torporem, ut causam sine qua non. Nam expultrix ut irritetur & expellat, pondus aut acrimoniam sanguinis præsentiscere debet: igitur quantò minùs senserit ea, quæ noxia sunt, eò minus aut tardius ad expellendum insurgit. Debilitatur expultrix viscerum venosique generis & totius corporis, ac sensus quoque obtunditur ob intemperiem frigidam, deinde ob pravum quemcunque affectum calorem nativum debilitantem, ut validas obstructiones scirrumque jecoris, lienis, ventriculi, in cachexia, hydrope, &c. cerebri in lethargo, epilepsia, &c. pulmonum in asthmate. Vitia autem sanguinis sunt defectus, crassities & visciditas ac pravus motus, quando ab utero avocatur, & ad alias partes decumbit & evacuatur.

Suppressio ex defectu superflui sanguinis.

Deficit autem sanguis superfluus in fœminis nonnullis justæ ætatis à naturâ, quæ suum alimentum perfectè degerunt, nihilq; superflui relinquunt, cujusmodi sunt viragines, quæ coloris fusci sunt

& cor-

& corpora nervosa, compacta, robusta, hirsuta obtinent, pectus & humeros latos, lumbos amplos, mammas solidas, vocem gravem, &c. Deindè quæ validis exercitiis, quicquid in ipsis superfluum est, consumunt, ut saltatrices, aliæque fortibus exercitiis utentes. Tertiò in gravidis & in lactantibus. Nam sanguis superfluus in gravidis, in fœtus nutritionem convertitur; in lactantibus verò ad mammas transfertur pro lactis generatione. Hæ omnes citra ullum affectum totius corporis, aut uteri menstrua purgatione carere solent. His adduntur ab Aëtio fœminæ obesæ, quæ præ cæteris exangues sunt, angustasque venas obtinent, & sanguis qui in illis est ferè in pinguedinem transit, cujus inditium est, quòd rarissimè concipiant. Deinde graciles ob diuturnum morbum attenuatæ, quæ nihil penitus superflui sanguinis habent. Verùm ista gracilitas nisi connaturalis sit, & foveatur à debilitate viscerum, ac atrophia, non semper, sed ad tempus defectum menstruorum efficit. Deficit quoque sanguis ex medio tenui victu, defectu utilis alimenti, vigiliis, curis. Deinde deficit fluxus menstruorum, ab immodica sanguinis copia, ac nimia crassitie & viscositate, quæ plerumque vias quoque intercipiunt, suppressionem gignunt. Tertiò avertunt sanguinem superfluum ab utero, & ad alias partes transmittunt immodicæ evacuationes per alias vias, ut fluxus sanguinis per nares, os, hæmorrhoides, vulnera, phlebotomia per superiores venas, dysenteria, cæterique alvi fluxus, vomitus, immodici sudores, &c. præterea ingens timor & mœror non solum sanguinem ab utero avocant, sed etiam refrigerant: connatum calorem extinguunt, &c. His modis citra affectum uteri deficiunt menstrua.

Defectus

Suppressio menstruorum ob angustiã uteri.

Defectus autem menstruorum, qui citra affectum uteri oritur, à nonnullis suppressio notha impropriéque dicta vocatur; quæ ex affectu uteri, vera suppressio menstruorum. Affectus omnes uteri menstruorum purgationem impedientes ad angustiam vasorum & cavitatum reduci poterunt. Causa angustiæ vel ab ortu accidit vitio conformationis, vel post nativitatem, & adventitia est. Nam supra dictum est, angustia varias species causasque habet, quarum una est subsidentia ex substantiæ uteri condensatione, duritie & siccitate, ac ipsorum vasorum contractione & astrictione ab intemperie frigida vel sicca, vel utraque, aliquando sicca calida, item ex usu medicamentorũ immodicè astringentium, & exsiccantium; fit etiam subsidentia oris & cervicis uteri ex perversione seu distortione ejusdem. Secundò obstructio vasorum & viarum à copioso sanguine crassoque infarcto, & à quocunque crasso lento humore. Tertiò constipatio & obturatio meatus ab innata membrana seu pellicula, ut in non perforatis, vel carne aut callo ex ulcere, vel cicatrice oscula vasorum exsiccante, vel tumore aliquo, ut inflammatione, scirrho, &c. Compressio vasorum & cavitatum à tumore partium incumbentium, ut in obesis & hydropicis, ut supra dictum est. His additur coalescentia & conglutinatio ex ulcere, &c.

Diminutæ evacuationis causæ

Hæ omnes causæ si leviores fuerint, pro suppressione diminutam menstruorum evacuationem & tardam, interdum ad formam stillicidii paucam sine dolore efficiunt. Nam tardæ evacuationis, quæ debitum tempus remoratur, & diminutæ, causæ præcipuè sunt expultricis debilitas, sensusque hebitudo & materiæ defectus vel crassities, visciditas, &c. ac semiangustia vasorum, uteri.

Utrum menſes planè ſuppreſſi aut diminuti ſunt, cognoſcemus ex relatione patientis. Si mulier quæ non concepit aut peperit, lac in mammis habeat, menſtrua ei defecerunt. Prægnantes verò propriis ſignis diſtinguuntur ab illis, quæ menſtrua ſuppreſſione laborant, nimirum contactu orificii uteri, ſi citra duritiem clauſum inveniatur, &c. Nam quæ ſuppreſſione laborant, occluſio ſemper eſt cum duritie. Suppreſſionis, quæ ex defectu ſanguinis non oritur, ſymptomata ſunt cibi faſtidium, nauſea, horrores inæquales, totius corporis gravitas, præcipuè lumborum & ſcapularum, dolor lumborum, colli & ſyncipitis ad radices oculorum pertingens, laſſitudo tenſiva; in progreſſu febris lenta, urinæ craſſæ turbidæ rubicundæ ſæpe nigræ cum quodam ſanioſo humore, dyſuria, ſtranguria, tandemque alia graviſſima ſymptomata & morbi. Cauſarum diverſitas partim ex victus ratione, habitu corporis & excrementis partim ex relatione patientis deprehenditur: ſi vitium naturale ſit, menſium beneficio à primis annis deſtituuntur, ſin adventitium ex iis, quæ ſupra cuique affectui aſſcripta ſunt dignoſcitur. *Signa ſuppreſsionis.*

Purgatio menſtruorum ſtatis temporibus moderata mulieres à variis morbis defendit. Moderata æſtimatur non ex multitudine, ſed ex tollerantia & conferentia. Nam copioſa evacuatio citra omnem virium jacturam immodica non eſt, nec profluvium menſtruorum. Sub profluvio menſtruorum continetur omnis purgatio ſanguinis per uterum, ſupra naturæ vires & modum, quando menſes aut copioſiùs profluunt, aut diutiùs, quàm pro ſanguinis multitudine, aut frequentiùs, & non ſtatis temporibus. Menſtruorum profluvium eſt immodica ſanguinis per uterum evacuatio, orta ab expultrice totius corporis, vel præcipuorum viſcerum *Nota moderata purgationis.* *Profluvium menſtruorum.*

ſtimulata à copia, vel qualitate ſanguinis, aut retentrice uteri & cervicis ejusdem debilitata ob apertionem, ruptionem, aut eroſionem vaſorum. Cauſa hujus mali vel extra uterum eſt facultas expultrix totius corporis, viſcerum aut venoſi generis ſtimulata, vel in utero retentricis vaſorum debilitas. Expultricem autem ſtimulat primum ſanguinis nimia copia ſupra vaſa aut vires, ut in plethoricis, quæ tanta interdum eſt, ut non ſolum expultricem irritet, & orificia vaſorum aperiat, ſed etiam ipſas venas uteri diſrumpat. Deinde ſanguinis vitioſa qualitas, quando calidus, acris, tenuis, ſeu bilioſus, ſeroſus, aquoſus ſalſus melancholicus, corruptus, ratione cacochymiæ, contractæ ex prava victus ratione, & vitioſa viſcerum conſtitutione, &c. unde menſes decolorati. Nam cum ſanguis vitioſus in toto aut jecore venoſoq; genere ob retentricis debilitatem contineri nequeat, à natura vi expultricis ad vaſa uteri protruditur, tanquam ad partem debilem, maximeq; oportunam; & eò magis, quò partes ipſeque uterus magis exquiſito ſenſu præditus eſt. In criſibus accidit quoque ut natura ſanguinem vitioſum ad uterum transmittat, ſed hæc evacuatio eſt plerumque cum tollerantia & conferentia.

Retentrix uteri debilitatur propriè ob apertionem, ruptionem aut eroſionem vaſorum, per accidens robore expultricis ſtimulatæ. Ἀναστόμωσις ſeu apertio orificiorum vaſorum uteri aut cervicis ejusdem fit à copioſo ſanguine facultatem expultricem exſtimulante, item ab intemperie frigida humida, & à balneis, fomentis orificia relaxantibus, emollientibus, &c. Ruptio quoq; oritur ex ſanguinis copia irruente, ut jam dictum eſt, à cauſis quibuscunq; diſrumpentibus & vulnerantibus, quales ſunt laborioſus partus, cum fœtus vel grandior eſt,

vel

vel vitiose situs, vel violento conatu excluditur, item fœtus, & secundinæ violenta extractio, effrenis coitus, casus ab alto, plaga, &c. Erosio fit ex acribus salsis corruptis humorib⁹, ab ulcere vicinarũ partium, ac à medicamentis acribus extrinsecus admotis quæ menses provocant.

Anticipatio menstruorum. Ab his causis menses immodica quantitate profluunt, debitũ verò tempus antevertunt ob easdem causas, & propriè ob expultricem ante tempus irritatam, & retentricem debilitatam, quibus additur sensus acrimonia; nam quantò partes exquisitiori sensu præditæ sunt, eò citiùs afficiuntur & irritantur, ut noxia expellant.

Signa. Immodica menstrui sanguinis evacuatio æstimatur, ex virium debilitate, malaque tollerantia, eamq; comitãtur symptomata, quæ ex virium calorisque nativi debilitate consequi solent, ut inappetentia cruditates, fœdus corporis color, sæpè tumor pedum & totius corporis œdematosus. Deinde ex viscerum totiusque affectu fluor copiosior est: ex solius uteri, parcior; si causa sit sanguinis copia, adsunt signa plethoræ ad vasa vel vires; sin à qualitate sanguinis; ejusdem generis egreditur acris biliosus, serosus corruptus, &c. mensesque magis decolores sunt. *Menses decolores.* Menses decolores hîc voco, ubi excernitur sanguis cum aliis humoribus permixtus, ita tamen, ut sanguis prædominetur. Nam ubi alius humor prædominatur, & serosa, alba, pallida viridia nigra, saniosa, nullo ordine & circuitu prodeunt, Fluor uterinus peculiariter vocatur.

Præterea consideranda est sanguinis erumpentis multitudo, & delationis modus. Nam ex amplioribus venis apertis aut ruptis, magna sanguinis copia confertim profluit, à minoribus verò vice versa. Verum ob vasorum apertionem sanguis non statim sed in progressu copiosus sine dolore profunditur;

ob disruptionem statim initio copiosus cum dolore, & præcesserunt causæ rumpentes: ob erosionem initio paulatim, aut in forma stillicidii sensim cum dolore erumpit, interdum sanguis purus, interdum serosus, saniei specie, assiduè aut ex brevibus intervallis.

Stillicidiũ uteri. Ubi sanguis paucus ex brevibus intervallis, aut guttatim forma stillicidii exit, stillicidium uteri nominatur, & stillicidio vesicæ seu urinæ correspondet, ut Ischuria menstruorum suppressioni. Verùm ubi sanguis guttatim ex rarioribus intervallis non multus sine dolore prodit, ad diminutum fluxum menstruorum refertur, ut jam diximus: sin brevioribus intervallis & cum dolore, ab Aëtio stillicidium uteri propriè appellatur. Hujus causæ sunt meatus angustia non perfecta, diversimodè contingens, & retentricis debilitas, ac distentio à sanguine copioso, aut humore crasso ad uterum detruso, qui non facilè nec citò forás evacuatur, interdum erosio, &c.

Profluviũ muliebre & uterinum. Fluxus muliebris & uterinus sumuntur indifferenter pro omni humiditatum evacuatione ab utero, quæ nec seminis est, nec sanguinis menstrui: aliqui tamen uterinum fluxum à muliebri distinguunt eumque esse volunt, evacuationem humoris non à toto, sed solum ab utero, seu illius solum, qui in utero generatur, & per congestionem colligitur ex affectu proprio. Profluvium muliebre propriè est vitiosorum humorum, ex toto corpore per uterum expurgatio, ab expultrice viscerum irritata plerumque cum debilitate vasorum uteri. In fluxu considerantur pars mandans & recipiens & materia. Pars mandans, quæ per uterum expellit, sunt præcipua viscera, aut totum corpus, venosumque genus præter naturam affecta à vitiosis humoribus. Pars recipiens est uterus, ob debilitatem retentricis

vena-

venarum, aut quia ad fluxiones recipiendas maximè oportunus est. Materia quæ ab expultrice evacuatur, tenuis & ichorosa magis, quàm crassa, est interdum corrupta, putrida, fœtidaq; aliquando non; sæpissimè alba, ex tenuis pituitæ defluxu, non rarò serosa à seri superfluitate, nonnunquam pallida aut citrina ex affluxu bilis, quandoq; rubra quasi sanies, aut ichor sanguinis, rarissimè nigra ex melancholia, sæpè varia ex variis humoribus. Purus sanguis non est, nisi in utero erosio, aut disruptio excitata sit.

Causa profluvii muliebris. Causa vitiosum humorem gignens in profluvio muliebri propriè dicto in visceribus consistit, aut à prava victus ratione oritur, sicut in uterino fluxu in ipso utero. Viscera autem affecta aut inquinata vitiosos humores assiduè gignunt; ut materiam pituitosam ventriculi, jecorisque refrigeratio, in iis, quæ laxiore humidiore corpore sunt, & in otio vivunt, & frigido humido victu utuntur; serosa & aquosa humiditas fit à læsa sanguificatione, serique segregatione; biliosa ob intemperiem viscerum calidam, &c. Corruptio humorum ex putredine in vasis pravisque alimentis, &c. Profluvium uteri ex solo utero affecto rarissimè oritur imprimis ob debilitatem caloris nativi ab intemperie frigida, scirrho, frequenti abortu, difficili partu, contusione, interdum ob erosionem, &c.

Signa. Signa fluxus muliebris sunt, pudenda assiduè madent humoribus varii coloris, facies, totumque corpus decolor est, oculi prætumidi, difficulter spirant, pedes tument, inferiora torpent, si ex utero sit fluxus parcior est, colorque corporis non ita subitò mutatur, &c. Causarum diversitas ex colore & consistentia excretorum dignoscitur, color verò in pannis, quibus deterguntur hæ sordes exsiccatis.

Gonorrhaa.

Albo fluxui uterino ſimilis eſt in mulieribus gonorrhæa, involuntaria ſeminis evacuatio ex vaſis ſpermaticis per cervicem uteri & pudendum ob debilitatem facultatis retentricis non aliter, quàm in viris ſuprà dictum eſt. Diſcernitur hæc ab albo profluvio, quod materia alba, pauca, craſſa ex longioribus intervallis, ac etiam tempore menſtruorum exeat, quod in fluore uterino non fit.

Præfocatio uteri.

Præterea uterus affectus ex ſemine & menſtruo retento & corrupto, principes partes in conſenſum trahere ſolet; undè varia ſymptomata hyſterica, quæ ſub nomine unius præcipui & graviſſimi ſymptomatis, nimirùm ſuffocationis ſeu præfocationis ab utero continentur, quæ à Græcis πνὶξ ὑστερικὴ, & ſi graviſſima ſit cum reſpiratione & pulſu inſenſili ἄπνοια ὑστερικὴ nuncupatur. Nam hujus mali unũ maximè commune ſymptoma eſt reſpirationis debilitas, quæ omnium primò & graviſſimè afficitur, adeò ut prorſus cohibita & ſublata videatur. Quare ſtrangulatio ſymptoma proprium uteri non eſt, ſed organorum reſpirationis, deinde cordis, cerebri, ventriculi, aliarumque principalium ſupernarumque partium, quæ ab utero læduntur; quarum læſionum cauſa in utero conſiſtit. Hæc paſſio quia citò fit, citò deſinit, & per intervalla ſubitò recurrit, atque interdum intra paucas horas interimit, à ſola intemperie frigida ortum habere non videtur, ſed à vapore tetro, maligno & venenato ex ſemine, aut ſanguine in utero retento & corrupto. Nam conſtat mulieres ſalaces viduasque, quæ à complexu venereo abſtinẽt, aut quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt, hoc malo maximè infeſtari. Deinde in paroxiſmo uterum utplurimùm ſe commovere ſurſumque recurrere.

Definitio suffocationis uteri.

Itaque præfocatio ab utero est magna respirationis debilitas repentè ex intervallis ferè repetens, unà cum læsione functionum cordis, cerebri, aliarumque principalium supernarumque partium; orta ex tetro maligno vapore, ex semine, aut sanguine menstruo retento & corrupto in utero, qui ipsum uterum inflat, irritat & commovet, & ex utero sursum sublatus supernas principesque partes afficit. Corruptio autẽ seminis & menstrui sanguinis præcipuè est intra sinum seu cavitatem uteri, licet semen intra vasa spermatica, & sanguis in venis uteri retentus computrescere queat, non aliter quàm in febribus putridis, verùm ea putredo non ita maligna est, ac febres diuturnas & hystericas virginum passiones magis excitat. Vapor malignus ex corruptione in utero genitus, uterum inflat, & ad expellendum stimulat, ut sursum recurrere & contorqueri plerumque percipiatur: undè primùm intestina, hinc diaphragma & ventriculus comprimitur; ac ipse vapor ex utero sublatus in diaphragma thoracisque partes, respirationem tam exiguam efficit, ut insensilis sæpè appareat; ac per arterias in cor irruens spiritus caloremque nativum debilitat, leves animi defectiones, totius corporis refrigerationem, pulsus interdum validiores, interdum adeò parvos facit, ut non percipiantur; ad ventriculum delatus, eructationes, ciborum fastidium, nauseam, &c. In cerebrum alias stuporem gravem omnium sensum excepto auditu, altum soporem, aliàs desipientiam, furorem, interdum convulsionẽ, &c. Quare hæc affectio omnes eadem forma non invadit: Deinde ut epilepsia, diuturna est, & per circuitus crebriores aut rariores repetit, singulisque accessionibus præceps periculum affert.

Causa varietatis.

Causa varietatis & diversitatis symptomatum consistit in putredinis qualitate, deinde copia, ac

Symptomatum.

etiam in debilitate membrorum, quæ utero consentiunt & compatiuntur. Nam quò substantia præstantior est, eò deteriori putredine corrumpitur, magisque pernitiosam qualitatem contrahit, quare ex corruptione seminis putredo omnium pernitiosissima oritur, ex sanguine magis pernitiosa, quàm ex aliis humoribus, Unde Stephanus Atheniensis teste Gal. apnæam hystericam fieri tantum putavit, ex tetris vaporibus in cor sublatis ex semine corrupto. Quævis putredo pro majoris minorisq; ratione, majora aut minora producit symptomata Nec mirum videri debet, vel ex minima seminis mole in venenatam naturam corrupta, tanta accidentia consequi: nam exiguum virus scorpii per angustissimum foramen injectum, longè sæviora producit, & saliva canis rabidi si corpus tetigerit confestim, interdum ex longiori temporis intervallo rabiem excitat.

Differētia præfocationis uteri.

Hujus affectus tres gradus, aut species à nonnullis statuuntur, quarum una vehementissima est, apnæa hysterica, ubi pulsus & respiratio non percipitur, totumque corpus refrigeratur; altera in qua ægrè spirant, pulsumque debilem habent, sensu non omninò privantur; tertia quando brachia & crura convelluntur, &c.

Signa.

Ubi paroxismus in propinquo est, præcedunt hæc signa torpor mentis, pigritia corporis, crurum debilitas, aspectus mæstus, &c. cum jam incipit repente oritur respirationis debilitas, obmutescentia, altus sopor, stupor mentis & sensuum, crurum retractio, aliaque supra proposita: & ubi accessio remittit, humiditas quædam ex locis muliebribus tactu excurrere percipitur, uterus paulatim laxatur, intestina murmurant, malæ rubescere incipiunt, sensus motusq; redeunt, &c. Supervenit hoc mali genus, præcipuè autumno & hyeme, & juniores ad

ad Venerem proclives, ſteriles; & viduas maximè corripit. Diſtinguitur à cognatis affectibus uteri commotione, & quod præceſſerit ſuppreſſio menſtruorum aut ſeminis, & affectus uteri: à ſyncope, quod pulſus aliquis utplurimùm ſentiatur, ſudor frigidus non erumpat, nec facies pallida ſit, neque odoratis juventur, niſi inferioribus admoveantur. Ab apoplexia, quod ſentiant ſi pungentur; ab epilepſia, quod vocatæ audiant, & poſt paroxiſmum plerumque recordentur, ac facies tumida magisq; rubicunda ſit, &c. In apnæa hyſterica, an vivæ ſint ſternutatoriis cognoſcendum; experiri floccis naribus admotis, aut vaſe aquâ pleno impoſito regioni ſtomachi, juditium fallax eſt.

De vitiis procreationis.

Supereſt eſt, ut de ſymptomatibus ad procreationem pertinentibus, dicamus. Procreatio autem quantum ad uterum abſolvitur conceptu fœtus formatione & geſtatione, uſque dum fœtus abſolvatur, tandem partu legitimo. Ad has actiones perficiendas neceſſaria ſunt, primo ager fertilis ſive uterus bene temperatus & conformatus, qui vires omnes quatuor naturales robuſtas obtinet, licet omnibus pariter non agat, ſed peculiariter attractrice, ut ſemen genitale ſuſcipiat, retentrice & alteratrice, ut ex ſuſcepto ſemine concipiat, fœtumque abſolvat; expultrice in partu, ut legitimo tempore fœtum perfectum in lucem edat; unà cum ſecundinis: Deinde requiritur ſemen fœcundum utriusque ſexus permixtum & in uterum attractum, ex quo fit primùm conceptio, deinde fœtus adumbratio; ac etiam ſanguis menſtruus per uteri acetabula, quo fœtus nutriatur & augeatur, & partes nonnullæ generentur. Quare uniuscujusque horum defectu operationes facultatis generatricis vitiantur & impediuntur.

Symptomata procreationis

Læsio autem cujusque actionis tribus modis accidit. Nam primùm mulier ex viro aut omnino non concipit & generat, quæ læsio sterilitas propriè dicitur; aut concipit quidem, sed rarò ut semel tantùm, &c. & hæc quoq; sterilitas vocatur; vel depravatè & perperam sub qua contineri poterit inanis conceptus, ac etiam numerosus, quandò uno tempore plures concipiunt, quàm alere & ad perfectionem perducere queant. Secundò vitia formatricis facultatis in utero sunt mola, falsa gravidatio, deinde debiles & morbosi fœtus, tertiò monstrũ, ac etiam fœtus immodica magnitudo, quæ gestationem, partumque difficilem reddit. Gestatio læsa consideratur, vel ratione temporis, si fœtus immaturus & ante tempus in lucem edatur, & abortus propriè nuncupatur; vel ratione modi, ubi gestatio molesta & gravis est cum variis symptomatibus, ut nausea, fastidio ciborum, pica, ventris gravitate, strangulatione uteri, &c. Tandem partus læditur cum citius fit, seu ante tempus legitimum fœtus exit, & dum abortus est, ut diximus; vel tardius fit, quàm oporteat, ut cum fœtus in utero debiles aut mortui non egrediuntur: vel cum magno dolore aut labore exeunt, aut modo non naturali, ut primò pedibus aut brachiis; aut secundina relicta, &c. & tum partus difficilis appellatur.

Conceptus quid?

Initium procreationis est à conceptu. Conceptus autem est fœcundi seminis utriusque sexus in uterum attracti in perfectum actum traductio, ab insita facultate residēte in semine maris, ut in physiologicis demonstratum est. Nam ad conceptionem requisita sunt, primò ut per coitum semen viri prolificum in interiorem uteri cervicem ejaculetur; Deinde ut mulier cum voluptate rite suscipiat, & pariter suum semen in uteri orificium emittat, Præterea ut uterus benè temperatus semen in interio-

rem

rem sinum attrahat, postea clauso orificio arctè contineat, foveat, & in actum deducat: cujusque horum defectu conceptio impeditur, sterilitasque oritur.

In seminis generatione & omissione eadem fere symptomata mulieribus, quæ viris accidunt. Deinde appetentia Veneris vel extincta vel ignava est, vel immodica: sub immodica continetur Satyriasis, furor uterinus, ac etiam nympha, de qua supra. Satyriasis & tentigo mulieribus evenit, qualem in viris ferè supra retulimus, quæ nihil aliud est, quàm ardens coëundi desiderium, cum ingenti pruritu & dolore pudendi, ab inflammatoria affectione ex salsis acribus humoribus impactis: In hoc malo fœminæ intollerabili Veneris desiderio contabescunt, ipsumque desiderium sæviorem affectionem reddit, quod partes inflammatæ seminis excretionem impediant. Deinde ob salsos humores impactos vehementem pruritum pudendi cum dolore, tensione & palpitatione sentiunt, ita ut manus assiduè admoveant.

Symptomata.

Satyriasis

Furor uterinus est vesana coëundi cupiditas cum pruritu pudendi, orta ab ingenti fervore uteri cerebrum in consensum trahente, seu tetros habitus in cerebrum mittente. Accidit hæc affectio præcipuè naturis calidis, & libidinosis, ætate vigente, quæ in deliciis vivunt, & præter consuetudinem à Venere abstinent. Desipientia tota in Venere versatur, nihilq; aliud cogitant & loquuntur, quàm de coitu, deinde pruriens pudendum habent, ejusque contactu mirè delectantur. Satyriasis & furor uterinus tales affectus sunt pudendorum, qualis immodica sitis est orificii ventriculi; verùm in furore uteri adjungitur error principis facultatis, à vaporibus in cerebrum ascendentibus ex semine aut aut sanguine adusto.

Furor uterinus.

Steri-

Sterilitas.

Sterilitas mulieribus primariò tribuitur, quatenus viris utuntur, licet causa sterilitatis non semper accidat vitio mulieris, sed interdum viri, & sæpè utriusque. Est autem sterilitas impotentia mulieris justæ ætatis viro utentis, ad concipiendum, proveniens primario vitio uteri aut seminis. Dico viro utentis, Nam quæ coire seu pudendum virile moderatum intra cervicem uteri admittere non valent, nec semen virile in uterum recipere, minus propriè steriles, sed ad coëundum impotentes tantum dicendæ sunt. Nam terra priusquam semen in eam projiciatur, nec sterilis, nec ferax propriè vocatur, attamen quæ nec coire, nec semen virile admittere possint, sterilibus annumerantur, quia non concipiunt. Mulieres ad coëundum impotentes redduntur ob angustiam aliquam vulvæ & cervicis uteri, ut obturationem à membrana innata in non perforatis, aut caruncula aut tumore innato, compressione, obstructione; astrictione; labiorum vulvæ & laterum cervicis conglutinatione, &c. Item ulcere aut affecto dolorifico.

Causa impotentiæ in mulieribus.

Sterilitatis quatuor sunt differentiæ, una nativa & absoluta ex ingenito vitio; altera adventitia ex morbo post ortum, qui industria medici aut decursu ætatis sæpè curatur: tertia earum quæ pepererunt, sed à primo aut secundo partu non concipiunt, quarta est per collationem fœminæ ad virum proprium seu unicum. Hæc mulieribus accidit vel ratione viri aut utriusque ex defectu & prava qualitate seminis; cæteræ species propria ratione, vitio uteri vel seminis.

Quatuor species sterilitatis.

Ratione uteri causa sterilitatis, est omnis affectus attractionem, retentionem & vivificationem seminis in utero labefactans, & debilitans ac geneturam extinguens vel corrumpens, ut quævis insignis intemperies; vel impediens, ut mala conformatio,

Sterilitas ratione uteri.

matio, constructioque uteri, unitatisque solutio. Hæc vitia vel ingenita sunt ex nativo defectu à prima constitutione, vel adventitia. Nam nonnullæ naturâ steriles sunt, ex nativa intemperie pravaque uteri vasorumque spermaticorum conformatione, præcipuè frigidæ, quæ uteros frigidos densos habent, ventrem strictum coxarum ossa multum contracta, & non pubescunt. Nam naturâ fœcundæ existimantur, quæ proceritatem corporis mediocrem obtinent, bonamque temperiē præcipuarum partium, superiorem ventrem, & lumbos latos, nates eminentes, pectus angustum, mammas amplas, quæ his maximè oppositæ sunt, steriles præcipuè judicantur. Deinde steriles plerumque sunt viragines, & quæ nihil superflui sanguinis gignunt, aut in corpore relinquunt, item obesæ, nimisque graciles, quæ menstruis carent. Præterea sterilibus annumerantur impuberes, & senio confectæ, ac quæ acuto aut diuturno morbo consumuntur, verùm non absolutè, sed ad tempus. Quemadmodum in terra cui semina cerealia cōmittuntur, ita in utero quævis intemperies simplex aut composita sterilitatem inducere poterit. Maximas vires obtinet frigida. Nam ut *Hipp. ait 5. aph. 62.* quæ frigidos densos uteros habent, non concipiunt, extinguitur enim in illis genitura. Deinde in nimis humidis uteris suffocatur & obruitur, non aliter quàm semina cerealia in terra palustri. Præterea ignei vel aridi & squallentes uteri genituram ob defectum alimenti corrumpunt, taleque quid accidit, quale ubi arenis & petris mandantur semina.

Natura steriles & fœcundæ.

Intemperies uteri.

Morbi compositionis uteri sunt nimia amplitudo seu dilatatio orificii, aut cervicis uteri, ut semen genitale non retineat, vel vasorum, ut sanguis præter naturam effluat, deinde angustia orificii uteri, ut semen intra sinum non recipiat, aut vasorum

Morbi cōpositionis sterilitatē inducentes.

san-

ſanguinis & ſeminis defluxum in uterum prohibens. Anguſtia autem vaſorum easdem cauſas habet, quas vera menſtruorũ ſuppreſſio; nimirùm obturationem à cicatrice orificia vaſorum excæcante, obſtructionẽ ab humore craſſo infarcto, compreſſionem, &c. Anguſtia verò orificii uteri eſt obſtructio, aſtrictio, conſtipatio, aut obturatio à membrana, carne, aut tumore innato, compreſſio à tumore abdominis vel omenti ut in obæſis; coaleſcentia ab ulcere; ſubſidentia ex contorſione & perverſione colli uteri, ſitusque mutatione. His adduntur vermes & calculi uteri, ſcirrhus, inflammatio, inflatio alii tumores. Tandem ſolutio continui, ut vulnus exulceratio, vaſorum diſruptio & eroſio, unde ſanguinis profluvium. Nam durante profluvio menſtruorũ aut muliebri vel ſuppreſſione mulieres non concipiunt.

Sterilitas vitio ſeminis. Ratione ſeminis tàm virilis, quàm muliebris ſterilitas oritur. In ſemine quatenus proximum generationis inſtrumentum, conſideratur generatio, in teſtibus, vaſisque ſpermaticis; deinde ejaculatio ſeu emiſſio ex vaſis in uterum: Nam ſterilitas fit primùm, quia ſemen in teſtibus vaſisq; ſpermaticis non generatur, ob defectum aut debilitatem teſtium vaſorumque, aut vitio materiæ. Deinde quia ſemen genitum prolificum non eſt, ſcilicet nimis frigidũ, aquoſum, tenue aut craſſum, aut corruptum, ut in iis, qui gonorrhæa gallica laborant; aut minus fœcundum & torrefactum, ac ad generationem ineſficax & languidum. Tertiò quia non ejaculatur & emittitur, aut non debito modo & tempore. Non ejaculatur, nec in uterum recipitur ob expultricem teſtium vaſorumq; debilitatam ex intemperie; aut impeditam ex anguſtia vaſorum, ut ſuprà dictum eſt. Non juſto modo ejaculatur in viris & mulieribus ob gonorrhæam; in viris ob nimiã gravitatem,

vitatem, aut immodicam longitudinem penis, aut quia non erigitur. De causis vitiorum seminis utriusque sexus & impotentiæ ac infœcunditatis in viris latiùs suprà dictum est.

Quare mulieres non concipiunt, defectu aut prava qualitate seminis, vel proprii tantum, & tum steriles per se sunt; aut unius solius viri; aut utriusque, & tum steriles in comparatione ad virum proprium dicuntur. Utriusque enim ratione sterilitas accidit, quando unius semen alterius corrumpit, aut fœminæ calidius, vel minimè proportionatum, ut cum maris semine commisceatur & consocietur; nec sese mutuo contemperent, aut quia utriusque seminis emissio uno tempore non perficitur, sed virile multò ante, aut pòst, ut cum muliebri coire simulque in interiorem uteri sinum attrahi & recipi nequeant. Adduntur his causis errores externi, primò concubitus inviti; amor enim genituram conciliat, & fœminæ amantes creberrimè pariunt, ideo inviti concubitus steriles magna ex parte sunt; deinde mot⁹ importun⁹, saltatio sternutationes frequentes statim à coitu, &c. *Sterilitas in comparatione ad virum*

Sterilitas ex morbo uteri dignoscitur iis sæpiùs, quæ cuique affectui uteri asscripta sunt; sterilitas vitio seminis, ut supra in viris dictum est; cætera ex iis effectis & causis, quæ sensibus obviæ sunt. Mulierum fœcunditatis probatio, ut docet *Arist. 2. de gener. ani cap 5.* fit suffitu, ut odores subeuntes uterum efferantur ad vias respirationis & afficiãt anhelitum. Deinde illitu, si colores ut crocus, &c. oculis, eorumq; angulis illiti, salivam oris inficiant; unde *Hipp. 5. Aph. 59.* si mulier non concipit veste obvolutam subtus suffito thure, styrace, &c. & si odor corpus ad os & nares pervadere videatur, non suâ culpâ sterilem esse scito; suâ verò culpâ si non pervadat. Deindè *libr. de steril.* caput *Signa sterilitatis.*

alii

allii derasum & purgatum subjiciatur, si per os postridie odorem ejus senserit, concipere poterit, &c. Nonnulli hordeum in urina maceratum sepeliunt, si decimo die germinet, fœcunditatem, sin minus sterilitatem arguere putant, alii aliis probationibus utuntur.

Signa conceptus. Mulieres concepisse, seu gravidas aut prægnantes esse conjiciendum, si mulier eodem tempore ferè, quò vir in coitu semen emiserit, & pudendum ac glans à coitu non humectetur, item si os uteri exquisitè clausum, sursumque progressum citra duritiem sit, in actu venereo, aut paulò post horrorem senserit. His adduntur signa, quæ primis mensibus contingunt, ut modicus dolor circa pudendum & umbilicum, venus languida, menses nulla morbosa præcedente causa supprimuntur, aut magna ex parte; venæ pectoris ipsæq; mammæ sensim intumescunt, & in progressu lac habent, papillarum color mutatur; aqua mulsa dormituræ data tormina facit; oculorum ambitus livescit, ipsiq; oculi cavi fiunt, aliquibus in facie maculæ erumpunt, quibusdam os nimio humore madescit, aspectus languidus, color faciei mutatur, torpor & segnities insueta oritur.

Circa secundum mensem valetudinariæ cacochymicæ potissimùm, ob redundantiam superflui sanguinis ex suppressis mensibus, quam fœtus nō conficit præter consuetudinem acida salsa & aliena appetunt, quæ depravata appetentia pica vocatur, ut in affectibus ventriculi dictum est, item nauseā, vomitus, fastidium ciborum, dolores capitis; anxietatem, vertigines, animi deliquia, sopores graves tumores pedum, aliaque similia symptomata patiuntur, quæ ubi fœtus grandior plus sanguinis absumit, paulatim utplurimum desinunt, attamen circa consueta menstruorū purgationum tempora

Causa difficilis gestationis eiusq; symptomata.

gra-

gravantur, mammæque magis tument, dolentque, lumbi difficulter moventur, vesica rubens calidum lotium cum dolore excernit. Urinæ non satis certum præbent inditium. Nam progressu temporis mutantur, & pro varia dispositione corporum, utplurimum in urina subsidet quid carminatæ lanæ simile, & concussa varios atomos, parvasque bullas à summo dimittit, & corona roris, nebulosi aut lapidis stellati colorem præ se fert. Mense tertio aut quarto, ubi fœtus movere incœperit, à mola distinguitur imposita manu, ex levi, blando, moderato impulsu, aut quasi muscæ volatu, &c.

Nota masculi & fœmellæ.

An mas an fœmella gestetur *Hipp. 5. Aph. 42.* ex colore prægnantis colligit: Mulier enim si marem concipit, benè colorata est, si fœmellam, malè colorata. Deinde ut idem *Hipp 5. aph. 48.* quia mares in dextra, fœminæ in sinistra parte magis gestantur; ideo si marem gestet, tumor dextræ partis major est, mamma dextra magis tumet, oculus dexter amplior, & dextro crure & brachio frequentiùs, quàm sinistro nituntur, pulsusque dexter major, pleniorque sinistro, papillæ & venæ rubicundioris coloris sunt, lac crassius magisque lucens & supra vitrum mulctum coit, ut margarita, &c. In fœmellæ conceptu contraria apparent.

Modi procreationis & errores.

Absolvitur conceptus seminisque ebullitio intra septimum diem; deinde incipit partium singularum adumbratio, seu formatio. In formatione totaque procreatione scopus naturæ est, quod in ea specie absolutissimum & perfectissimum producere: si aberret, ut in monstro, mola, &c. naturæ culpa non est, sed potiùs menstruorum scilicet caloris & spiritus plastici, in quo residet facultas; aut materiæ, seminis & sanguinis; aut uteri loci, in quo fit generatio. Nam facultas formatrix spiritum caloremque vivificum satis robustum si nacta

fuerit, materiam competentem uterumq; benè dispositum sine externo errore perfectum fœtum in suo genere efformat. Ex adverso si in his defectus accedat, necesse est procreationẽ eatenus mancam aut vitiosam esse, quatenus defectus vitiosus est: Hinc evenit, ut nunc aliquid vita præditum gignatur, veluti fœtus morbosus aut monstrum; nunc vitæ expers, vel propius ad fœtus naturam accedens, ut caro informis, quæ mola propriè dicitur, vel longius recedens, ut in falsa ingravidatione. Nam naturæ, quæ in continua individui successione contineatur, melius est, aliquid novi producere quàm nihil.

Monstrum Monstri nomen latè sumitur, & monstrosus fœtus omnis nuncupatur, qui à naturali plurimùm recedit, vel in magnitudine numero, vel figura & specie. Nam primùm monstrosi dicuntur, qui à naturali mediocritate in humana specie multum deficiunt, ut pigmei, aut eam longè excedunt, ut gigantes. Deinde quibus pars aliqua deficit, ut mancis, &c. vel redundat, veluti digitus, manus, membra genitalia utriusque sexus, ut in hermophroditis. *Differẽtiæ monstorũ.* Tertiò in quibus aliquid continetur, quod diversæ speciei est, ut pars alterius animalis. Quartò cum partus alterius speciei est, ut serpentis, ranarum; aut ex diversorum animalium partibus, cujusmodi fœtus monstrum propriissimè appellatur. Superfluæ autem partes in fœtu, ac fœtus justo major generatur ex immodica utilis materiæ redundantia, vi caloris plastici; quæ tanta interdum est, ut distincta ad plures fœtus sufficiat, non distincta, nec ritè in utero disposita, monstrosos fœtus aut cõnexos proferat. Ex adverso ob defectum utilis materiæ pars aliqua deficit; aut partes præter naturam minores procreantur. Accidunt etiam hæc vitio parentis. Nam manci mancos interdum procreant: &c. Aliena

na

na forma ab humana specie oriri poterit ob abominabiles coitus, & seminis diversorum animalium commixtionem, vel errore formatricis ob inordinatum motum, concitatum ex fortissima imaginatione mulieris in coitu, conceptu, aut toto formationis tempore, quæ spiritum & sanguinem signat, similemque effigiem fœtui imprimit, aut ob iram divinam, &c. His causis adduntur concubitus tempore menstruorum, vitiosa materiæ qualitas & virtutis formatricis debilitas. Monstrosi conceptus paucæ notæ sunt, præcipuæ matrem novo aliquo symptomate affici, quæ vel admirationem inferat, aut causam occultam habeat. *Notæ monstrosi fœtus.*

Ad molam nonnulli falsam gravidationem seu conceptum referunt; licet mola potius sub falsa gravidatione comprehendi queat. Est autem inanis conceptus, falsaq; gravidatio latè sumpta omnis affectus imprægnationi similis, seu ventris tumor in mulieribus, quæ viris utuntur cum menstruorum defectu ad similitudinem prægnantium, ex materia sensim collecta intra cavitatem uteri. Materia illa vel flatus est, vel humor, vel carnosa substantia. Propriè per molam intelligimus hic tumorem uteri ab humore, aut flatibus, non carnosum tumorem seu carnis excrescentiam ab ulcere uteri, ut Aëtius statuere videtur, sed cum Galeno carnem quandam informem in cavitate uteri genitam, quæ nomen inde sortitur, quod mole & pondere uterum premat. Hoc symptoma est facultatis procreatricis, licet ratione uteri morbus sit in numero aucto, non toto genere præter naturam; Est enim mola caro inutilis & informis pluribus venis plerumq; referta, in cavitate uteri genita instar veri conceptus, ob frustrationem facultatis formatricis. *Mola.*

Avicenna aliiq; nonnulli molam fieri putant ex solo mulieris semine, cum menstruo sanguine; *Causa molæ.*

vel ex immodico menstrui calore detenti in utero; ac proinde virginibus quoque accidere, perinde ferè ut gallinis sine maribus ova subventanea. Verùm ut Galenus *lib. 14. de usu part. cap. 17. scribit*, non ut gallinæ sine maribus ova pariunt, ita mulieres sine viris molam, aut quid aliud concipiunt. Deinde nuspiam visa est fœmina molam sine mare concepisse. Causa molæ est frustratio facultatis formatricis, quando (*ut ait Hipp.*) menstrua multa exiguum vitiosum semen accipiunt, aut post primam concoctionẽ sanguis nimis copiosus, aut non competens affluit, ita tamen ut facultas procreatrix, licet debilitata suo munere aliquo modo fungatur, sed cum nequeat perfectum animal efformare, carnem tantum informem producat: Vitiosum sive languidum semen dicitur propter debilitatem caloris & defectum spirituum, in quibus residet vis generatrix. Uterus verò semen vitiosum vel à testibus vasisque suscipit, vel sua intemperie alterat & vitiat. Quare in generatione molæ opificis vires gerit spiritus ille generatrix; materia est semen languidum cum copioso crasso sanguine menstruo; nutritur per uteri venas, & more plantarum augmentum suscipit, quibus adhærescit, nunc levius, ut facile excidat, nunc firmissimè, ut tardè aut nunquam avellatur, & ad immodicam quantitatem perducatur. Deinde modo una sola est, modo plures, sine aut cum fœtu vitali. Præterea interdum rudimentum formæ cujusdam fœtus obtinet, sæpè mola prorsus informis est, vel proprie carnosa multis venis referta, variique coloris; vel membranea multis bullis aquosis & fœtida sanie plena.

Differẽtia molarum.

Falsa gravidatio.

Falsa gravidatio propriè dicta est cum fœminis, quæ viris utuntur ex concepto semine venter intumescit, & accidentia gravidationis similia accidunt, ita ut se concepisse putent; cum tamen nihil

hil in utero contineatur, nisi flatus humor aquosus, pituitosus,&c. Causa hujus mali non est ulla actio spiritus generatricis, seu facultatis procreatricis, ut in mola, sed ante absolutam conceptionem spirituum seminis morbosi intra uterum conclusi extinctio, seminisque in utero corruptio, ob intemperiem uteri accedente affluxu vitiosi humoris, præcipuè aquosi aut pituitosi, qui una cum semine vel in flatus dissolvitur, vel concrescit, vel in pus corrumpitur,&c. Hæc passio sæpè iis accidit, quæ decolores menses habent.

In mola falsaq; gravidatione uterus sensim intumescit, menstrua deficiunt, aliaque accidentia veræ gravidationis accidunt. Verùm in mola motus non percipitur blandus tertio aut quarto mense, quo tempore fœtus moveri solet, sed instar lapidis dum à latere in latus se convertunt, ventris tumor, tensio & gravitas plerumque major est, color corporis fœdior, appetentia magis dejecta,&c. Certius his signum est, si mammæ tumeant sine lactè, & si tempus legitimi partus excesserit. In falsa gravidatione venter celeriùs intumescit, quàm in vera mola,& ita durus non est, si tumor sit à flatibus, venter percussus tympani sonum imitatur, si ab aquoso humore gravitas & fluctuatio in ventre sentitur, pedes sæpè intumescunt, & cætera, ut in hydrope uteri. *Signa molæ & falsæ gravidationis.*

Ob debilitatem retentricis uteri procreatio duobus modis vitiatur, primò effusione seu effluxu seminis ante absolutam conceptionem, quod intra septimum diem evenit. Deinde emissione embryonis seu fœtus post conceptionē, quæ abort⁹ propriè dicitur. Est autem abortus symptoma facultatis retentricis uteri, quæ fœtum ad tempus legitimum continere debet; & propriè fœtus imperfecti emissio ob retentricem uteri debilitatam. Læditur au- *Abortus.*

tem retentrix ab omnibus causis, quæ eam ab officio proprio desistere, & expultricem ad expellendum insurgere cogunt. Uterus autem ut clauso orificio ad legitimum tempus fœtum contineat, requiruntur, primùm bona ipsius uteri constitutio, deinde ut fœtus se rectè habeant in magnitudine & numero sanique sint, & membranis debitè contineantur, tertiò ut per acetabula seu venas & arterias uteri sanguinẽ justæ quantitatis & bonæ qualitatis suscipiant, cujusque horum defectu seu vitio retentrix uteri debilitatur, aut expultrix ante tempus ad fœtus expellendum insurgere cogitur. Proinde oritur abortus vitio vel uteri, vel fœtus, vel sanguinis materni. Nam omnes ferè morbi uteri proprii aut per consensum separatim vel conjunctim vim retentricem uteri offendere, aut expultricem exstimulare possunt, de quibus suprà dictum est. Deinde vitia fœtus sunt immodica magnitudo uterum distendens, numerus major, quàm ad perfectionem perduci queant: fœtus mortuus aut languidus: item membranarũ quibus involvitur & continetur fœtus disruptio, ab inordinato motu ipsius fœtus, affluxu humorum, casu ab alto, ictu, vehementi motu animi vel corporis, saltu, gravioris ponderis elevatione, usu medicamentorum, quæ abortum provocãt & fœtus expellendi aut corrumpendi vim habent. Vitia sanguinis menstrui sunt, primò immodica quantitas fœtum suffocans & extinguens, proveniens ex plethora & redundantia sanguinis in vasis, vel concitatione ad vasa uteri ob usum medicamentorum, quæ menses vehementer movent, simulque fœtum expellunt, &c. Deinde sanguinis necessarii ad fœtus nutritionem & perfectionem defectus ex inedia, immodicis evacuationibus præcipuè sanguinis per nares, hæmorrhoides, cer-

Causa abortus.

cervicem uteri, vulnus, venam sectam, &c. item ex alvi profluvio, extenuatione corporis ab acuto vel diuturno morbo, &c. Præterea deficit sanguis obstructis uteri acetabulis, per quæ fœtus alimentum attrahit, ex multo crasso mucoso humore, aut disruptis à casu, saltu, motu importuno, &c. Tandem sanguis qualitate interdum vitiosus est fœtui inutilis, ortus ex cacochymia, cruditatibus, corruptione humorum, ex prava viscerum constitutione, victusque ratione, &c.

Causæ irritantes expultricem uteri.

Ab his causis retentrix uteri debilitatur & expultrix ante tempus ad fœtus expulsionem insurgere cogitur. Insurgit expultrix ob tristem sensum seu dolorem, qui tripliciter concitatur à mole uterum destendente, pondere gravante, & morsu. Mole & magnitudine uterum distendunt fœtus justo majores aut numerosiores: Deinde cum fœtu mola, flatus aut humor præter naturam retentus in utero; præterea tumores substantiæ uteri ut inflammationes scirrhi, &c. Pondere retentricem uteri gravant, ac proinde expultricem stimulant fœtus grandiores debiles, præcipuè membranis, aut acetabulis uteri laxatis, à multo mucore, aut ruptis importuno fœtus motu, casu, &c. item copia humorum in cavitate uteri, molæ. Morsu expultricem uteri irritant fœtus mortui & corrupti, humor vitiosus effusus in cavitatem uteri ex membranis disruptis, quibus involvitur fœtus; aut ex vasis uteri apertis, ruptis, erosis; interdum usu medicamentorum, quæ menses movent, fœtusque excutiunt. Præterea omnes affectus dolorifici uteri, partiumque vicinarum scilicet vesicæ recti intestini, ut intemperies inæquales, inflammationes, ulcera, &c. Nam in tenesmo ob conatum egerendi, sæpè

fœtus excutitur, &c. facilè obortiunt valetudinariæ, & quæ citò extenuantur, aut obesæ sunt; & quibus uterus non benè clauditur, & acetabula multo mucore referta sunt, aut quæ immodico coitu utuntur. Maximum verò abortus periculum est à mense primo ad quartum & à septimo ad nonum.

Signa abortus. Signa autem futuri abortus sunt, lac sponte ex mammillis fluens, fœdus papillarum color, repentina mammarum extenuatio; nam quæ gemellos parit si altera mamma extenuetur, alterum eorum abortu edit, marem si dextra; fœmellam si sinistra: adduntur immodicus menstruorum fluxus, post priores menses, fœmorum & lumborum gravitas, &c. Instante abortu præcedit evacuatio aquosa, deinde saniosa aut cruenta quasi lotura carnium, hinc sanguis purus exit, post grumus, tandem ipse fœtus formatus, aut informis. Compluribus accidunt lumborum & coxarum gravitas, ventriculi, capitis & oculorum dolor aliquando deliquium animi aut convulsiones præcipuè, quæ per medicamenta abortum procurarunt.

Signa fœtus mortui. Fœtus mortui inditia sunt, fœmorum lumborum & ventris gravitas & frigiditas, cervix uteri cōtactu frigida sentitur, dum à latere in latus se convertit, motus quasi lapidis decumbentis percipitur, venter concidit exspiratio fœtida est, ac infestatur sæpè cardialgia horrore febrili & animi deliquiis, capitis & oculorum dolore, interdum convulsione: Instante partu oculos cavos habet, pedes & faciem tumidam, nares & auriculæ albicant, labia livent, &c.

Conditiones partus naturalis. Tandem partus naturalis conditiones sunt, ut debito tempore convenienti modo, citoque fiat, cum non magno dolore, levibusq; accidentibus citra offensionem matricis aut fœtus. Deinde ut statim

tim aut paulò pòst membranæ, quæ secundæ aut secundus partus vocantur, expellantur, tertiò ut sanguis vitiosus toto gestationis tempore in utero vicinisque venis collectus, cum in partu, tum etiam multis sequentibus diebus sufficienter evacuetur. Cujusque horum defectu partus non naturalis dici poterit; propriè tamen partus difficultas est ipsius fœtus vitiosa exclusio, nimirum quando cum maximis doloribus fit, longo tempore, non debito modo, aut cum gravitate offensionis matricis, vel fœtus. Ubi fœtus involucra non expelluntur, secundæ relictæ, & ubi sanguis menstruus non evacuatur, suppressa puerperia vocantur. Partus autem difficultas est, fœtus maturi vitiosa exclusio, ob læsionem facultatis expultricis uteri. Nam partus difficultas primariò est symptoma expultricis uteri, aut functio expultricis debilis aut diminuta, seu aliquo modo impedita, cum tactu depravato, aliisque symptomatibus. Ad fœtum naturalem edendum concurrunt, primùm vires animi, corporisque ipsius matris satis robustæ, & primariò expultrix uteri valida adjuta motu septi transversi & musculorum abdominis, impulsu spirituum calorisque nativi. Deindè locus seu viæ, per quas fœtus permeare debet, patentes lubricæ beneque affectæ: tertiò ut fœtus, si rectè habeat, robustus sit, & membranas disrumpat, ac parturienti aliquid opis afferat.

Partus difficultas *Secundæ relictæ.* *Suppressa puerperia.* *Definitio difficultatis partus.*

Quare causæ difficultatis partus primariò erunt vel vitium in facultate expultrice, vel in fœtu qui excluditur, vel in viis (ut orificio & cervice uteri, ac pudendo) per quas fit exclusio. Expellit fœtum naturaliter uterus adjutus motu septi & musculorum abdominis concurrente facultate & naturali & animali vi, & adminiculo spirituum sanguinis & caloris nativi. Lœditur ergo expultrix uteri, & musculorum inopia spirituum & caloris nativi, quia

Causa difficultatis part⁹ tres. *1. Facultas expultrix per se læsa.*

quia vel in toto corpore deficiunt, vel ad partes fœtum expellentes ſufficienti quantitate non transmittuntur, ſed alio revocantur aut impelluntur. Deficiunt autem ſpiritus calorque nativus in toto corpore, à diuturno aut acuto morbo, raritate aut laxitate corporis, magnis evacuationibus, inædia, vigiliis, immodico aëris calore, & ab omnibus, quæ vires diſſolvunt. Spiritus verò & ab utero & muſculis avocant vehementes animi perturbationes, præcipuè metus & puſillanimitas, qualis puellis, & ætate provectioribus accidit. Deinde mæſtitia, ira, verecundia, item dolores ingentes, &c. His adduntur uteri intemperies frigidæ, quæ vim expultricem debilitant, &c.

2. Vitia in viis. Deinde in viis per quas fœtus excludi debet, vitia, fœtus emiſſionem impedientia, ſunt potiſſimùm anguſtia & viarum ſiccitas & aſperitas, quæ lubricæ eſſe debent, ut facilem tranſitum fœtui exhibeant. Anguſtia autem interdum naturalis eſt ex membrana innata, aut ob oſſa pubis, vel coxigis malè conformata, aut arctis vinculis ita compacta, ut in partu dilatari aut retrahi nequeant. Plerumq; adventitia eſt, ut obturatio aut conſtipatio à carne, callo, aut tuberculo innato, à rhagidibus, item inflammatione, abſceſſu, &c. Deinde compreſſio ob tumorem vicinarum partium, ut veſicæ inflammationem, aut calculum; recti inteſtini tumores, cœcas hæmorrhoides, feces duriores, nimiam pinguedinem omenti, ut in obeſis; item magnam lumborum cavitatem, aut luxationem uterum comprimentem, &c. Præterea ſubſidentia, ob cervicis uteri obliquitatem & diſtortionem; item contractio & nimia denſitas oris & cervicis uteri, ut dilatari nequeat, ab exiccantibus, uſu immodicè aſtringentium, à frigore immodico; unde hyeme & flante boreâ partus difficiliores utplurimũ ſunt. Viæ in partu

tu lubricæ non ſunt, quod rupta ante tempus membrana citiùs, quàm par eſt humor aquoſus deſcendit, & in partu loci ſicci manent, quo tempore maximè opus eſt humore ut humectentur, & facilem tranſitum fœtui præbeant.

Tandem accidit etiam difficultas partus, vitio fœtus, primùm ſi vel mortuus eſt, aut ita debilis, ut nihil opis parturienti præſtet, nec membranas diſrumpere valeat: mas autem cum robuſtior ſit fœmellâ, ideo fœmellæ partus difficiliores utplurimùm ſunt, difficultatem quoque afferunt fœtus nimis parvi, quia facultatem parum ſtimulant; ac inuſitatæ magnitudinis vel magni capitis, ventris, &c. vel monſtroſi, ut bicipites. Deinde ſi gemelli aut plures ſint, & repentè omnes ſimul in cervicem uteri decumbant, vel uno mortuo, alter in utero ſuperſit, qui vivus in lucem editus vopiſcus inde vocatur, vel in utero mola contineatur excluſionem impediens. Præterea difficultas partus oritur, ſi fœtus forma aut figura naturali ex utero non procedat. Maximè naturalis figura eſt, cum in caput rectà ad os uteri fertur, manibus ſecundum latera adductis; proxima, in pedes directò manibus ſuper fœmoribus porrectis. Cæteræ figuræ præternaturales ſemper ſunt, ut cum caput in dextrum aut ſiniſtrum inclinat, aut manibus extenſis, in pedes fertur, qui partus à veteribus Agrippæ dicebantur, quòd ægrè pariantur; aut altero pede prodit, altero intus retento, aut intus reductis à ſe invicem cruribus manum alteram aut utramque exerit, aut obliquus prodit in alterum latus, vel ventrem; aut duplicatus exit, ut quando capite & cruribus orificio uteri incumbit; vel ventri, vel coxarum vertebris. Ob ſecundas ſeu membranas, quibus continetur fœtus,

3. Vitio fœtus.

fœtus, partus difficilis interdum redditur, si non avellantur ob crassitiem, aut citiùs, quàm opus sit, abrumpantur, ut humor vias lubricans ante tempus partus excernatur.

Signa instantis partus facilis & difficilis.

Signa instantis partus sunt frequens respiratio, dolor lumborũ, qui si ad anteriores partes vergat partum facilem arguit, si ad dorsum difficilem, difficilem quoque prænunciant, consuetudo difficulter pariendi, ætas immatura aut senilis ferè, virium debilitas; dolores languidiores ex longioribus intervallis recurrentes; humor aquosus diu ante tempus effluens, aut sanguis copiosus, fortiter incalescere sine manifestata causa, &c. Si mulier quatuor diebus in partu laboret, ut ait Avicenna necessariò fœtus moritur. Causæ difficultatis partus externæ ex patientis & assidentium sermonibus cognoscuntur; Morbi uteri propriis signis, ut supra: Virium patientis debilitas ex habitu corporis & morbis, causisque præcedentibus; fœtus magnitudo ex ventris mole; debilitas ex debili tardaque motione, &c.

FINIS LIBRI TERTII.



DE SI-

DE SIGNORUM DOCTRINA, QUÆ σημειωτικὴ dicitur;

LIBER QUARTUS.

DE SIGNIS ET DIFFERENTIIS SIGNORUM.

CAPUT PRIMUM.

CUM nil arte tractari, nec recta ratione curari queat, nisi prius cognoscatur, aut si occultum sit, & intra corpus reconditum certis inditiis, & evidentibus signis manifestetur, & in lucem proferatur; instituti nostri ratio exigere videtur, ut σημειωτικὴν proponamus, ac fundamenta doctrinæ signorum seorsim explicemus. Scopus autem doctrinæ signorum est ex infallibilibus notis & evidentibus signis, omnem corporis constitutionem, omnesque affectus, affectuum sedes & causas patefacere & manifestare. Hæc pars Medicinæ omnium propemodum dignissima & Medico maximè necessaria est: Dum enim latentes morbos præsentes per signa dignoscimus, & quæ præterita sunt, tanquam præsentia commemoramus, quæque ventura sunt prædicimus; & nō solum quid in curatione faciendum, quidvè omittendum sit cognoscimus: sed etiam auctoritatem nostram apud ægros conservamus, ac præterea divinam quandam artem profiteri putamur. *Signorum dignitas.*

Nam artis medicæ proprium est omnem partem affectam, omnemque affectum & affectus causam *Medici officium.*

ſam in humano corpore dignoſcere: deinde, quæ ventura ſunt prævidere & prædicere: tandem, ſi affectus ſit ſanabilis, curare. Quare dignotio & prænotio à medicis curationis cauſa inſtituitur.

Simpliciter ſignũ quid?

Eſt autem σημειωτική, ut vox ipſa ſonat, nihil aliud quàm doctrina ſignorum: Signum, aliàs nota, ſive indicium, eſt alicujus rei ſignificativum & ad rem ſignificatam, ſive ad ſignatum propriè refertur. Nam rem aliquam ignotam ſemper ſignat, id eſt, declarat & demonſtrat. Proinde ſignum omnium Philoſophorum conſenſu, eſt quod ex ſenſuum notis ducit ad ignoti cognitionem: & ſignare aut ſignificare nihil aliud eſt, quàm unum ex alio manifeſtare. Verùm hoc modo ſignum generaliter ſumimus, ſub quo comprehendimus ſigna neceſſaria, quæ τεκμήρια, & non neceſſaria, quæ ſimpliciter ſigna ab Ariſtotele 2. priorum dicuntur.

Signum medicum.

Medicis verò ſignum, eſt propoſitio in mente producta à certis ſenſuum objectis, vel ex rebus manifeſtis demoſtrans ignotum aliquod in arte medica. Cognoſcitur enim ſignatum ex ſigno demonſtratione ὅτι ab effectu, vel à cauſa remotâ. Quare omne ſignum nobis notum erit, & ſemper petendum vel ab effectu, qui conſequitur ſignatum: Vel à cauſa evidenti, quæ præcedit. Nam cum notum ſit, effectus à ſuis cauſis oriri, non mirum videbitur, ſi ex uno noto alterum protinus mens concipiat & concludat, licet expreſſa aliqua ratiocinatio non ſit. Sub cauſis comprehendimus plerumque cauſas externas, ſcilicet, aërem, victus rationem, conſuetudinem, &c. Interdum cauſas internas, ſcilicet, humores, ſexum, ætatem, temperamentum, &c. præterea quæ eſſentiam cujusque cauſæ & effectus conſequuntur, ac quoque juvantia & lædentia. Sub effectis verò continentur accidentia ſanorũ & ſymptomata

Fontes ſignorum.

ptomata ægrorũ: Item, memoria præteritorũ affectuum, & consideratio morborũ publicè grassantium: unde ex similitudine de aliis morbis judicam⁹.

Signatum, quod signo cognoscitur & manifestatur, est corporis constitutio, & quæ in eâ constitutione eveniunt. Constitutio autem triplex est: Sana, ægra, & neutra. Proinde omnia signa, aut salubria, aut insalubria, aut neutra erunt. Salubria autem quæ sanam; insalubria quæ morbidam; neutra quæ mediam constitutionem corporisque conditionem ostendunt & manifestant.

Divisio signorum. I.

Deinde omnis conditio corporis, vel præsens est, vel futura, vel præterita. Quare signa omnia triplicia erunt: 1. διαγνωστικὰ, quibus præsentem constitutionem intelligimus: 2. προγνωστικὰ quibus futurum corporis statum, & ea quæ post ventura sunt præcognoscimus: 3. ἀναμνηστικὰ, quibus præterita percipimus & commemoramus. Signorum diagnosticorum & prognosticorum maximus planeque necessarius in medicinâ usus est: Commemorativorum non item. His præmissis, de signis insalubribus nunc tantum agemus.

Divisio signorum. 2.

Omnia signa insalubria, vel communia sunt vel propria: Deinde vel separabilia vel inseparabilia. Propria & inseparabilia signa, παθογνωμονικὰ dicuntur: Communia & separabilia signa in morbis, communi nomine συνεδρεύοντα dici poterũt. Sunt autem παθογνωμονικὰ signa, quæ cum morbo incipiunt & desinũt, & pro magnitudine morbi augentur & minuuntur, propriamq; morbi essentiam declarant. Talis in pleuritide est dolor in latere pungens extensivus cum tussi, difficultate anhelitus, febri acutâ & pulsu duro serratili.

Signa insalubria duplicia.

Signa παθογνωμονικὰ.

Συνεδρεύοντα sive assidentia signa sunt, quæ necessariò morbis nõ cohærent, nec ex morbi essentiâ imme-

συνεδρεύοντα.

immediatè procedunt, ſed vel magnitudinem, vel durationem & motum, vel morem, aut eventum morbi declarant. Proinde ſub aſſidentibus comprehendimus ſigna critica: deinde ſigna lethalia & nō lethalia, quæ eventum morbi demonſtrant: tertiò ſigna cruditatis & concoctionis, quæ diuturnitatem morbi: in ſummâ, omnia ſigna ἐπιγινόμενα & ἐπιφαινόμενα. Sunt autem ἐπιφαινόμενα, ſigna quæ morem, motum & eventum morbi declarant. proinde triplicia erunt: 1. quæ concoctionem & cruditatem; 2. quæ ſalutem & mortem; 3. quæ modum ſalutis vel mortis declarant. Hæc eadem ſigna communiter ἐπιγινόμενα dicuntur: Verùm propriè ἐπιγινόμενα vocantur ſigna maligna in morbis, ut delirium in pleuritide, aut quando morbus in deteriorem degenerat. Pathognomonica ſigna propriè diagnoſtica dicuntur; aſſidentia verò magna ex parte, præcipuè verò ἐπιφαινόμενα, prognoſtica. Quarè de ſignis diagnoſticis primū dicemus, deinde de prognoſticis.

Signa ἐπιφαινόμενα.

ἐπιγινόμενα.

Signa διαγνωστικὰ triplicia.

Demonſtrant ſigna διαγνωστικὰ præſentem ſtatum ægri. Conſiderantur in ægro quatuor; 1. ipſe affectus aut morbi ſpecies: 2. pars affecta: 3. cauſa affectus: 4. actio læſa, cæteraque ſymptomata. Verùm ſymptomata quia ſenſibus manifeſta ſunt, ſignis non indigent, ſed ex ſymptomatibus cætera tria quando ignota ſunt manifeſtantur. Quare ſigna omnia aut affectum, aut partem affectam in corpore aut cauſam affectus oſtendunt: licet plerumque communia quædam ſigna ſunt, quibus ſemel affectum aut partem affectam & cauſam deprehendimus: imò pauca ſunt ſigna affectuum, quæ non ſimul locum & cauſam demonſtrant, ut *Galenus 1. de Locis admonet.*

DE

DE SIGNIS QUIBUS INVESTIGATUR PARS affecta.

CAPUT II.

PARS affecta ſi in ſuperficie ſita ſit, unà cum affectus ſpecie ſenſibus facilè deprehenditur. Sin in imo corpore lateat, exercitatione opus erit, tam in partium ſingularum actionibus & uſibus, quàm in corporum diſſectionibus: Unde partis cujusque ſubſtantia, ſitus & formatio æſtimatur. Requiritur, auctore *Gal.* 1. *de Loc. affect.* ut læſæ actionis inſtrumentum primò cognoſcamus: deinde ut à parte læſâ incipientes, quis noxæ mod9 ſit quæram9, & an diſpoſitio ſit in facto aut in fieri, aut in habitu, aut habitudine: deinde an per ſe laboret, an ex conſenſu tantum afficiatur: præterea ſi laboret, an primariò vel ſecundariò. Affici autem dico ex conſenſu partem, quando motum ab alio præter naturam tantum ſuſcipit: Laborare verò ſive ægrotare, quando propriam diſpoſitionem præter naturam ſuſtinet. Nulla autem actio in corpore humano læditur, niſi pars actionis afficiatur aut laboret. Symptomata ſuâ naturâ affectus, & affectuum ſedes demonſtrant. Sunt autem tria genera ſymptomatum, ut alibi dictum eſt: & in quolibet genere plura reperiuntur, quæ ſigni rationem habent: nihilominus *Galenus* 1. & 2. *de Loc. affect.* præcipua ſigna, quibus ſedes affecta dignoſcitur ad quinque capita reducit. Nam dignoſcimus partem affectam, 1. ab actione læſa: 2. ab Excretis: 3. à ſitu: 4. à doloris proprietate: 5. à propriis accidentibus. quibus addi poterit colligantia ſive conſenſus partium.

Affectæ partis dignotio.

Quinq; ſigna ſedis affectæ.

1. *Ex actione læsâ.* Ac primum cum nulla actio lædatur, nisi pars actionis causa afficiatur aut laboret, ex actione læsâ pars affecta præcipuè deprehenditur. Nam læsâ parte, actio illius propria necessariò læditur. Deinde, teste *Gal. 3. de loc.* cum nulla alia signa apparent, actio læsâ sufficit ad affectarum partium inventionem. Sub actione læsâ hîc usum comprehendimus; (licèt actio propriè sit motus partium factivus; usus verò partibus vel nihil agentibus tribuatur) Nam usus ad affectorum locorum indagationem plurimum conducit. Actio autem læsa est partis vel similaris vel instrumentalis. Similaris actio læditur læso temperamento: organica, vitiatâ instrumenti structurâ, vel parte similari principali à qua fit actio, vel similaribus ei commodantibus: Item, partibus annexis. Nam non semper unâ actione læsâ, una aliqua pars peculiaris tantum afficitur, sed sæpè plures & diversæ, ut in voce & respiratione læsâ apparet, quæ plurium partium adminiculo indigent; neque pluribus actionibus læsis statim plures partes læduntur, ut in tactu & motu abolito: Quare in his omnibus artificiosâ conjecturâ utendum est. Peculiariter vitales functiones ex pulsu dignoscuntur: naturales ex concoctione & cruditate; animales ex sensu & motu. Ubi actionem læsam perspexeris partemq; affectam, ad modum actionis accedendum est, an abolita, an debilis, an depravata sit. Item an pars proprio affectu laboret, an per consensum tantum afficiatur, quæ suis signis dignoscuntur. Nam modus læsæ actionis ipsum morbũ, aliquando morbi causam nobis aperit.

2. *Ab excrementis.* Secundò partem affectam demonstrant excreta. Considerantur autem in excretis primò substantia sive species excrementi: secundò magnitudo: tertiò modus excernendi. Substantia excrementi triplex esse potest: vel de essentiâ partis alicujus, sive

par-

particulæ solutæ à membris: vel ex rebus naturaliter contentis in partibus, ut sunt feces in intestinis, urina in vesicâ, &c. Vel ex rebus præter naturam contentis, sive quæ morbificas dispositiones consequuntur, ut sunt calculi in renibus & vesicâ, lumbrici in alvo, &c. Sub substantiâ continetur qualitas excreti; nam sanguis arteriarum flavior, tenuior, calidiorque est, quàm venarum, & qui ex pulmone tussi ejicitur spumosus est, &c. Hæc omnia adjuncto semper positu & regione, unde excernuntur, locum affectum demonstrant. Nam ubi tussiendo caro spongiosa exspuitur, in pulmone ulcus dignoscitur: si cum torminibus dejiciatur tunica vel ramenta tunicæ, ulcus in intestinis, &c. Deinde ex rebus naturaliter contentis: si per vulnus urina exeat, vesicam aut ureteres; si stercus, intestinum aliquod; si cibus, ventriculum vulneratum ostendunt. Tertiò ex rebus præter naturam contentis, veluti si cum urina lapis excernatur, renes aut vesicã; si tussi pus, thoracem; si grando, pulmones; si alvi dejectione lumbrici, alvum demonstrant. præterea ex magnitudine illius quod ejicitur: si cum torminibus dejiciatur crassa tunica, ulc⁹ in crassis intestinis significatur; si tenuis, in tenuibus intestinis. Si sine torminibus dejiciantur ad formam loturæ carnis, recens mactatæ, jecur affectum esse: Similiter ubi cum urinâ excernũtur frusta carunculis similia, renes affectos esse demonstrant: ubì lamularum speciem referunt, vesicam. Insuper à modo excernendi: si sanguis saliendo exierit, indicat arteriã læsam esse; sin aliter exeat, venam. Tandem ab iis, quæ parti alicui peculiariter adnascuntur: veluti si capiti fracto fungus adnascatur, indicat membranã affectã esse: si crustulæ exeant, quæ pars ulceris sunt, ulcus in eâ parte, unde excernũtur, ostendũt, his addũtur locus & via per quam. Nam si cum urinâ crusculæ

exeant, ulcus in instrumentis vesicæ, si tussi, in instrumentis spiritualibus; si somitu, in gulâ aut ventriculo. Deindè ordo tempusque excretionis: Nam ubi ramenta cum sanguine statim per anum emittuntur, in infimis intestinis ulcus esse videtur, sin postea, in superioribus intestinis, & si pus mingatur ante urinam, in ipso pene ulcus esse, si post, in vesica, aut superioribus partibus.

3. *A situ.* Tertiò positus & situs affectam partem sufficienter demonstrare potest, vel adjunctis aliis signis scilicet, dolore, excretis & propriis accidentibus, vel sine his ex duritie, tumore & tensione partis. Nam durus in dextro hypochondrio tumor non sublimis & lunari figurâ jecoris affecti nota est: in sinistro hypochondrio, lienis: at si sublimior fuerit, musculorum abdominis. Ubi verò similia sunt excreta, positus & regio unde excernuntur, affectam partem commonstrant, ut ex suprà dictis constat. Eadem ratio in dolore est veluti ubi per vomitum ulceris notæ apparent, si dolor sit in anteriore parte magis, & circa hypochondria, ventriculum affectum esse demonstrat: Si in posteriori parte circa dorsum, gulam. Ita dolor in imo ventre & perinæo cum urinæ difficultate, vesicam demonstrat.

4. *Ex doloris proprietate.* *Distinctio doloris.* Quartò non solum ex doloris situ, sed etiam ex dolorum specie sive proprietate dignotio partis affectæ sumitur. Cum autem dolor sit tristis sensatio partium sensibilium, à subita mutatione, distinctio necessaria doloris sumi debet vel à subjecto, vel à causâ efficiente, vel ab utroque. Subjectum est pars sensu exquisito, vel minus exquisito prædita, in superficie vel profundo corporis. Quo autem magis exquisito sensu prædita est, facilius & vehementius dolet. Causa doloris est intemperies subitò alterans, & humor, vapor & similia, quatenus continuum solvunt: quorum singula in subjecto

pro

pro suâ qualitate, quantitate, motu & quiete varias dolorum species excitant. Nam ab intemperie calida fit dolor mordens, cum sensu caloris: ab intemperie frigidâ, ubi pars resistit, dolor quoq; mordicans, sed cum sensu frigoris; ubi pars non resistit, potius stupor, qui impropriè stupidus dolor vocatur: ab intemperie siccâ dolor exasperans & tendens: ab humiditate per se solâ dolor propriè non fit. Deinde materia pro suâ qualitate, quantitate & motu agit. Nam ab acri & mordaci materiâ, fit dolor mordax & stimulans: à mordaci tenui immotâ materiâ, dolor ulcerosus: à salsâ tenui immotâ pruriginosus: à re acutâ, infixâ & penetrante, dolor punctorius. Eadem in cæteris ratio est; si materia quiescat, dolor fixus oritur: si moveatur, errans & turgidus, qui celeriter in vicinas partes defertur: à materiæ copiâ partem distendente, dolor distendens. Ea materia si pondere suo partem premat, aut aliquid sit, quod partem deprimat vel incumbat, dolor gravans excitatur. Deinde ratione subjecti, partibus nervosis & exquisiti sensus dolor magis acutus accidit: minus sensibilibus dolor stupidus: membranis dolor punctorius, ut in phrenitide & pleuritide: arteriis, quatenus afficiuntur, vel ab inflammatione comprimuntur, dolor pulsatorius: venis ex repletione dolor extensivus, stupidus: nervis & tendinibus, dolor convulsivus: carni laxativus & divulsivus: visceribus minus exquisiti sensus dolor gravans obtusus: Periostio dolor contundens, profundus: partibus in superficie sitis, dolor sublimis; in alio positis, dolor profundus.

5. *Dignotio ex propriis accidentibus.*

Postremò sedes affecta ex propriis accidentibus deprehenditur, veluti dejectio similis loturæ carnium animalis recens mactati, hepatis debilitatem denotat: citrinus color totius corporis, obstru-

ctionem jecoris aut vesicæ fellis; niger color, obstructionem lienis: maxillæ rubræ, inflammationem pulmonis: fastidium cibi, os ventriculi. Eadem in cæteris ratio est. Verùm non unius symptomatis, sed plurium aut omnium si fieri poterit, habenda ratio est, ut in pleuritide 1. de Loc Galenus fecit.

Signa sumpta ex consensu partium.

His addi poterit colligantia sive consensus partium quarundam, qui ad affectorum locorum noticiam non parum conducit. Nam læsis meningibus, biliosi vomitus subsequuntur: & læso ventriculo ex consensu cerebri deliria, vertigines, & similia. His adduntur signa nonnulla, quæ minus principalia dici merentur, quia conjecturam tantum confirmant, sumpta à sexu, ætate, parentum constitutione, consuetudine, juvantibus & lædentibus, & similibus. Nam in fœmina, ubi sedes affecta latet, sæpe fomes mali in utero residet, proindè uterus considerandus est: deinde in omnibus ratio ætatis habenda: Nam alii morbi, aliis ætatibus magis, minusque familiares sunt, & pueri calculo vesicæ, senes magis calculo renum afficiuntur, &c. Præterea conjecturam non parum confirmat parentum constitutio, potissimùm in morbis hæreditariis, nam ex Nephriticis aut Phthisicis sæpe Nephritici & Phthisici nascuntur: Deinde consuetudo ægrotandi ex aliqua parte: juvantia ac lædentia; nam si parti alicui adhibeantur, quæ morbum augent, vel minuunt, id est offendunt, vel juvant illum, nō levis suspicio erit partem illam propriè affectam esse. adduntur à nonnullis signa sumpta à similitudine, & proportione, veluti si homine mortuo dissecto, noveris quænam fuerit sedes affecta; colligere licet, ubi consistat affectus in aliis, qui simili modo laborant.

Signa minus principalia.

DE

DE SIGNIS MORBORUM ET CAUSARUM INternarum.

CAPUT III.

COgnitâ parte affectâ plerumq; unà morbus & causa interna morbi manifesta erit. Nam pauca sunt signa, quæ non simul affectũ unà cum parte affectâ ostendunt: nihilominus accidit, ut cognitâ parte affectâ, ignoretur, quomodo lædatur, an proprio affectu an ex consensu: Deinde qua specie morbi laboret, & an morbus in fieri sit, an factus: præterea si plures morbi, an unus alterius sit causa, sive an unus sit primarius, alius secundarius: Quæ omnia in curatione planè necessaria sunt.

Ac primum proprio affectu pars semper laborare judicatur, quando in parte aliquis permanens affectus conspicitur: Ex consensu tantum afficitur, quando aliâ parte irritatâ, ipsa vehementius molestatur, remissâ omni irritatione, quiescit. Quare sublato omni proprio affectu, tollitur per consensum. Afficiuntur autem per consensum peculiariter instrumenta motus & sensus, quæ vim à cerebro per nervos suscipiunt: unde accidit, ut ipsis haud quaquam affectis, actio eorum lædatur ob defectum tantum alicujus quod secundum naturam ad actionem iis adesse debet. primogenio affectu pars aliqua laborare putatur, cum ipsa primò affecta sit sine alterius consensu: secundariò verò, quando ante eam alia pars laboret, cũ quâ & à qua afficiatur, per materiæ aut qualitatis communicationem. *Quæ ex consensu laborant, aut propriâ parte affecta.*

Affectus sive morbi species, auctore Galeno 3. *de Crisib. cap. 4.* ex propriis symptomatibus sive *Morborũ nota. 4.*

Pathognomonicis signis, quæ unà cum morbo invadunt, accuratissimè dignoscitur: Nihilominus *1. de Loc. affect. cap 5.* præcipua affectuum signa ad quatuor genera reducit Gal. quorum. 1. sumitur ab excretis: 2. à loci naturâ: 3. à doloris proprietate: 4. ex propriis accidentibus.

1. *Ab Excretis.* Primò quidem ab excretis affectus species dignoscitur, ut in signis locorum affectuum diximus. nam ramentum excretum, signum est ulceris: sabulosa urina, lapidis: dejectio alvi similis seminibus cucurbitæ, latorum vermium: cibi non mutati dejectio, lienteriæ; potus non mutati mictus, diabetis nota est. Præterea ex consideratione urinæ non solum concoctio & cruditas, sed etiam multi affectus dignoscuntur.

2. *A loci natura.* Secundò à loci naturâ dignoscuntur affectus, quia aliqui morbi quibusdam partibus proprii sunt, aut certè non alieni; alii, alienissimi. Nam suffusio solis oculis tribuitur; lumbrici in alvo præcipuè gignuntur, &c. Contra cor abscessum non patitur: pulmo & partes expertes sensus non propriè dolent. Sub partis naturâ comprehendimus actionem propriam, situm & consensum. Nam actio læsâ partem affectam propriè demonstrat: modus verò læsionis, ut suprà dictum est, morbum, aliquando morbi causam. Veluti læsa concoquendi actio ventriculum affectum significat, at modus læsionis, scilicet corruptela ad nidorem, calidam intemperiem ventriculi arguit, ad acorem frigidam; deinde ex situ, tumor in pube circumscriptus per ischuriam, obstructionem meatus urinarii.

3. *Ex doloris proprietate.* Tertiò ex doloris proprietate sumuntur signa affectuum & causarum, ut ex supra dictis abundè constat. Nam inflammatio partis carnosæ, ex dolore pulsatorio; inflammatio membranarum, ex pungente dolore dignoscitur; plenitudo ex tensivo dolore, &c. ut supra demonstratum est.

Quar-

 CAP. III.

Quartò ex propriis morbi accidentibus morbus dignoscitur, veluti ex colore corporis flavo, icter⁹: ex linguâ nigricante cum ingenti calore, febris ardens: ex unguibus aduncis cum sputu purulento graveolenti, tabes: ex horrore intempestivo cum febre, phlegmonis suppuratio, &c. Sub propriis accidentibus comprehendimus etiam tempora morborum universalia & particularia, periodos, & typos: Nam morbus omnis, vel continenter affligit, vel certas intermissiones, vel remissiones habet, quotidiè, alternis diebus, &c. quorum omnium consideratio utilis est in dignotione morborum, ut in febribus apparet. 4. *Ex morbi accidentibus.*

His addi poterunt alia signa, quæ minus principalia dici merentur, quia conjecturã confirmant, sumpta à promptitudine ægrotandi, seu ab habilitate ac inclinatione ad morbum aliquem. Nam aliqui in morbum, aut aliquam morbi speciem facilè incidunt, aliqui non facile: promptitudo & inclinatio illa æstimatur ex causis, primùm internis ut intemperie totius corporis, aut præcipuorum viscerum, ætate, sexu, parentum constitutione, ac etiam recordatione præteritorum morborum, quibus conflictari æger solitus fuit. Secundò ex causis procatarcticis, ut aëre ambiente (sub quo continetur tempus anni, cœli constitutio, regio, &c.) item consuetudine in cibo, potu, motu, & quiete, somno, vigiliis, &c. Tertiò ex effectis & accidentibus inclinationem consequentibus: Ut sunt functiones animi & corporis, velut mores, animique pathemata, pulsus, cõcoctiones, insomnia, &c. Deinde excreta ut urinæ, dejectiones, sudores, sputa, suppressio consuetæ evacuationis, item figura colorque corporis & faciei, habitus corporis, cæteraque accidentia. His adduntur signa sumpta à juvantibus & lædentibus, & morbis publicè grassantibus. *Signa minus principalia.*

Nam primùm inclinationem & habilitatem ad morbum aliquem demonstrat similis temperatura totius corporis aut præcipuorum viscerum, ætas, & sexus ei congruens, maximè si eodem affectu conflictari soliti sint, aut ipsorum parentes, quo tempore eos genuerunt; Inhabilitatem contraria signa. Quare juvenis, aut vir temperamento calidus, assuetus laborare calidis morbis, facilè iis corripitur; difficulter frigidis; contrà senex aut temperamento frigidus assuetus frigidis morbis, &c. In causis externis eadem ratio est. Nam naturarum quædam ad æstatem, quædam ad hyemem benè aut malè habent, & diversa temporis constitutio diversos morbos portendit; unde alii morbi vernales, æstivales, autumnales & hyemales sunt, & alios hyems sicca & Ver pluviosum, quam hyems australis, pluviosa, ver siccum aquilonium affert. Præterea quibusdam regionibus nonnulli morbi sunt familiares (ut scorbutus ad mare balticum) qui in aliis regionibus raró, aut nunquam repeliuntur; proinde cujusque regionis proprietas observanda erit, morbique inquilini. Non parum conjecturam confirmat consideratio victus, vitæque anteactæ, cæterarumque rerum non naturalium, quarum effectus in corpore ex iis intelliguntur, quæ in præcedente libro cap 3. dicta sunt, deinde morborum publicè grassantium, ut pestis, variolæ, morbilli, interdum dysenteriæ, &c. In accidentibus & effectis inclinationem consequentibus, similis ferè ratio est, ut in causis. Nam iracundi, macilenti cum latis venis, vigiles, coloris citrini, qui multos humores calidos gignunt, pulsus veloces urinas aureas habent; calidis morbis maximè oportuni sunt; contra pusillanimes, somnolenti, pigri, obesi, qui angustas venas habent, pulsus tardos, urinas albas, &c. morbis

bis frigidis: Adduntur his signa sumpta à juvantibus & lædentibus. Nam quicquid juvat & nocet signum est, quia includit commodum & incommodum, & hoc illud est, quod dixit *Hipp.* 17. *Aph.* 2. manifestat sanatio. homo enim sanus gaudet similibus, læditur contrariis, æger gaudet iis, quæ morbo contraria sunt, læditur similibus.

Differētiæ signorum morborū. Quare signa morborum, quædam tantùm signa sunt, ut symptomata consequentia morbos: quædam signa simul & causæ, quæ morbos præcedunt seu producunt, de quibus in cap. 3. libri præcedentis dictum est. *Delectus signorum.* Horum omnium signorum eadem ratio non est, nam aliquando unum signum pathognomonicum sufficit, ut in apoplexia, repentina privatio motus & sensus; plerumque plurium *Syndrome signorum.* signorum concursus requiritur: ubi enim morbus, aut pars affecta nequit uno proprio signo dignosci, utendum multorum concursu, quæ, si singula fidem non faciunt, unita tamen testimonia firma sunt: ad hunc modum dignoscimus pleuritidem, ut dictum est, & alios plerosque affectus. Deinde observandum est, signa aliquando sibi mutuò contraria esse, aut minus manifesta: aliquando morbos eorumque symptomata ita similia, ut, nisi à medico exercitatissimo, facilè discerni nequeant, ut in colica & Nephritide apparet. Præterea morbos non raró complicari, ac singulos seorsim propter alterius admistionem non facilè deprehendi. Insuper, quemadmodum plantæ erumpentes, ita morbos statim ut incipiunt, difficilimè dignosci ob signorum paucitatem, aut quia causæ satis firmatæ non sunt. Quare in dignoscendis affectibus accurato judicio utendum erit, & in initio, ubi omnia minus manifesta sunt, de specie morbi non temerè pronunciandum.

Ex

Ex his omnibus in parte affecta dignoſcere licet morbi ſpeciem, nimirum an intemperies aliqua ſit, aut morbus compoſitionis; aut ſolutio unitatis. Verùm ut diximus pauca ſunt ſigna, quæ non ſimul affectum cum parte affecta demonſtrāt. Intemperies nudæ ſubitò non gignuntur, nec repentè & conſertim actiones tollunt; ut morbi ex affluxu humorum; deinde ſine tenſione, tumore & gravitate partis affectæ accidunt; celerius tamen corpus caleſit, quàm refrigeratur; & refrigeratur quàm humectatur, aut exiccatur.

Signa ſingulorum morborū.

Calidum morbum demonſtrant cauſæ prægreſſæ corpus calefacientes, ut aëris ambientis intenſa caliditas, alimentorum & medicamentorum calefacientium uſus, motus importuni, vigiliæ, iræ, affluxus bilioſorum humorum &c. Deinde effecta ut ſenſus caliditatis, rubor in parte affecta, ſenſus mordicans; ſi viſcera affecta ſint, pulſus magis veloces, urina ruffa, ſitis, inappetentia ciborum, vigiliæ, irritationes ſenſuum, &c. Juvantur frigidis, læduntur calidis.

Signa propria morbi calidi.

Frigidæ intemperiei oppoſita ſunt inditia, nimirùm pars contactu frigida ſentitur, & pallida eſt, pulſus parvi, tardi, urinæ albæ, concoctiones debilitantur, ſtupet mens & ſenſus; ſitis nulla, juvantur calidis, &c.

Signa frigidæ intemperiei.

Humidam intemperiem demonſtrant cauſæ præcedentes humectantes, corporis nimia mollities & laxitas, ſomnolentia, functiones languent, ſenſus hebitantur, dolor nō ſentitur, nec ſitis, pulſus molles ſunt, excrementa multa gignuntur & coacervantur, juvantur ſiccis, læduntur humidis. In ſicca intemperie contraria omnia ſunt, nimirùm cauſæ prægreſſæ exiccantes, pars affecta ſqualida dura contracta, pulſus duri, dolor aſper, mentis ſenſuumque acrimonia & irritatio, ſitis, vigiliæ, excrementa pauca. Juvantur humidis, &c. Si intemperies compoſita ſit complicata habebit inditia: ſi cum materia, in parte

Signa Humidæ & ſiccæ intemperiei.

affecta sentitur sensus gravitatis, tensio aut tumor. Materia quibus signis dignosci debeat infra dicetur.

Ut temperies ita morbos compositionis demonstrant causæ prægressæ, deinde effecta & symptomata, quæ simpliciter signa sunt non causæ, & variant pro varietate partis affectæ. Causæ cujusq; morbi in specie, in capite tertio præcedentis libri propositæ sunt. In genere effecta signaque nimiæ apertionis meatuum & vasorum, sunt retentrix debilitata, & expultrix proritata, ac contentorum præter naturam evacuatio. Juvantur obstruentibus, astringentibus, læduntur aperientibus. Angustiæ vasorum contraria signa aut symptomata sunt. Nam angustia functiones facultatis attractricis & expultricis partium impedit, consuetas evacuationes excrementorum supprimit, ut angustia renum & vesicæ, urinæ excretionem; intestinorum, dejectiones; uteri, menstrua, item distributiones alimenti & spirituum in corpus prohibet, ut angustia venarum & jecoris, sanguinis; arteriarnm, spiritus vitalis; nervorum, spiritus animalis, &c. tandem levamen sentiunt ab aperientibus, læduntur obstruentibus, &c. Superficiei asperitatem demonstrant, sensus inæqualitatis in parte affecta, & quæ per eam expelli solent, si diutius retinentur, aut cum difficultate expelluntur, juvantur lenientibus, læduntur ab exasperantibus. Levitatis superficiei contraria signa sunt. Figura vitiata partis externæ sensibus patet; internæ ut uteri, &c. recordatione causarum præteritarum, & ex actione læsa partis malè figuratæ, & mutatione naturalis figuræ cutis in eo loco ubi sita est. Secundò morbus in magnitudine aucta partis externæ visu tactuq; dignoscitur; internæ ex dolore gravante, aut distendente, situ tumoris sub cute mollis aut duri cum calore, frigore, coloris mutatione

Signa propria morborum organicorũ.

Signa apertionis & angustia meatuum.

Signa asperitatis & levitatis.

Signa figura vitiata.

Signa morborum in magnitudine.

tatione juxta naturam materiæ magnitudinem augentis. Juvantur medicamentis, quæ magnitudinem minuunt, &c. Diminutæ magis opposita signa sunt. Tertiò morbus in numero aucto aut diminuto partium externarum, sensibus evidens est; internarum multa exercitatione indiget, præcipuè redundantia partis aut defectus vitio conformationis in utero, quæ non alia ratione dignoscuntur, quàm ex actione læsa partis, & figura non naturali cutis in eo loco ubi residet; si vitium adventitium sit, colligitur ferè ut magnitudo aucta & diminuta. Quartò situs partis internæ mutatio à naturali sede, ut uteri sursum aut deorsum, intestini, &c. deprehenditur non solùm ex causis prægressis, quæ partem à sua sede dimovent, sed etiam ex gravitate dolore distendente, tumore, in eo loco ad quem pars decumbit, ac etiam ex tumoris forma, duritie, mollitie, æqualitate aut inæqualitate, &c. Tandem continui solutio partis externæ, aut ab externa causa, ut vulnus, contusio, collisio, fractura ita manifesta est, ut nullis inditiis opus habeat. Ulcus internum demonstrant sæpè causæ prægressæ & dolor, sed maximè excreta nimirùm sanguis sanies, pus, crusta, portio partis, &c. Nam substantia eorum, quæ excernuntur, locus & modus excretionis partem affectam una cum affectu indicāt. Compositi morbi complicata habent inditia. In his omnibus dignoscendis requiritur diligens exercitatio in corporum dissectionibus, & in singularum partium usu & actionibus.

Signa morborum in numero.

Signa morborum in situ.

Signa solutionis continui.

Signa causarum.

Hactenus de dignotione præsentium in morbis, quâ affectus & affecta pars invenitur, dictum est: superest ut de dignotione præteritorum agamus, scilicet de inventione causarum latentium, quæ affectiones faciunt aut præcedunt. Cognoscun-

ſcuntur quidem uno interdum indicio morbus & morbi cauſa proxima: aliquando locus affectus unà cum cauſa: Verùm accidit non raro, ut cognito affectu & parte affectâ cauſa affectus ignoretur, cujus cognitio medico planè neceſſaria eſt. Nam in curatione requiritur, ut ſciamus, an cauſa adhuc agat, an deſiit agere: ſi agit, an per partem duntaxat tranſeat, an in parte contineatur, quæ omnia ex ſuprà dictis facilè intelliguntur. Nam ſi per partem tantum tranſeat, permanens diſpoſitio non oritur, ſed velut affectionis umbra, quæ ſublatâ actione tollitur: at ſi in parte contineatur & firmetur, permanentem diſpoſitionem gignit & confirmat: quæ poſt actionem relinquitur, & ex effectis, ſcilicet, ex ſymptomatum magnitudine æſtimatur. Continetur autem cauſa, ſi morbus ſimilaris ſit in propriâ partis ſubſtantiâ temperamentum immutans; ſi morbus compoſitionis, in parte affectâ tanquam in organo, ejus ſtructuram lædens. Omnis cauſa vel externa & evidens eſt, vel interna & occulta, ut alibi dictum eſt. Externa cum evidens ſit, ſignis non indiget, ſed ſigni rationem potius habet. Internæ & occultæ cauſæ, ſcilicet contenta præter naturam in corpore & contentorum diſpoſitiones, Plethora & Cacochymiâ, ac quæ repletioni opponitur inanitio, certis ſignis dignoſcuntur & manifeſtantur. Signa illa vel tantum ſigna ſunt & conſequuntur cauſas, vel pariter ſigna & cauſæ, quæ ſuâ naturâ præcedunt affectus.

Signa quæ cauſæ ſimul rationem habent, ſunt temperamentum totius corporis, ac potiſſimum partium principalium: deinde ætas, ſexus, conſuetudo, parentum vitia: Item, morbi præteriti: præterea ex ſex rebus non naturalibus exercitatio, vitæ ſtudium, evacuatio naturalis ſuppreſſa, aër & *Signa ſimul & cauſa.*

quæ

quæ sub aëre continentur, regio, status cœli, tempus anni, balnea & similia, de quibus omnibus in genere & specie dictum est in capite secundo libri præcedentis: ab his causis humores redundantes gignuntur, & geniti ac redundantes in corpore dignoscuntur.

Simpliciter signa. Simpliciter signa sunt, corporis habitus scilicet obesus, crassus, carnosus, hirsutus: deinde color & quæcunque in corpore erumpunt, tactiles qualitates scilicet durities, mollities, &c. Item, functiones, omnes præcipuè pulsus, somnus, vigiliæ, insomnia, mores, &c. præterea contenta, scilicet urina, feces, sudores, sputa, &c. quibus omnibus addi poterunt juvantia, lædentia & similia. Hi fontes signorum sunt unde omnis redundantia humorum dignoscitur.

πλήθωρα. Redundantium humorum in corpore duplex est dispositio, Plethora & Cacochymia. Plethora, redundantia sanguinis vel omnium humorum æqualiter se habentium, duplex vicissim est, quoad vasa, vel quoad vires, ut alibi dictum est.

Plethora signa. Ac primum Plethoræ quoad vasa, signa, quæ causæ rationem habent, sunt corporis temperatura calida humida, præcipuè verò jecoris & cordis: adolescentia; tempus vernum: victus plenior & liberalior: vita jucunda: exercitatio solita omissa: balneatio à cibo: suppressa aliqua evacuatio sanguinis, &c. Simpliciter signa quibus sanguinis redundantia dignoscitur, sunt color totius corporis & faciei potissimum, roseus & floridus ex albo & rubro mixtus: habitus carnosus cum halituoso calore: urina copiosa substantiâ & contentis mediocris: mores animi jucundi & sedati: somnus placidus, cum insomniis jucundis: pulsus validi magni: sudor copiosus, dulcis, maximè si habitum corporis occupavit: inflammationes & morbi consueti à sanguine:

guine: facilè evacuationes ſanguinis ſuſtinere & lædi à calidis humidis,&c. Ubi verò Plethora aut redundantia aliquà humorum vires premit: aderunt gravitas corporis, pulſus imbecillis inæqualis, putredines, cruditates & ſimilia.

Cacochymia propriè eſt, cujuscunque alterius humoris,à ſanguine redundantia: ac proinde triplex potiſſimum, bilioſa,melancholica,vel pituitoſa,ut alibi dictum eſt. *κακοχυμία.*

Bilem redundare oſtendunt, primùm cauſæ antecedentes bilem gignentes, ſcilicet conſtitutio corporis calida & ſicca, præcipuè verò jecoris & cordis: ætas juvenilis: tempus æſtivum, victus tenuis: alimenta calida,ſicca,acria. inedia, nimia exercitatio: ſuppreſſa bilis evacuatio,&c. His aliisque cauſis ubi redundaverit bilis flava, hæc ſigna apparebunt: nimirum color corporis,præcipuè faciei & oculorum citrinus & flavus, qualis in Ictericis. habitus corporis ſiccus, macer: venæ amplæ,diſtentæ: pulſus velox, frequens,durus: urina flammea, ſedimenta pauca, excrementa bilioſa: puſtulæ in corpore bilioſæ: calor corporis acris,mordax: iracundia,vigiliæ,aut ſomnus inquietus cum inſomniis iracundis: frigidorum appetentia & ſimilia. Ubi verò bilis peculiariter in cerebro redundarit, aderunt deliria, iracundia cum vigiliis: ſi ad os ventriculi confluat,ſitis, nauſea,&c. ſi ad inteſtina, diarrhæa bilioſa, &c. *Bilis redund. ſigna.*

Redundat Melancholia in corporibus ſiccis, conſtitutionis melancholicæ & in triſtibus curis & moleſtiis implicitis,autumno potiſſimum,aut ſtatu temporis inæquali, in locis ſiccis frigidis, ex alimẽtis craſſis ſiccis: aliquando ſuppreſſa evacuatione melancholiæ ab obſtructione Lienis, &c. Adeſſe redundantiam illam demonſtrant color corporis obſcurus,fuſcus,præcipuè faciei: fœda ſcabies: ma- *Melancholia ſigna.*

culæ nigræ: habitus macilentus: aſpectus mœſtus fixus: pulſus parvus, tardus, rarus: metus & triſticia ſine manifeſta cauſa: ſomnus turbulentus cum inſomniis horridis & terribilibus: urina tenuis alba interdum craſſa, livida: excrementa melancholica erumpentia: levamen ab iis, quæ melancholiam purgant & bonum ſuccum gignunt: Verùm ſi bilis nigra aduſta fuerit, quæ mediam quandam naturam inter melancholiam & bilem flavam ſortitur, mixta magna ex parte ſigna aderunt.

Signa pituitæ. Redundantia pituitæ aut aquoſi humoris evenit corporibus frigidis humidis, ſenibus, otioſis, bibulis, voracibus, ſomnolentis & ſimilibus, hyeme aut in aëre & locis humidis frigidis, ex alimentis pituitoſis, aut victus ratione humectante, qualis eſt à cibo frequens balneatio, ingluvies, &c. His addi poterit ſuppreſſio conſuetæ excretionis urinæ. Redundantiam pituitæ demonſtrant, color corporis albus, lividus, habitus obeſus, tumidus, œdemata, morbique pituitoſi: dejectiones pituitoſæ, ſaliva copioſa & mucus per nares: urina alba aut pallida, nunc tenuis, nunc craſſa turbida: ſegnities, ſomni profundi cum inſomniis aquoſis: levamen à calidis ſiccis, &c. Aliquando actione caloris pituita ſalſa efficitur, quæ mixtis ex bile & pituita ſignis dijudicatur.

Flatus. Flatus immodici, ſoboles cruditatis, iis naturis accidũt, qui cruditatibus, obſtructionib⁹ lienis, &c. obnoxii ſunt, aut frigido humido ventriculo præditi, ac cibis flatulentis utuntur, crapulâ ingluvie & ſimilibus. Adeſſe flatuum copiam demonſtrant fluctuationes, rugitus, flatuum eructiones & ſuppreſſiones; ut in colica: dolor vagus, tenſivus: palpitationes, aurium tinnitus: inſomnia rerum celeriter moventium, violenterq; impellentium, &c.

Inanitio. Inanitio, quæ nihil aliud eſt, quàm abſentia

eorum

eorum, quæ ad ſanitatem requiruntur, ut ſunt humorum, ſpirituum aut ſubſtantiæ ſolidæ, eodem modo, quo repletio dignoſcitur. Nam ſigna quæ cauſæ rationem habent, ſunt conſtitutio corporis calida ſicca, rara, acribus & tenuibus ſuccis prædita: vis retentrix debilis: copioſæ evacuationes: aër ſiccus calidus: vigiliæ, inedia & cæteræ cauſæ manifeſtæ, quæ corpus & humores exhauriunt ac ſpiritus diſſolvunt. Simpliciter ſigna ſunt habitus corporis ſquallidus extenuatus: color non naturalis pallidus: pulſus languidus: actionum omnium debilitas & ſimilia. His accedunt levamen à reficientibus, offenſio ab evacuantibus. Hæ ſunt notæ communiſſimæ præcipuarum cauſarum latentium in corpore. an verò in parte aliqua peculiari redundet materia morbifica; propriis illius partis notis dijudicatur & æſtimatur.

DE PULSIBUS.

CAPUT IV.

Vſus conſiderationis pulſuũ & urinæ.

Signa, quæ ex conſideratione pulſuum & urinarum ſumuntur, in numero eorum ſunt, quæ non ſolum futurum morbi eventum denunciãt, ſed etiam præſentem ſtatum ægri, ſeu morbum, morbi cauſam, & partem affectam demonſtrant. Nam pulſus, primariò vitalis facultatis & totius corporis robur, deinde cordis corporisq; ſtatum indicat; at urina propriè hepatis viſcerum venoſiq; generis conſtitutionem, humorumq; conditionem; obſcurius paulò virium robur arguit. Quare urinæ contemplatio magis ad dignotionem, pulſus ad præſagitionem ac morbi futurum eventum prædicendum inſervit. De utriſq; breviter tantum, prout compendii ratio exigit, dicemus.

Pulſus definitio. Pulſus ut alibi definivimus, eſt functio cordis & arteriarum ex diaſtole & ſyſtole compoſita, cum utriusque intermedia quiete, orta à facultate pulſifica cordis, ut calor nativus in ſua temperie conſervetur, ſpiritusque generentur & diſtribuantur. Nam per diaſtolem ſeu cordis arteriæque elevationem, ambientis aëris aliquid intrò attrahitur, quo calor nativus refrigeretur, ſpiritusque vitales generentur; per ſyſtolem ſeu ſubmiſſionem & contractionem, quicquid ineſt fuliginoſi vaporis, expurgatur. Arteriæ autem à corde originem trahunt, & omnes eodem pulſandi modo, & inter ſe, & cum corde conveniunt: quare ex una omnium motum ex æquo percipere poteris, promptius tamen ex iis, quæ per carnes proreptant, omniumque commodiſſimè quæ per brachiale excurrunt, admotis ſupernè arteriæ carpi tribus aut quatuor digitis medio modo inter arctam compreſſionem & lenem palpitationem: diaſtole enim pulpam digitorũ aſcenſu comprimit, ſyſtole in deſcenſu eam recurrere facit. Verùm ſyſtolis notitia difficilior multò eſt, & niſi in magno, vehementi duro pulſu vix percipitur, ſicut etiam quies interna.

Pulſuum differẽtiæ. Differentias pulſuum Paulus ex Gal. aliique decem numerant, aliqui novem, nonnulli octo tantum. *Prima differentia celer tardus mediocris.* Prima ſumitur ex tempore motus tam in elevatione, quàm ſubmiſſione, cujus ſpecies ſunt tres, nimirum celer ſive velox, qui brevi tempore multũ ſpatii abſolvit; tardus contra; mediocris, qui medio modo ſe habet. *2. Longus, lat⁹, alt⁹. Brevis, arctus, humilis.* Secunda à quantitate ipſius motus in omnes dimenſiones, cujus ſpecies ſunt pulſus longus, qui naturalem in longitudinem excedit, latus in latitudine: altus in altitudine: quibus contrarii ſunt pulſus brevis, arctus, humilis: concurſu pulſus longi, lati, alti, fit magnus; contrà concurſu brevis arcti humilis, oritur parvus: *Magnus, parvus.* In horum

medio

medio est mediocris seu moderatus. Tertia diffe- *3. Differentia.*
rentia à facultatis robore desumitur, cujus species
sunt pulsus vehemens seu validus, qui tangentis ma- *Vehemens*
num validè ferit; debilis sive languidus, qui invali- *languidus*
dè, adeò ut arcta digitorum compressione evane- *mediocris.*
scere videatur; mediocris in horum medio. Quar- *4. Durus*
ta differentia oritur ex arteriæ substantia & qualita- *mollis.*
te, ut pulsus durus, quando arteria dura intenta in
occursu percipitur; mollis contra, ubi laxa mollis;
mediocris in horum medio. Quinta ex contentis *5. Plenus*
seu arteriæ perfusione consideratur, scilicet pulsus *vacuus.*
plenus, ubi arteria digitorum impressioni humore
plena turgidaque occurrit; vacuus contra quando
bullæ modo sublationem efficit; mediocris ubi me-
dio modo se habet. Sexta à temperamento arteriæ *6. Calid⁹*
& contentorum dependet, ut pulsus calidus, frigi- *frigidus.*
dus, temperatus. Hæc differentia à pluribus omit-
ti solet, ac à nonnullis prior quoq;, quæ sumitur ab
arteriæ perfusione. Septima differentia est ab ictu- *7. Frequēs*
um intervallo & quiete, quæ duplex est, una inter- *rarus.*
na, altera externa, hujus species sunt pulsus frequens
seu creber & densus, cui breve quietis tempus est;
deinde rarus, cui longum: in quorū medio est me-
diocris. Octava dependet ex rythmo, id est, pro- *8. Differentia.*
portione temporis mot⁹ ad tempus quietis, & tem-
poris systolis ad tempus diastolis, &c. hujus species
sunt, pulsus εὔρυθμος consonus, qui cuique ætati *εὔρυθμος.*
naturalis est, ejusque proportionem servat. Nam
suus cuiq; ætati certus rythmus est. Deinde ἄῤῥυθ- *ἄῤῥυθμος.*
μος non est, qui nullum rythmum servat, sed qui
malo præditus est, aut naturalem corrumpit; hujus
tres species seu gradus sunt, I. παράρυθμος, qui
mediocrem boni rythmi perversionem obtinet: II.
ἑτερόρυθμος qui longius à bono recedit, & alteri-
us ætatis mutuatur: III. ἔκρυθμος, qui bonita-
tem rythmi planè corrumpit. Nona

9. Nona differentia sumitur ab æqualitate & inæqualitate in omnibus prædictis differentiis. Spectatur autem æqualitas vel in uno pulsu, vel in pluribus, quæ in pluribus συστηματικὴ, id est, collectiva vocatur. Æqualis autem pulsus est, qui in omnibus prædictis pulsuum differentiis (ut magnitudine frequentia, vehementia, &c.) sibi semper & ubique similis est: Æqualis in uno pulsu, cujus initium, mediũ, finis æqualiter procedunt. Inæqualis verò pulsus dicitur, qui in una ex pluribꝰ prædictis differentiis dissimilis & impar est, qui verò in omnibus, absolutè inæqualis vocatur. Deinde pulsus omnis inæqualis, vel æqualiter inæqualis, vel inæqualiter: æqualiter inæqualis Pulsus est μύουρος sensim diminutꝰ, quando secundus ictus paulo minor est primo, & tertius secundo, atque ita deinceps, qui si ad absolutam privationem deficiat, pulsus myurus deficiens nominatur: sin rursus augeatur in parem majorem aut minorem priori magnitudinem, myurus recurrens dicitur: accidit tamen ut pulsus magnitudinem, in qua desierat, aliquandiu conservet. Pulsus inæqualiter inæqualis est, qui similem inæqualitatem non servat, veluti cùm duo aut tres priores ictus pares sunt, quartus & quintus, impar, &c. hic si desinat inæqualis deficiens; si post duos, aut tres ictus prætermissos redierit, deficiens reciprocus: sin non exspectata quiete in medio quasi ictus supervacuus incidat, pulsus intercurrens vocatur. Inæqualis in uno pulsu, cum initium, medium, finis, aut omnes arteriæ partes non eodem modo procedunt. Hæc inæqualitas consideratur, vel in una parte arteriæ, vel in diversis; In una parte, quando pulsus incipiens, vel desinens tardior, vel celerior est, aut intercidit, aut recurrit, seu quasi bis ferit; si pulsus continuus manens à tarditate ad

Pulsus æqualis & inæqualis.

Inæquales in plurib. pulsib.

Æqualiter inæquales.

Myurus deficiens.

Myurus recurrens.

Inæqualiter inæquales.

Inæqualis deficiens.

Reciprocꝰ.

Intercurrens.

Pulsus inæqualis in uno pulsu.

Inæquales in una parte arteriæ.

ad celeritatem, aut contrà transierit, impar citatus nuncupatur: si à quiete intercisus celerior & vehementior multò appareat, caprizans à capra, quæ inter saliendum sublimis hæret, & secundum motum inopinatum priore celeriorem molitur; sin ab elevatione recurrerit tanquam malleus ab incude resiliens, pulsus dicrotus, id est, recurrens & bis feriens nominatur. Inæqualitas verò unius pulsus in diversis arteriæ partibus duplici modo accidit: uno cum motus manet continuus & arteria juxta quosdam digitos celerius, juxta alios tardius movetur, ac vehementiæ celeritas, magnitudo similis ab omnibus non percipitur; alio si motus intercidat, & alii digiti pulsum apprehendunt alii non. Ubi motus à digito interiori magis percipitur, qui juxta proportionem in cæteris sensim minuitur, Myurum in uno ictu; si juxta medios digitos magnus occurrat, & utrobique minuatur, Archigenes περινενευκότα, id est pulsum circumnutantem appellat; quod si ad inæqualitatem in magnitudine accesserit celeritas aut tarditas, tum pulsus undosi vermiculantes, formicantes oriuntur: Undosi autem, cum arteria simul tota non attollitur, sed magna inæqualitate primò pars una, deinde altera, mox tertia, hinc quarta, motusque continuus manet, ad modum undarum sese attollentium. Undosus pulsus in parvitatem desinens, primùm vermiculans, tandem formicans efficitur. Nam vermiculans ab undoso; & formicans à vermiculante, non nisi magnitudine differt, ac formicans pulsus languidissimus est admodum parvus, creberrimus, & inæqualis, cui affinis est pulsus hecticus, sed hic perpetuò ferè consimilis manet

Caprizās. *Dicrotus.* *Inæquales in diversis arteriæ partib.* *Myur⁹ in uno ictu.* *Circumnutans.* *Vndosus.* *Vermiculans.* *Formicās.* *Hecticus.*

magnamque mutationem non habet. Sin ad inæqualitatem in magnitudine aliisque differentiis accesserit situs partium, arteriæ mutatio, ut sursum, deorsum, dextrorsum & sinistrorsum inflectatur, pulsus vibrantes, convulsivi, serrati constituentur.

Vibrans. Vibrantes & turbulenti, quando particulæ arteriæ sursum feruntur, uno eodemq; tempore quasi spicula validius emissa celeriterque vibrata. *Convulsivus.* Convulsivi si arteria tensa sursumque retracta chordæ cujusdam tensæ speciem præbeat. *Serratus.* Serratus verò cum ob duritiem una pars arteriæ magis, quàm alia elevatur. *Vltima differẽtia pulsus.* Ultima differentia pulsus consideratur potissimùm in inæquali ratione ordinis, Nam æqualis pulsus semper ordinatus est; inæqualis verò vel ordinatus est, vel inordinatus. *Ordinat⁹ inordinatus.* Ordinatus dicitur, qui circuitum paritatem servat; inordinatus qui non servat. Quare pulsus inæqualis ordinatus erit, qui inæqualitatis similem circuitum obtinet, veluti cum duo pulsus parvi sunt, & unus magnus; deinde iterum duo parvi, unusque magnus, &c. Contra inæqualis inordinatus est, qui similem inæqualitatis ordinem non servat, &c. Hæ sunt maximè generales differentiæ pulsus, ex quibus conjunctis oriuntur compositæ pulsuum species.

Causa pulsuum. Causa efficiens pulsus est facultas à corde promanans, instrumenta sunt arteriæ, quæ cordi continuantur, & impetum cordis sequuntur: Causa facultatem impellens, est necessitas & usus. Nam pro modo & conditione necessitatis pulsus perficitur, modo facultas robusta sit, & arteriæ obsequentes. Quare varietas in pulsu oritur, præcipuè aut à necessitate seu usu, aut à facultatis robore vel imbecillitate, aut ab arteriæ quantitate, qualitate & situ. *Causa differentiarum pulsuũ tres.* Nam hæc tria si secundum naturæ modum sese habuerint, pulsus in omni genere moderati efficiuntur. Moderatos dico non exactè (qui non dantur, nisi

nisi in naturis exquisitè temperatis mediisq; & fortasse ad momentum) sed minus exactè, & proportionatos ad naturalem temperiem. Ab hac mediocritate si longè recesserint ad alterum extremorum pulsus vitiosus oritur. Necessitas seu usus pulsus est ut calor nativus contemperetur, & spiritus regenerentur. Nam finis diastolis est, ut aliquid aëris ambientis attrahatur, quò calor nativus refrigeretur, spiritusque regenerentur; deinde systoles, ut fuliginosi vapores, & quicquid spiritibus inutile est, expurgetur. Igitur necessitate aucta vel diminuta pulsus à mediocritate recedunt, augentur vel minuuntur; & diastole, aucto vel diminuto calore: systole auctis vel diminutis fuliginosis excrementis, undè collato elevationis & submissionis tempore colligere licet, vincat ne calor aut fuliginosa excrementa. Nam usus à mediocritate recedit tripliciter, primò defectu spirituum, quem facultas pulsu resarcire conatur; deinde intemperie præter naturam calidâ vel frigida, simplici vel composita sine vel cum materia: tertiò ex materia aliena & vitiosa, ut fuliginosis vaporibus, humoribus, &c. Procedit hæc immoderatio à causis seu rebus vel naturalibus, vel non naturalibus; vel præternaturalibus; naturales causæ magnitudinem maximè stabilem faciunt, cæteræ facilè mutabilem, ut mox dicetur. Secundò robur facultatis vitalis comitatur bonam corporis dispositionem, ætatem, anni tempora, causasq; cæteras temperatas. Debilitas verò, virium oppressionem aut exolutionem: oppressio fit ab humorum copiâ aut cruditate vires premente; à qua vindicantur concoctione, evacuatione, &c. Exolutio verò virium ex inedia, vigiliis, doloribus, curis, magnis evacuationibus morbis acutis & diuturnis, animi deliquiis. Tertia causa varietatis pulsus est in instrumento, nimirum arteriæ angustia, & amplitudo;

I. Necessitas.

Causa necessitatem mutantes.

II. Virtutis vitalis robur & debilitas.

Tertia causa mutationis pulsuũ est in arteria

do; deinde nimia mollities & laxitas aut ſiccitas & durities: tertiò ſitus partium ipſius mutatio, cum à cauſa tendente & trahente ſurſum deorſum aut ſiniſtrorſum, dextrorſum deducta eſſe videatur. Hæ ſunt tres proximæ pulſuum cauſæ, ad quas cæteræ referuntur.

Cauſa ſingularum ſpecierum pulſus. Conſequens ut ordine ſingularum ſpecierum cauſas explicemus. Pulſus, qui longus appellatur, fit ob arteriæ ſiccitatem, partiumque circumſtantium colliquationem ariditatemque: latus solùm ob ſuperfluam humiditatem: ſublimis, propter inſtrumenti mollitiem, virtute ad hoc opitulente: Ex contrariis cauſis oritur pulſus brevis, arctus, humilis. *Celeris.* Celer frequensque pulſus fit ob uſum auctum, nimirum caloris exuperantiam, aut ſpiritus vitalis penuriam; magnus propter neceſſitatem auctam *Magni.* cum facultate non imbecilla. Nam aucto calore ſi facultas debilis non ſit & inſtrumentum obediens, pulſus magnus oritur, ſi magnitudo uſui non ſuffecerit, ſtatim celeritas ipſi accedit: ac ſi ne ſic *Frequentis.* quidem ſatisfecerit frequentiam aſſumit. A contrariis cauſis fiunt pulſus rari, tardi, parvi, ſcilicet *Pulſus rari tardi, parvi.* defectu caloris nativi, magnaque refrigeratione, aut facultatis debilitate. Vehemens pulſus à facultatis vitalis robore perficitur, modò uſus non abſol- *Cauſa pulſus vehementis.* vatur, nec inſtrumenti durities renitatur. Languidus à debilitate virium propriè fit. Durus pulſus vehementi ſimilis interdum videtur, ſed magnus *Languidi. Duri.* eſſe nequit, ob arteriæ contumaciam, verùm uſu aucto pro magnitudine frequentiam & velocitatem aſſumit. Cauſa ejus eſt, arteriæ durities, orta ex immodica refrigeratione, vel exiccatione, vel inflammatione vehementer tendente, ac ex convulſi- *Mollis.* one. Ex oppoſito pulſus mollis fit, ab arteriæ humiditate, nativa vel aſcititia, contracta ex victu copioſo humectante, frequentibus balneis, vita de-

licata,

licata, multo somno ac redundantia pituitosorum humorum, morbisque pituitosis, ut anasarca, lethargo, comate, &c. Plenus pulsus redundantiam humorum aut alimenti in corpore arguit; vacuus contra defectum; Bonus rythmus probam totius corporis temperiem, Arrythmus pravam, veluti in pueris aut senibus: longius quietis tempus, quàm motus, calorem præpollere notat, quemadmodũ in juvenibus, &c. Inæqualiter citati & caprizantes pulsus febriles calores maximè comitantur: Sed in illa inæqualitate, si pulsus ad elevationis principium properet, seu diastole celerior sit, vehementem calorem arguit, qui refrigeratione tantum indiget: sin elevationis principium dissolvat, & submissionis initium ac elevationis extremum acceleret, seu systole velocior sit, quàm diastole, putredinem arguit, & copiam fuliginosorum vaporum, quibus excernendis natura incumbit, ut in putridis febribus. Turbulenti seu vibrantes pulsus fiunt, cum usus magnam elevationem exigat, & vis vitalis eam perficere valeat, & conetur, sed arteriæ ob duritiem ex inflammatione, tensione, obstructione valida &c. refragentur. Convulsivi, quando principium nervorum affectione inflammatoria laborat, ut in Phrenitide, aut acuta epilepsia & convulsione, ubi adhuc calentes moriuntur, contraria ratione, quàm in syncope. Serratus pulsus ex inflammatione nervosarum partium oritur, & pleuritidi peculiaris est, maximè inconcoctæ. Undosi, affectus humidos partiumque humidarum consequuntur, ut anasarcam, lethargum, peripneumoniam: si virtus dissolvi cæperit, in vermiculantem primùm degenerat, tandemque viribus extremè collapsis in formicantem omnium pulsuum languidissimum. Semper autem pulsus defici-

Pleni vacui.

Boni & mali rythmi.

Causa pulsus caprizantis & inæqualiter citati.

Vibrantis

Convulsivi.

Serratilis

Vndosi.

Vermiculantis.

Formicantis.

Causæ pulsuum deficientium recurrentium et intercurrentium.

deficientes extremã virtutis debilitatem denotant, concidentes & repetentes imbecillem quidem, sed repugnantem adhuc, In omnib⁹ morbis pulsus valde languidus imbecillitatem facultatis vitalis arguit, sed non uno modo. Nam magnæ imbecillitatis in pulsu tres causæ præcipuè sunt, quæ vim vitalem prosternunt: una quæ vires sensim dissolvit; altera quæ repente; tertia quæ materiæ copia, aut cruditate & malignitate obruit, prĕmitq́ue. In quovis imbecillitatis genere, pulsus languidus quidem semper est; verùm in prima specie simul parvus est sine inæqualitate: Deinde μυὖρος deficiens, tandem abolitus: in secunda specie languidus simul & parvus, frequens, celer sine inæqualitate: post vermiculans, formicans & deficiens. In tertia debilis, parvus, inæqualis, & inordinatus; deinde intercurrens, dicrotus; tandem intermittens: si verò adsit simul febris, erit unà frequens, velox, inæqualis: si sine febre & calore, rarus, tardus. Intermissio autem quo diuturnior; eò periculosior, semperq́ue juvenibus periculosissima est, minus pueris, minimè senibus. Pulsus inæquales ordinati rarò inveniuntur, eosq́ue comitantur minores offensæ, quàm inordinatos.

Varietas & mutatio pulsus accidit à rebus naturalibus non naturalibus & præternaturalibus. In ægris à præternaturalibus potissimum, ut jam dictũ est. In sanis verò primariò à causis naturalibus, deinde à non naturalibus. Naturales sunt temperamentum, habitus corporis, sexus, ætas & peculiaris corporis dispositio, ex his cognoscere oportet pulsum cujusq́ue naturalem; Nam citra cognitionem pulsus naturalis in ægris, nil certi ex pulsu conjicere possumus. Naturæ temperatæ pulsus moderatos obtinent; intemperatæ non item: sed calidæ, quæ multa refrigeratione indigent, pulsus celeres fre-

Causæ pulsus naturalis.

Pulsus temperamenti.

frequentes & magnos;contrà frigidæ,raros,tardos, parvos: humidæ molliores: ſiccæ duriores, anguſtiores, interdum ſi neceſſitas aucta ſit, & virtus robuſta, bis ferientes, vibrantes. Deinde corpora, quæ latas habent arterias,magnos; quæ anguſtas, ut obeſi,parvos; quia anguſtia magnum pulſum perficere nequit. Quare mulieribus, quàm viris minores & debiliores pulſus ſunt, plerumque celeriores & frequentiores. Pueri in vehementia & magnitudine mediocres pulſus obtinent, ſed velociſſimos & creberrimos, ob caloris & fuliginoſorum vaporum redundantiã: Juvenes, maximos & vehementiſſimos; contra ſenes,parvos,debiles, ac etiam tardos,raros,ſed proportione diuturnius eſt motionis tempus,quàm in juvenibus. Tandem ob peculiarem cordis arteriarum diſpoſitionem aliquibus à natura inæqualitas pulſûs accidit, quæ medicum latere non debet. Mutant naturalem pulſum in ſanis ac etiam non naturalem in ægris res non naturales, primùm aër ſub quo continentur anni tempora, regio,&c. Vere medio, & in locis, regionibus temperatis, pulſus vehementiores ſunt, in magnitudine,celeritate,frequentia,moderati: æſtate locisque calidis ob virium reſolutionem, debiles ac etiam parvi, ſed ob neceſſitatem urgentem celeres, frequentes. Autumno debiliores quàm vere ſunt,magisque inæquales & duri. Hyeme & in locis frigidis,tardi,rari ſunt, minores quàm æſtate, ſed vehementiores. Deinde alimenti plenior uſus pulſus vehementes facit, ac etiam magnos, crebros, veloces ſi fuerit alimenti calidioris, ut vini: Parcior uſus contrà debiles,parvos,raros, tardos: Immoderatus ſupra vires, debiles inæquales, inordinatos. Tertiò in ſomno pulſus minores,debiliores, tardiores, rariores ſunt;à ſomno aliquandiu vehementiores,majores frequentiores. Præterea exercitatio immoderata,

Pulſus ſexuum.

Pulſus cuiusq; ætatis.

Pulſus mutatio ratione temporum anni,&c. cæterarũque rerũ non naturalium.

rata, ut ſuperfluæ vigiliæ, ob virium reſolutionem debiles, parvos pulſus edit, ſed ob neceſſitatem auctam celeres, frequentes: Moderata exercitatio vehementes, magnos, celeres, crebros; otium & ignavia contra debiles, parvos, tardos, raros: Tandem ira, vehementes, altos, magnos, crebros, veloces pulſus facit; triſtitia, debiles parvos, tardos, raros: ſubitus timor, veloces, inæquales, inordinatos: celare aliquid ſtudentes, ſi interrogati fuerint, repentè pulſus magnos & inæquales edunt. Mutationes pulſuum à cauſis non naturalibus conſiderandæ ſunt, tàm in ſanis, quàm in ægris. Nam nec naturalem cujusque pulſum dignoſcere; nec ex pulſu non naturali in ægris certi aliquid prædicere puſſumus, niſi ſedata ſit illa corporis animique perturbatio, quæ à cauſis externis oritur. De cæteris ſignis ex pulſu, tàm prognoſticis, quàm diagnoſticis lege Galeni libros de pulſibus.

DE URINIS.

CAPUT V.

DIfferentiæ pulſuum obſcuræ ſunt, difficilimè cognoſcuntur, multaque exercitatione indigent. Signa, quæ ex conſideratione urinarũ ſumuntur, manifeſta ſunt, facileque dignoſcuntur. *Quid urina.* Eſt autem urina ſeroſum ſanguinis excrementum, & vehiculum, ex ſuperflua aſſumptorum liquidorum portione genitum, quod unà cum portione excrementitiæ bilis & reliquiis nonnullis tertiæ concoctionis, ex venis renes proliciunt, & per ureteres in veſicam dimittunt. Excrementum hoc ſeroſum unicum ſimplexque non eſt, ſed omnibus partibus maſſæ ſanguinis commune. Nam tot ſunt ſpecies ſeroſi humoris, quot ſpecies

ties succorum in venis, & quilibet succus suum habet serum, quibus permiscetur portio biliosi tenuis excrementi, scilicet bilis flavæ, rubræ, pallidæ, unde in temperatis naturis, urina subflava, subrufa aut citrina redditur. Serosum hoc excrementum vehiculum sanguinis est, per jecur in cavam minoresque venas: ubi reliquias nonnullas tertiæ concoctionis assumit, unde hypostasis oritur: in ægris qualitatem humoris peccantis contrahit, & partis affectæ notam, aut inquinamenta plerumque suscipit: tandemque ex venis vi renum prolicitur, & in vesicam prolabitur. Quare urinæ cum de toto omnium excremento maxime decidant, significationem maximè generalem habebunt, evidentissimè dispositionem jecoris, venosi generis, sanguinis, & humorum in vasis demonstrant, ac concoctiones & cruditatem in venis. Deinde affectus partium per quas delabuntur, & attingunt ut renum, ureterum, vesicæ, ac etiam partium quarum inquinamenta aut excretiones reliquas assumunt: minus manifestè illarum constitutionem, quas non attingunt, aut quarum excretiones nullas suscipiunt.

Ex consideratione urinæ qui morbi cognoscuntur.

Colligenda autem est urina manè à somno peracta concoctione universa in matula vitrea pellucida alba, tenui infernè, nec nimis lata nec arcta, non post coitum, evacuationem, vigilias, crapulam, inediam, usum medicamentorum, quæ urinas tingunt, &c. servanda clausa in loco temperato non ultra quinque aut sex horas; contemplanda ubi refrixerit & residerit in aëre lucido extra radios solis. Considerantur autem in urina sex, nimirum substantia seu consistentia, perspicuitas, quantitas, odor, calor & contenta, quibus additur à nonnullis mingendi modus. Ab his sumuntur differentiæ urinarum seu signa.

Modus considerationis.

Sex consideranda in urinis.

Differentia urinarum.

Nam

1. Nam ratione ſubſtantiæ, urina, vel tenuis eſt, quaſi aqua, quæ concuſſa ſpumam exiguam ampullasque parvas habet, quæ citò diſſolvuntur: vel craſſa quaſi oleum, vinum potens, &c. vel mediocris ſubſtantiæ. Deinde reſpectu perſpicuitatis, vel clara perſpi-
2. cua & limpida eſt, ut viſus facile permeet, vel turbida, opaca, obſcura, &c. Tertiò ratione quantitatis aſſumpti potius, vel multa & copioſa, vel pauca vel
3. potui proportionata. Quartò odor urinæ, aut nul-
4. lus eſt, aut planè fœtidus eſt, aut naturalis. Quintò
5. colorum omnes ferè ſpecies in urina conſiderantur, quorũ extremi ſunt albus & niger, medii complures. Sub albo continentur primùm color criſtallinus, deinde aqueus ac lacteus, quaſi lac ſeroſum, poſt ſubalbus color ut glaucus quaſi cornu pellucidum, ac charopus pilis camelorum ſimilis; hinc ſequuntur intermedii colores, ut ſubſpiceus & ſpiceus ſive palearis, pallidusque color, qualis in antiquis paleis conſpicitur. De ſequentibus diſcrepant Gal. & Avicenna. Nam *Gal. lib. 1. de criſibus. cap. 12.* poſt colorem ſubpallidum ponit pallidum, ſubruffum, ſubflavum, Deinde ruffum, poſt flavum, quartò rubrum, &c. Avicenna poſt ſpiceum ſtatuit citrinum, deinde flavum, poſt ruffum, hinc citrangularem, igneum, croceum, rubrum, &c. Verùm ruffus magis ad album vergit, flavus ad ſplendidum rubrumvè; ſub rubro continetur primùm roſeus, qualis in roſis valdè rubris, deinde puniceus, ut in ſcarlato, tertio vineus vino nigro, aut hepatis colori ſimilis, tandem praſſeus, qualis in uvis nigris; poſt hos ſequuntur ſpecies coloris ad nigrum inclinantes, ut viridis, æruginoſus, praſſeus, ceruleus & venetus, item lividus plumbeusvè, ultimo color niger. Tandem contenta in urinis ſunt primùm hypoſtaſis, deinde enæorema, nubes, bullæ, tertiò ramenta, ſquammæ, pili, arenæ, pinguedo, pus, humores, ſemen, &c.

Colores urinæ.

6. Contenta urinæ.

Cum

Cum bona constitutio, bonæque constitutionis urina, norma malæ sit, ab urina sana optima incipiendum erit. In sanis optimo corporis habitu præditis, urina subrussa aut subflava est, talis manens qualis mingitur quantitate potius proportionata; mediocris substantiæ, non omni odore carens vel graveolens, cum hypostasi alba lævi, æquali, acuta seu pyramidali fundum matulæ occupante, sine ullis crassamentis, ramentis, bullis, &c. levem subsidentiam intelligo cohærentem indivulsam: æqualem quæ semper similis mingitur, & non hodie cocta est, cras cruda. Hæc omnia bonam concoctionem arguunt. Nam consistentia, color, quantitas urinæ, notæ sunt concoctionis in jecore, & venis majoribus; hypostasis verò tertiæ concoctionis in venis minoribus. Igitur urina quò ab his notis longius recedit, eò deterior existimatur. Recedit autem nonnihil in sanis non optimo ferè corporis habitu præditis, ob res naturales ac etiam non naturales, longius verò in ægris, mutationis naturalis status à rebus præternaturalibus, Naturales sunt sexus ætas, temperamentum corporis. Nam mulieribus secundum naturam urina ad albiorem virili colorem tendit, hypostasinque ampliorem crassiorem, pluraque contenta obtinent: Juvenibus urina subflava, aut subrussa est, mediocris substantiæ; pueris albior crassior, quam juvenum cum multa crassa subsidentia; senibus urina alba tenuis est cum paucis crudisque contentis. Præterea naturâ calidis urinæ russæ ac aureæ sunt, cum mediocribus contentis tinctis, & albedinem naturalem diffugientibus; frigidis contrà magis albæ crassæ cum minoribus contentis, & quæ facilè turbantur. Naturâ sicci urinas modicè tinctas obtinent, mediocris substantiæ, pauciores cum paucis contentis benè coctis; humidi contrà urinas magis albas, copiosas,

Optima urina.

Causa diversitatis urinæ.

Urinæ sexus.

Urina ætatum.

Urina temperaturarum.

Vrinæ mutationes à causis non naturalibus.

subtenues cum multis crudis contentis. Correspondent urinæ ætatum & temperaturarum urinis temporum, anni, & regionum, & quæ ratio est in temporibus anni, eadem in cæteris rebus non naturalibus. Nam æstas, calida aëris constitutio, ira, vigiliæ, inedia, vita laboriosa, usus alimentorum calidorum, &c. urinas coloratiores reddunt cum paucis contentis, contrà hyems, otium, somnolentia, crapula, victus frigidus, &c. urinas albiores crassiores cum multis crudis contentis. His definitis restat ut causas differentiarum, & quid quælibet urina designet, ordine explicemus.

De causis singularũ differentiarum. *Quid designet urina tenuis aut crassa.*

De substantiæ modo, cum quibus coloribus conjungantur, discrepant medici: pleriq; crassam urinam cum quovis conjungi posse arbitrantur, tenuem ad rubrum tantum ascendere, mediocrem substantiam cum mediis coloribus reperiri. Denotat autem urina mediocris substantiæ robur nativi caloris bonamque concoctionem viscerum venosique generis, quæ hac tenuior aut crassior imperfectam concoctionem. Tenuis causa est vel potus nimia copia, vel obstructio aliqua jecoris, renum, ureterũ nihil crassi transcolare permittens, aut debilitas concoctricis ac retentricis vasorum, ab intemperie frigida, aut attractrice renum depravata ab intemperie calida, ut in diabete. Redditur autem tenuis urina in acutis morbis ob concoctricis debilitatem & cruditatem humorum designat; & si diutius perseverârit viresque debiles sint, mortem; sin validæ, abscessus in inferioribus partibus: In crisibus semper recidivam. Crassa verò urina fit aut à laxitate viarum aut oppressione caloris nativi à copia crudorum humorum, ac peculiariter in febrium initiis & incremento virium debilitatem multitudinem humorum pugnamque naturæ cum humo-

humore arguit: verùm si præcesserit tenuis, concoctionis principium. Urina crassa vel clara seu perspicua est, vel turbulenta; sub crassa perspicua continetur oleosa non pinguis, quæ olei tantum colorem & substantiam repræsentat: Nam urinæ pingues dicuntur non ratione substantiæ, sed contentorum. Oleosa non pinguis denotat permixtionem pituitæ viscidæ, si candida sit, magnam cruditatem, si cum bonis signis salutem, alioquin longum periculosum morbum. In valdè acutis quarto die apparens mortem septimo portendit. Urina crassa, clara non oleosa, humoris crassi permixtionem, ut subalba pituitæ vitreæ resolutionem, qualis epilepticis quandoque accidit; citrina redundantiam bilis vitellinæ. *Urina oleosa quid denotet.*

Urina crassa turbulenta, quæ non oritur vitio renum & vesicæ, ut in calculosis, aut ab externo frigore, causam habet permixtionem spiritus flatulenti ac copiam crudorum humorum, quos natura expellere nititur, sive vehementem humorum perturbationem & laborem. Urina turbulenta triplex est, una quæ pura mingitur & paulò post subsidet, altera quæ turbida mingitur, & turbida manet, similisque est urinæ jumentorum: sub hac continetur urina confusa, quæ tota sibi similis est sine ullis contentis, & ignis calore non dissolvitur, nec clara redditur. quæ pura mingitur, & post conturbatur omnium turbidarum optima est, licet cruda sit ob flatus crassi redundantiam; indicat enim naturam incipere concoquere; quæ turbida mingitur, & post desidet, denotat humorum fermentationem cessare, & quodammodo attenuari ac separationem & secretionem incipere. At quibus turbida mingitur, & turbida manet, qualis est jumentorũ, vigere crasso- *2. Causa urinæ turbulentæ.* *Triplex urina turbulenta est.* *Singularũ causæ.*

rum flatuum & humorum quasi fermentationem, ac in his dolor capitis aut adest aut aderit, ob humorum conturbationem & evaporationem; qui diutius perseverans lethargum, aut alium gravem capitis affectum minatur. Turbida confusa omnium pernitiosissima præcipuè rubra aut citrina in febribus acutis. Nam non modo magnam humorum cruditatem & perturbationem, sed etiam malignitatem arguit viriumque summam debilitatem. Urina clara nisi substantiæ mediocris, fida non semper est, præcipuè tenuis alba, significat enim materiam quæ urinis permiscetur in alium locum ferri, aut obstructione impediri.

3. Vrina copia aut paucitas quid denotat.

Præterea urina bona est, quæ potus proportioni correspondet, quantitateque paulò minor; nimis copiosa mala nisi diebus criticis, ubi robore naturæ causæ morbificæ expelluntur cum tollerantia & conferentia, quod interdum in hydrope & cachexia accidit. Nam designat aut magnam substantiæ corporis aut succorum in venis colliquationem, ut in febribus ardentibus & malignis, aut concoctricis & retentricis ventriculi & jecoris debilitatem, aut in renibus immodicam seri attractionem ex intemperie calida, unde diabetes; aut ventris siccitatem humoribus ad vias urinæ transfluentibus. Pauca verò urina redditur penuria potus usuque alimentorum siccorum, calidorũ, &c. præcipuè debilitata attractrice & expultrice serosi humoris, ob intemperiem aut angustiam renum, vasorumque urinalium, ac etiam jecoris; aut ob immodicam evacuationem per alias vias, ut per alvũ, sudores, &c. aut consumptionem humiditatis à vehemente calore depascente humidum, ut in febribus ardentibus.

4. Odor urinæ quid designat?

Odorem urinæ observare sordidum quidem videtur, non tamen inutile est; Nam urina quasi aqua

qua odore omni carens magnam refrigerationem & cruditatem arguit, ac in acutis morbis nativi caloris extinctionem. Graveolens prorsusque fœtida, nisi fœtorem contraxerit ex qualitate assumptorum, aut ab ulcere & impuritatibus renum, vesicæ, pudendi, putredinem aliquam semper designat, & in febribus acutis pernitiosa est, nisi die critico.

5. Causæ diversitatis colorũ in urinis.

Variæ colorũ differentiæ in urinis procedunt à varietate concoctionum, calorisque in visceribus totoque corpore, & ab alieni humoris permixtione, interdum sequuntur causas externas, ut usum alimentorum aut medicamentorum, quæ urinas tingunt, ac mediam crapulam, vigilias, immodicos labores, omnesque causas calefacientes & refrigerantes; Nam quæ calefaciunt, coloratiores urinas reddunt; quæ refrigerant caloremque nativum debilitant, minus coloratas, &c. Tingitur urina in sanis justa portione ichoris biliosi & sanguinei humoris, seu tenuis bilis flavæ vel rubræ, vel pallidæ, & subflava, aut subruffa seu pallida & citrina efficitur, subflava generatur, non aliter quàm si in aquam puram parum croci aut bilis flavæ injeceris; subruffa, si parum bilis rubræ, aut multum bilis pallidæ; quæ verò bile flava tingitur, magis splendida evadit. Cœteri colores à mediocritate vel deficiunt, ut subspiceus, subalbus, albus; vel excedunt, ut flavus rubeus, viridis, lividus, niger, & sequuntur intemperiem malamque concoctionem viscerum, aut magnam redundantiam serosi humoris alicujus, nimirum sanguinei, biliosi, pituitosi, vel melancholici, aut humoris ipsius permixtionem. Urina quò ad album colorem magis vergit, eò minus bilis tingentis gigni, vel urinis permisceri designat, ac plus seri pituitosi crudique humoris. Nam omnis urina alba aquosa à nimia potus copia oritur, aut magnam facultatis concoctricis imbecillitatem & crudita-

Color in sanorum urinis.

Vrina alba quid indicat.

tem validasque obstructiones arguit; aut tingentis humoris aversionem, quod in febribus ardentibus evenire solet, ubi bilis in cerebrum rapitur seu ascendit, unde phrenitis. Quare in febribus ardentibus urina tenuis, alba clara utplurimùm mortem prænunciat: non enim tollerare possunt vires cerebri debilitatæ à febre bilis acrimoniam. In pueris urinæ aquosæ pessimæ sunt, & in ictero urina alba diu durans hydropen minatur. Urina alba crassa, quo albior eo humoris pituitosi magis crassi permixtionem denotat, ut lactea non pinguis crassa, redundantiam crassæ viscidæ pituitæ; glauca aut charopa, pituitæ mucosæ, qualis interdum pueris calculo laborantibus accidit; alba pinguis, pinguedinis colliquationem & phthisin. Cæteri colores quò ab albo longius recedunt, eò plus humoris tingentis permixtum habent coloremq; intensiorem, ac proinde urina subspicea vel spicea meliorē concoctionem indicat, quam subalba, licet debilem ac calorem temperato vicinum: temperatum verò citrinum, subflava, subrubra, ut diximus. Intemperatum seu calorem immodicè auctum, multumque excrementi biliosi, aut alterius humoris tingentis permixtionem, ruffa, flava & aurea, & crocea, subrubra, rubra, &c. Attamen subruffa aut subflava, si tenuis sit media est inter urinas exactè coctas & crudas. Subrubea, habens hypostasin subrubram, levem salutaris quidem est, sed media inter urinas illas semicoctas & crudas. Ruffa flavaque urina accidit sæpè ob vehemētes labores, inediam, solis æstum ac ebullitionem sanguinis & humorum, &c. subrubra & rubra ob redundantiam serosi sanguinis & biliosorum humorum, subrubra verò si tenuis morbum crudum & periculosum, sin crassa cum simili sedimento longum morbum, sed minimè periculosum ostendit, subrubra in frigidis morbis quandoq; reperitur, aut ex ingenti dolore, ut in colica, aut ob-

Urina subspicea quid.

Ruffa & flava quid significat? Subrubra & rubra.

ſtructione veſiculæ fellis, aut debilitate ſubſtantiæ jecoris, ut in hydrope, ac etiam in hepaticis, in quibus interdum urinæ ſimiles ſunt loturæ carnis recenter mactatæ; aliquando conſequuntur putrefactionem frigidorũ humorũ in venis. In acuto morbo melior ſemper eſt urina rubra, quàm aquoſa, valdè rubra claraq; magnum calorẽ jecoris, febrem ardentem denotat; rubra obſcura craſſa ſanguinis ſanioſi multitudinem aut bilis rubræ aut vitellinæ redundantiam, & in morbis acutis, ſi diu perſeveraverit, mortem minatur; & non raró renum inflammationem; ſi turbida fuerit, talisq; permanſerit hepatis inflammationem, vel ſcirrhum, caloris nativi debilitatem. Tutior ſemper eſt urina ſanguinea, quàm bilioſa ex commotione bilis. Urina valdè rubra ad nigredinem tendens, ſi linteum intinctum colorem citrinum referat & ſpumam citrinam habuerit, icterum ex obſtructione veſiculæ fellis indicat, quæ ſecurior eſt quò urina rubicundior, hydropem verò minatur, ſi ictero manente parum rubra aut alba ſit. Urinæ cruentæ nephreticis frequenter accidunt laxatis ruptis aut eroſis venis in renibus, ac etiam debilitata retentrice & ſecretrice renum, aut expultrice ſtimulata copia ſanguinis. In febribus bonæ ſunt, quæ die critico copioſè minguntur cum tollerantia ægri, fiunt enim vi expultricis, ſeu á robore naturæ ad urinas id quod moleſtum eſt mittente; malæ ſunt ſubtiles, vel fœtidæ, vel paucæ, denotant enim magnã retentricis & ſecretricis renum debilitatem ac ſanguinis non elaborati crudi, tenuis aut corrupti copiam, ob imbecillitatem venoſi generis; quod in febribus ſynochis putridis, malignis quandoq; accidit. Veneta ac praſſea urina ſanguinis aſſationẽ indicat, in febribus ardentib⁹ ſanguinis putreſcentis redundantiam, ac in bilem rubram aduſtam transmutationẽ; poſt praſſeã cæteri colores ſunt in

Vrinæ cruentæ quid?

Veneta & praſſea quid denotat?

Viridis. transitu ad nigrum, & primùm viridis color initium nigri est. Nam si morbus malignus fuerit cum vomitibus, dejectionibus & urinis viridibus, postmodum nigræ superveniunt. Omnis autem urina viridis aut flavæ bilis adustionē, & in viridem conversionem, aut viridis bilis ut prassinæ, eruginosæ, glasteæ in venis redundantiā notat; ejusmodi urinæ si diu perseveraverint cū ingenti ardore, vigiliis, &c. convulsionem ex siccitate, extremumq; periculum minantur.

Veneta & livida quid? Veneta urina humoris melancholici fusionem significat, quæ valdè crassa est, vehementem frigiditatem, ad nigrum colorem vergens nativi caloris extinctionem; idem quoque livida urina indicat, quæ magnæ frigiditatis soboles est, aliquando tamen consequitur plagas & vulnera inflicta.

Vrina nigra duplex. Urina nigra dicitur ratione substantiæ, aut humoris contenti; secundum substantiam propriam, quò urina ad colorem nigrum magis vergit, eò magis pernitiosa est: Nam urina secundum substantiam nigra, aut extinctionem caloris nativi, aut vehementem adustionem designat, eamque præcedit urina, aut livida, aut viridis, rubra, &c. livida autem nigram ex frigiditate & extinctione caloris nativi; viridis verò ex vehementi adustione, ac propter adustionem urina nigra semper fœtida est; ob frigiditatem odoris ferè expers. Pessimæ sunt ejusmodi urinæ, tàm in viris, quàm fœminis, Unde *Gal. lib. 1. de Crisibus cap.12.* neminem se servatum vidisse dicit, qui nigram urinam reddiderit. In febribus acutis pernitiosissimæ sunt, præcipuè si graveolentes fuerint & crassam nigram subsidentiam habuerint. Urina verò nigra non secundum substantiam propriam, sed humoris melancholici permixti, quam nec livida nec viridis præcessit, mala non semper est; interdum salutaris præcipuè, quæ die critico accidit; aut in declinatione febrium quartanarum,

ac ex solutione delirii melancholici cum tollerantia & conferentia ægri :.talem urinam illi utplurimùm mingunt, qui splenem debilem habent, accidit etiam calculosis. Deinde teste Avicenna gravidæ ob detentum sanguinem menstruum urinas impuras nigras reddunt, ad similitudinem vini nigri corrupti. A multa bilis permixtione in ictericis sæpè urina nigra primo intuitu apparet, sed ea ad colorem croceum inclinat & lintea intincta colore citrino tingit. Urina nigra in initio febrium semper mala est, ac in calidis renum & vesicæ affectibus, ac quæ evenit ex corruptione humorũ, ac cum pravis symptomatibus.

6. De urina contentis.

Differẽtia locorum.

Regiones urinæ tres.

Causa hypostasis.

Tandem urina vel contenta habet vel omnibus privata est. Contenta considerantur aut in corpore urinæ aut superficiei. In matula corporis urinæ altitudo dividitur in infimam, mediam, & supremam regionem. In infima regione seu fundo matulæ consistit ὑπόστασις, Latinis subsidentia & sedimentum ; in media quod à Græcis ἐναιώρημα, Latinis sublatio aut suspensum; in suprema νεφέλη, Latinis nubes & nubecula. De hypostasis natura & causis dissentiunt medici ; aliqui reliquias alimenti esse, seu chyli in jecore, quas nequit in sanguinem permutare: Actuarius aliique non pauci reliquias excrementi tertiæ concoctionis, quæ in extremis venis perficitur : Fernelius crassiorem urinæ portionem vi caloris secretam. Valesius generari ut pus; medio motu inter concoctionem & putrefactionem ; quæ quidem ratio in sanis locum habere non videtur. Probabilius enim est sanorum hypostasin, reliquias esse tertiæ concoctionis in venis ; ægrotantium verò ac interdum neutrorũ contenta non naturalia portionem materiæ morbificæ esse, cætera plerumque constare ex reliquiis illis ter-

tiæ concoctionis unitis cum parte materiæ morbificæ, ex quibus oritur ſubſidentia humoralis, &c. Conſiderantur in contentis ſubſtantia, quantitas, color, lenitas & æqualitas & ſitus. In ſanorum urina hypoſtaſis continetur. Optima autem ſanorum hypoſtaſis, eſt mediæ ſubſtantiæ & quantitatis, alba levis æqualis diu durans, &c. ut ſupra diximus.

Conſideranda in contentis. Sanorum hypoſtaſis. In urinis ægrorum optima contenta quæ?

In ægrorum urinis contenta optima ſunt, quæ ſanorum ſimillima; peſſima quæ diſſimillima. Quarè in ægris bonam concoctionem denotat ſubſtantia, alba levis, inæqualis; debiliorem paulo enæorema ſeu ſuſpenſum album, leve, æquale; adhuc debiliorem majoremque cruditatem urina, quæ nubeculam tantùm obtinet: quò vero nebula altiùs pendet, eò longius abeſt ab exquiſita concoctione, niſi interdum in exercitatis & biliofis febribus, ac naturis calidis. Elevant enim ſubſidentiam, ipſamque dividentes uniri non permittunt in profundo, craſſi crudi flatus; igitur quò flatus crudi ex profundo ſubſidentiam bonam magis elevant, eò urinas magis crudas putabis. Verùm in bonis urinis primùm ſupernè nubes apparet, deinde ἐναιώρημα; tandem ubi humores perfectè cocti ſunt laudabilis hypoſtaſis; contra ubi humores valdè crudi ſunt, ſtatim in initio multa materiæ mali coloris copia in fundo ſubſidet: Deinde paulatim incipiente concoctione & attenuatione humorum enæorema conſpicitur, cum amplius concocti & attenuati ſunt, nebula oritur, quæ ſenſim in bonam hypoſtaſin plerumque terminatur. Urina quæ nec ſubſidentiam, ſuſpenſum, aut nebulam habet, deſignat utplurimùm naturam non aggreſſam concoctionem; ſi aliquando habuerit, aliquandò non, pugnam naturæ & morbi. Privatur urina contentis, primùm ob magnam humorum cru-

Cauſa nebulæ aut ſuſpenſi in urinis.

Vrina contentis priuata quid deſignat.

cruditatem, aut corruptionem, ac viſcerum debilitatem, inflammationem, validasque obſtructiones, deinde ob materiæ defectum ex immodicis evacuationibus,&c. adduntur ingentes dolores, vigiliæ, exercitia,&c. In morborũ acutorum initiis & augmento virium debilitatem indicant. In ſanis urina contentis privata diu perſeverans obſtructiones & cruditatem ſignificat & futurum morbum prænunciat; ſi conjuncta ſint cum urina alba, tenui, extremam cruditatem validasque obſtructiones; minores cum urina ſpicea aut citrina; cum rubra aut paſſea magnam humorum putredinem in vaſis argunt. Pauca contenta ob cauſas minores oriuntur, nimirum tardam concoctionem, obſtructiones nimis validas, inediam defectumque alimenti & exercitationes immodicas. Multa contenta à contrariis cauſis fiunt, nimirum à copioſo alimento, & robore virtutis alteratricis, &c. Proinde in febrium initiis & augmentis humorum copiam deſignant, quæ ad concoctionem robore virium & tempore indigent; in vigore & declinatione cum cœteris bonis ſignis ſalutem portendunt: Contenta levia, continua ſibi undiquaque ſimilia bonam concoctionem, contra aſpera, divulſa, debilem indicant: tenuia concoctionis tertiæ debilitatem & humoris crudi attenuationem ac in morbis concoctionis initium: craſſa verò craſſorum humorum ſoboles ſunt, in initiis & incrementis febrium mala, magnam enim humoris crudioris copiam argunt; poſt ſtatum aut declinationem diuturniorum morborum; cum bono urinæ colore & conſiſtentia ſalutem promittunt. Accidit interdum humorem crudum album cum urina excretum ſubſidere, bonæque hypoſtaſis ſpeciem referre; ſimiliter pus excretum ex renibus aut ſupernis partibus. Verùm

Pauca contenta.

Multa.

Contenta levia.

Aſpera.

Tenuia.

Craſſa.

Diſtingue re bonum ſedimentũ ab albo crudo humore & pure.

Verùm crudus humor ſibiipſi non cohæret nec omninò levis,& æqualis eſt, ſed viſcidus mucoſus: pus verò ab albo crudo humore & bona hypoſtaſi diſtinguitur, quòd urina graveolens ſit,& præceſſit abſceſſus in renibus aut in aliqua ſuperna parte,&c.

Contenta colorata quid denotant?

Poſt album cæteri ſubſidentiæ colores à bonitate nonnihil recedunt,ut ſpiceus,&c. Subſidentia ſubflava & flava redundantiam bilis flavæ deſignant: ſubrubra rubraque ſanguinis non exquiſitè cocti abundantiam,rubræque bilis exceſſum; attamen ſubſidentia ſubrubra levis in urina ſubrubrâ mala non eſt, ſed ſecuritatem promittit. Sedimentum cruentum ſanguinis non elaborati multitudinem & virtutis ſecretricis ſeri debilitatem arguit: Venetum,lividum,aut nigrum, caloris nativi extinctionem aut vehementem aduſtionem aut atri humoris permixtionem. Contenta bona, quo magis ſubſident, meliora ſunt,ut diximus; mala contra; quare hypoſtaſis livida aut nigra omnium pernitioſiſſima, minùs pernitioſum enæorema nigrum; adhuc minus nubecula nigra.

De contentis ſpecificis.

De pingui urina, Oleoſa & nō oleoſa.

Sequuntur ſpecifica nonnulla contenta, ac primùm pinguis urina, alia oleoſa eſt, quæ præter ſubſtantiam & colorem oleo ſimilem pinguedinem habet,alia cui citra olei colorem innatat pinguedo. Proficiſcitur iſta pinguedo à magno calore adipem colliquante, vel in renibus, vel ſupernis partibus totoque corpore. Si continuatione confertim in urina pinguedo appareat, & calor plurimus circa renes percipiatur, ſignum eſt ex renum colliquatione oriri, ſin paulatim excernatur, & febris caloręq; plurimus per totum corpus diffuſus ſit, ex pinguedinis totius corporis colliquatione fieri, cujus portio ad renes ſenſim deducitur,& cum urinis miſcetur. Calor autem ſi intendatur,non ſolùm adipem colliquat, ſed etiam carnem viſcerum invadit, ac

tan-

tandem partes spermaticas; dum incipit, adeps eliquatur, & oleosa pinguedo excernitur, interdum innatat quid arenarum telis simile; procedente adipis colliquatione sæpè tota urina quasi oleosa redditur: consumpta pinguedine, caro deinceps liquescit & eruinæ subsidentiæ fiunt, farinæ hordeaceæ similes; si à renibus magis rubræ; tandem consumpta bona carnis parte, calor substantiam partium solidarum invadit, & primùm superficies deraditur, & subsidentiæ lamineæ seu squammeæ fiunt, hinc furfuraceæ, tandemque, postquàm substantiæ profunditatem majorem & longiorem invaserit, his crassiores pultaceæ, accidunt quoque squammeæ & furfuraceæ ex vesicæ affectu. Pultaceæ & furfuraceæ albæ procedunt ex spermaticarũ partium consumptione; rubræ plerumque ex crassi sanguinis adustione; interdum ex vehementi ardore jecoris aut renum in febribus ardentibus. Carunculæ cum urinis excernuntur in magno ulcere renum; ut furfuracea & squammea ob exulcerationem vesicæ. Contenta mucosa laminis & foliis plerumq; similia crassorum viscosorum humorum copiam ex crassis viscidis cibis, designat non raro arthritidem; pilis similia, crassos quoque succos renumq; caliditatem: saniosa, ulcus in viis urinariis. Arenæ subsidentes calculum; non subsidentes & interdum matulæ lateribus adhærentes hepatis calorem, sanguinisque crassi adustionem.

Subsidentia eruina · *Laminea furfuracea.* · *Pultacea.* · *Caruncula.* · *Contenta mucosa.* · *Pili.* · *Contenta saniosa.* · *Arenosa.*

Tandem in urinis consideranda est superficies, ejusque corona, seu linea umbra depicta, quæ ambitum superficiei urinæ claudit; hæc in urinis tantum apparet, si vires ægri humores vicerint, aut ab iis victæ fuerint. Nam ubi humores vitiosi viribus pares sunt, corona in urina non conspicitur; si vincat natura, corona ad laudabilem seu album colorem vergit; sin vincat morbus ad pravum inclinat.

Corona.

nat. Quarè urina rubra cum corona alba, bona existimatur; cũ viridi aut livida, mala. Bullæ quæ in superficie urinæ manent post refrigerationem & quiétem, fiunt à spirituosis vaporibus sursum ascendentibus; minores autem densiores, & quæ non facilè dissolvuntur, & coloris urinæ sunt, à materia crassiore, glutinosiore, crudiore; majores verò quæ facilè discutiũtur, à materia magis tenui; quare bullæ ambitum urinæ seu coronã occupantes, si parvæ densæ fuerint, & colore substantiæ urinæ imbutæ, magnum capitis dolorem denunciant; quò minus albæ eò dolores intensiores: quò albis similiores & à corona versus mediam superficiem concedunt, remissiores; undè bullæ si cum febre in urinæ corona apparuerint, vehementes capitis dolores denotant, verùm graviores cum urina tenui; remissiores cum crassa; si pridem visæ non sint, naturam concoctione indigere. Bullæ per superficiem urinæ palantes, caloris nativi debilitatem flatulentiorumque spirituum copiam, aliquando catarrhum ad pectus denotant, accidunt quandoque in urinis bullæ densiores ob seminis fluxum, ac frigiditatem & angustiam renum. De cæteris judiciis urinarum vide Actuarii libros de urinis *Avic. Fen. lib.1. Gal. cap. 12. lib.1.* de crisibus, &c. Ex his signis non perspecta ægri dispositione, aliisque accidentibus de morbo, morbique eventu temerè pronunciandum non est. Nam in morbis minimè lethalibus urinæ interdum sanorum valdè dissimiles sunt, pessimæque notæ præcipuè instante crisi, aut subitò vi naturæ reseratis obstructionibus, & expulsa parte vitiosæ materiæ cum urinis; contra in morbis lethalibus & extremè pernitiosis ut febribus pestilentialibus & hecticis, non rarò urinæ sanorum similes videntur; quia malũ substantiã cordis occupavit, & ideo tota materia morbifica eo loci conversa est, nihilq; urinis permiscetur.

Bullæ.

DE

DE PRÆSAGIIS IN ÆGRIS, DEQUE SIGNIS prognosticis.

CAPUT VI.

INvento affectu, parteq; affectâ & causis, mox ad *Præsagia* sive *Prognostica* accedere debemus: quâ Medicinæ parte nulla præstantior nullaque difficilior & admirabilior. Nam futura prædicendo in ægris, triplicem usum comparamus: primò, ut ægri majorem fidem nobis adhibeant, faciliùs se concredant & jussis constantissimè pareant, quod eorũ affectiones perspectas nobis esse videant: Deinde perfectiùs curamus; sive enim diætam instituamus, sive medicamenta præscribamus, quàm minimũ delinquemus, si nec præsentia nec futura nos lateant: Tertiò, cum fieri nequeat ut omnes ægri ad sanitatem perducantur, prædictio morituri Medicum à calumniâ & mortis culpâ immunem præstat. Hoc præsagiendi munus omniũ veterum judicio difficilimum est, sed non impossibile: Nam peritus & industrius Medicus non fallitur in prædictionibus, nisi malignitas aliqua subit, aut humores vitiosi in corpore turgeant, quod in morbis acutis interdum accidit, in quibus, authore *Hipp. 2. Aphor. 19.* incertæ sunt prædictiones: deinde cum aliquid peccatum est vel à Medico in curatione; vel ab ægro, qui nõ obsequitur; vel à ministris & astantibus, qui jussa non exequuntur, vel ab externo casu: Nam error interdum motum naturæ impedit, & bona prævisa avertit. Nec enim satis est, authore *Hipp. 1. Aph. 1.* Medicum suum officium fecisse, nisi suum quoq; ægrotus, suum astantes faciant, & externa sint ritè comparata.

Prognosticorum dignitas & usus.

Quare

Quare Medicus certi nihil prædicere poteſt, niſi additâ cautione ut nihil delinquatur.

Præſagitio quid.

Præſagitio, aliâs præcognitio & prænotio, Hippocrati 1. Prognoſt. providentia, nihil aliud Medicis eſt, quàm ſcientia rerum futurarum in humano corpore, per ea quæ manifeſta ſunt. Ex præſagitione prædictio oritur: Nam præſagitio ſive prænotio in mente propriè eſt: Prædictio verò eorum quæ præcognita ſunt per vocem efficitur: Manifeſta autem illa ſigna prognoſtica vocantur, ex quibus prænotio. Res futuræ quæ præcognoſcuntur ſunt, ſtatus futurus corporis; In ægris peculiariter exitus & eventus morbi. Modus præcognoſcendi eſt per demonſtrationem, ut ex ſuperiori diſputatione conſtat, ſi prædictio certis nitatur & non planè conjecturalibus.

Tria præcognoſcenda in ægris.

Nos hoc loco, de præſagiis tantum in ægris, dicemus. In ægris tria potiſſimùm ſunt præcognoſcenda: 1. quò erumpet morbus, an ad ſalutem vel ad mortē, &c. 2. quo tempore potiſſimùm: 3. quisnam erit modus ſalutis vel mortis. Signa ex quibus hæc præcognoſcimus, triplicia potiſſimũ ſunt: primò, ſalutis & mortis: ſecundò, concoctionis & cruditatis: tertiò ſigna decretoria & modi eventus.

Signa prognoſtica unde ſumenda.

Sumuntur autem ſigna prognoſtica non ab effectis, cum effecta futurorum nondum ſint: ſed à cauſis proximis, ſcilicet à morbo & à natura ſeu viribus laborantis, quæ duo inter ſe pugnant; ex quorũ vehementiâ & viribus, utrius ſit futura victoria, deinde quando ſit futura, & quomodo, prævidet Medicus. Quare duo erunt fontes ſignorum prognoſt. dupliciaque ſigna, quorum alia ſumuntur ab ipſo morbo, alia à natura laborantis & ab iis, quæ circa laborantis corpus apparent.

Ac primùm in morbo quinque considerari poterunt. 1. Idea sive species morbi: 2. Magnitudo: 3. Mos: 4. Motus. 5. Eventus sive exitus. Hæc omnia certis signis manifestantur. Nam morbi species dignoscitur, ut supra dictũ est, ex propriis symptomatibus. Magnitudo morbi duplex est: una simpliciter cõsiderata in suâ specie, altera virium comparatione: magnitudo simpliciter considerata ex vehementia & parvitate propriorum symptomatum dignoscitur: magnitudo ad vires comparata ex comparatione virium ægri & morbi dijudicatur, ut ex omnibus sequentibus patebit. Nam ex hac comparatione certa prædicendi ratio desumitur.

Quinque considerãtur in morbo, quæ certis signis manifestantur.

Signa magnitudinis morbi.

Mos morbi, est benignitas vel malignitas; benignitas securitatem, malignitas periculi instantis magnitudinem denunciat: generaliter autem omnis morbus magnus in parte principali, malignus dici solet: propriè tamen malignus est, qui furtim vitæ insidiatur & graviora, quàm pro magnitudine morbi, symptomata habet. An talis sit ex supervenientibus accidentibus æstimatur. Accidentia supervenientia triplicia sunt, quorum primum genus simplex est, & semper idem significat scilicet bonum vel malum, ac propriè morbi morem ostendit: Cætera duo genera idem non semper significant, & critica dicuntur. Nam decretiora signa alia tantum signa sunt futuræ crisis, alia signa simul & causæ ut suo loco dicemus.

Signa moris morbi.

Gal. 3. de Crisib. cap. 4.

Motiones causæ morbificæ tempora morbi à Gal. dicuntur, quæ quatuor sunt: principium, augmentum, status, declinatio, ut alibi dictum est: in quæ tota duratio morbi dividitur. Extremus terminus & meta, ad quam suâ naturâ tendit morbus, est summus vigor, ubi vehementissima est lucta naturæ & morbi, cujus præcognitio Medico planè necessaria est, tàm ad curationem & accommodatam

Signa motus morbi.

victus rationem instituendam, quàm ad salutis & mortis, temporis & modi eventus præsagitionem. Tendit autem morbus ad hunc terminum celeriter vel tardè; motu æquali vel inæquali; constanti & ordinato, vel inconstanti & inordinato; uno continenti motu, vel certis periodis distincto. Celeriter aut tardè ad summum vigorem morbus properare judicatur quatuor modis, ut vult Hippocrates 12. *Aphor. sect.* 1. primò ex ipsa constitutione: deinde, in morbis qui periodos habent, observatione proportionis accessionum inter se; tertiò ex anni tempore. 4. ex signis post apparentibus in excrementis: his addi poterunt laborantis natura, ætas, sexus, victus ratio, consuetudo, juvantia & lædentia ac similia. Sub constitutionibus contineri debent, morbi species, deinde magnitudo & mos, quæ ex propriis & supervenientibus accidentibus designantur, item morbificæ causæ. Ac primùm celeritas tarditasque morbi colligitur ex morbi specie; Nam apoplexia & pestis suâ naturâ citò ad statum deveniunt: secundò ex symptomatum tàm propriorum quàm supervenientium incremento; Nam symptomata cuncta, prout celeriter vel tardè augentur, brevem vel longum morbum declarant, maximè signa concoctionis & cruditatis, quæ morem quoque morbi demonstrant, & post apparentibus annumerantur, sed sub constitutione non propriè continentur: de quibus infrà dicemus. Tertiò ex accessionum natura & partibus, sive cum febre periodos habeant sive sine febre. Nam ubi posterior accessio priori multò longior & vehementior est, citiusque recurrit, velocissimè ad statum tendit; similiter si accessio quævis sua particularia tempora velocissimè & vehementissimè percurrat. Si verò accessio posterior priori brevior & mitior esse inceperit, & insultus tardetur, morborum jam summum

mum vigorem superasse, & ad declinationem tendere declarat. Verùm si morbus periodos non habeat; ex incremento symptomatū motum illius perspicies: Nam si celeriter augeantur, velox illius motus erit, sin diu sibi planè similia videantur, tardissimus. Præterea ex causis: Nam morbi à succis calidis tenuibus celeriter moventur, contrâ à frigidis, crassis, lentis. Similiter ex anni tempore: morbi enim qui æstate incidunt, magnâ ex parte breves sunt, & à biliosis humoribus: contra, qui hyeme. Correspondent anni temporibus regio & locus. Insuper ex naturâ ægri; nam in corpore calido robusto habitus rarioris, morbi citò ad statum deveniunt: contrarium in contrariis naturis evenit. Cum naturâ cōjunge ætatem, sexum, victus rationem, &c. nam in juvenibus victu tenui utentibus morbi citò ad ἀκμὴν deveniunt, contrâ in senibus &c. Præterea ex juvantibus & lædentibus: nam si celeriter suum officium fecerint, morbum celeriter moveri ostendunt; quia acuti morbi commodum aut incommodum celeriter accipiunt. Tandem ex signis post apparentibus in excrementis: quò enim citius excrementa erumpunt, ut sputa in pleuritide, aut signa concoctionis apparent, eo breviorem morbum significant: verùm de his signis infra dicemus. An verò per omnia quatuor tempora morbus æqualiter moveatur, vel inæqualiter: scilicet velociter principium transeat, deindè tardè augeatur, &c. item an constanti ordine & lege moveatur, an inconstanti, veluti sine ordine intermissiones & intensiones subeat; ex incremento & decremento propriorum ac supervenientium accidentium intelligitur, ac ex excrementorum mutationibus. Nam anomali morbi plerunque ex mixtâ materiâ fiunt.

Signa temporũ morbi duplicia.

1. ex incremento symptomatũ.

Tempora morborum dierum numero non definiuntur: Aliquando enim ut in peracutis affectibus, principium sensum fugit, statimque ad ἀκμὴν morbus properat. Cognoscuntur autem morbi tempora duobis modis 1. ex symptomatum incremento 2. ex motione causarum morbificarum. Principium autem morbi judicatur non tempus primi insultus, sed totum illud quo leviora sunt symptomata & morbus nondum sevit: deinde, augmentum est, ubi augentur symptomata propria & nova superveniũt, ac ubi accessionum celeritas, anticipatio & vehementia: summus status cum vehementissimâ luctâ est morbi & naturæ, vehementissimisque symptomatis, ut supra dictum est: Licèt enim morbus salutaris sit, tamen in statu, cum maximus sit naturæ conatus & impetus, quo materiam peccantem vincere & expellere festinat, necesse est ægrum vehementissimè conflictari & gravissima fieri symptomata: Tandem declinatio est quando omnia symptomata se remittunt.

2. ex motionibus causarũ.

Secundo motiones causarum unde discernuntur morbi tempora, oriuntur vel à naturâ, vel ab ipsis causis: natura autem actione suâ materiam morbificam alterando si fieri queat, in benigniorem naturam convertit, quæ concoctio dicitur: Quò verò magis alterat materiam, nisi alteratione illâ continuò absumatur, vehementissima symptomata succedunt, donec ad terminum alterationis pervenerit, sive materia morbifica planè concocta fuerit, ubi declinatio incipit. In talibus autem morbis, principium est, quando causæ adhuc crudæ & parùm, aut nihil mutatæ sunt: augmentum, ubi aliquæ concoctionis notæ apparent: summus status, quando concoctio ad ipsum terminum tendit: post concoctionem succedit declinatio. Verùm accidit interdum in morbis nonnullis, qui conco-

quun-

quuntur, ut ad portionem concoctionis præcedentis materia morbifica absumatur: veluti in pleuritide, synocho παρακμαστικῷ, &c. In talibus ad portionem concoctionis, morbus non augetur, sed unà cum materiâ morbificâ imminuitur: ac proinde ex symptomatibus illorum tempora tantum judicantur. Tandem sine naturæ adminiculo in morbis non rarò motiones ab ipsis causis eveniunt, ob materiæ fluentis copiam, vel malignitatem: ut in scirrho, cancro, gangræna, &c. Hi, ac quoque omnes morbi lethales, declinationem propriè non habent: tempora verò sua sortiuntur ex magnitudine & parvitate causarum, ac intelliguntur ex magnitudine symptomatum tantum, ut suprà dictum est. Eadem penè ratio est in morbis immaterialibus. Quintum & ultimum in morbis est eventus sive exitus, in cujus consideratione tota præsagiorum doctrina propriè consistit: sub eventu comprehendimus tria supra proposita, scilicet qualitatem eventus, an ad vitam vel mortem: deinde tempus; tertiò modum, an paulatim vel subitò, &c. ut suo loco apparebit.

Tempora morborũ lethaliũ.

His demonstratis consequens nunc est, ut de signis agamus, quæ laborantis statum aperiunt, & circa ægri corpus considerantur: quorum plurima ad morbi morem, magnitudinem & motus qualitatem dignoscendam non parum faciunt. Talia signa triplicia videntur: nam alia ad functiones referuntur, alia ad excrementa, nonnulla ad ipsum ægri corpus pertinent.

Signa sumpta à statu laborantis triplicia.

Facultates quibus totum animal gubernantur tres primæ sunt, ut alibi demonstratum est: uniuscujusque robur & debilitas propriis functionibus semper manifestatur: Nam vis vitalis ex pulsu, naturalis ex concoctione & cruditate, animalis ex functionibus sensus & motus, propriè æstimantur. De sin-

Signa roboris & imbecillitatis triũ facultatũ.

singulis paucis dicemus, & quantum instituti ratio exigit. De pulsibus peculiari capite suprà dictum est. Indicant pulsus primùm vitalis facultatis, deinde omnium virium totius corporis robur & debilitatem: Imbecillitatem quoque facultatis vitalis denunciant animi deliquia, quæ si graviora sint, ut quæ syncopas vocamus, summam malignitatem arguunt & grave periculum minantur.

Signa imbecillitatis facultatis animalis.

Secundò facultatis animalis robur & imbecillitas ex singulis sensus motusque functionibus deprehenditur. Nam sensus hebetes subito facti, præcipuè visus & auditus, item torpor extremarum partium, imbecillitatem & perniciosum affectum declarant: idem quoque delirare statim initio, oblivisci, festucas legere, floccos evellere, dolorem non sentire, cibos aversari, in calidis affectibus non sitire, non dormire, aut quasi soporatum jacere, turbari pravis insomniis, &c. Deindè observare oportet virtutem motricem in partibus, an facilè & promptè partes moveantur, an non. Nam magnam debilitatem denotat ægrum in pedes delabi; artus tremere & quasi convelli, ut pollex quasi ad mediam palmam concidat; urinam aut fæces supprimi, vel præter voluntatem erumpere; stridorem dentibus edere præter consuetudinem; os contortum fieri & labia perverti; respirationem eo difficultatis devenisse, ut omnium musculorum genera ad eam perficiendam concurrant; spiritum densum vel magnum; frigidam expirationem per os & nares exire, &c.

Signa virium, à corpore laborantis.

De signis concoctionis infra dicemus, quæ cum signis sumptis ab excrementis concurrunt. Signa quæ à corpore laborantis sumuntur, varia sunt: nam alia sumuntur ex vultu; nonnulla ex oculis; quædam ex decubitu ægri; alia ex hypochondriis aut aliis partibus: qualia sunt quæ ab Hipp. 1. Prognost.

gnoſt. & de Coacis prænotionibus enumerantur. Optimum autem eſt in ægris, vultum, oculos, decubitum, &c. ſanorum ſimilia eſſe, peſſima diſſimilima: quare præter conſuetudinem & ſine evidenti cauſa in vultu peſſima ſigna ſunt: oculi concavi, naſus acutus, collapſa tempora, aures frigidæ contractæ, earumq; extremitates averſæ; cutis frontis dura, circumtenta, arida; color totius faciei pallidus, niger, lividus, aut plumbeus, præter naturam. *à facie.*

Deindè in oculorum conſideratione prava ſigna habentur, ſi lucem fugiãt, involuntariè lachryment, diſtorqueantur, alter altero minor ſit, albæ partes rubentes, venulæ nigræ & lividæ evadant, ſordes circa oculos appareant, inſtabiles, eminentes, vehementerque cavi, ſquallidi, aut obſcuri fiant: lethale admodum, album oculorum præter conſuetudinem apparere commiſſis palpebris; ipſas palpebras contractas, pallidas, aut lividas eſſe; naſum aut labia reſoluta, pendentia, albentia, frigida. *Ab oculis.*

Tertiò ex decubitu ægri: ſigna mala ſunt ſupinum jacere; manus, collum, aut crura extenta habere, aut inæqualiter disjecta; item in ventrem præter conſuetudinem decumbere: lethalia; hianti ore dormire; crura ſupini jacentis incurvata & complicata eſſe: velle ſedere in morbi vigore, maximè in peripneumonicis. Præterea in hypochondriis malum eſt ſi durities dolor aut inflammatio ſit: pejus ſi inflammatio per tota præcordia extenſa ſit, aut dextra parte magis affligat: inſuper ubi ulcera aliqua adſunt, peſſimum eſt, ſi malè colorata, ſi livida aut nigra ſint, aut ulcera ante humida exiccentur: item in quibus puſtulæ, tubercula, & ſimilia apparuerant, ſi repentè deliteſcant. His omnibus pernicioſis ſignis adde molem corporis nimiùm contabuiſſe, initio morbi, citra evacuationem vehe- *à decubitus forma.* *Ab hypochondriis, &c.*

mentem, vigilias, aut similem manifestam causam, interiora corporis exuri, & simul extrema frigida esse; gingivas cruore nigro manantes & nigras; sordes siccas circa dentes esse; linguam planè adustam, fœtorem anhelitus cum magno incendio habere, & similia.

Signa concoctionis & cruditatis.

Ex his signis virium imbecillitas dignoscitur: verùm, ut intelligatur, an natura an morbus dominetur, signa concoctionis & cruditatis observanda erunt: ex quibus quoque robur virtutis naturalis æstimatur. Cognoscitur autem concoctio ex excrementis, quæ quantò sanorum excrementis magis similia sunt, eò meliora judicantur, & meliorem concoctionem arguunt.

Consideranda in excrementis quinq.

Considerantur autem in excrementis quinq;. 1. Notæ cruditatis, concoctionis & pravitatis sive corruptionis: Signa concoctionis semper bonam & stabilem significationem habent: pravitatis semper malam: cruditatis neutram, propriè in initio morbi. 2. An excretio intempestivè contingat: nam tempestiva excretio post concoctionem semper bona; intempestiva, quæ ante concoctionē & vi morbi, sive symptomaticè, mala. 3. An citò appareant excrementa an tardè: nam quando citò apparent, velociter moveri morbum denotant; quando serò; tardius. 4. An constanter unoque modo appareant, an inconstanter: nam quæ crebro mutantur, instabilem significationem habent, quæ constanter permanent, stabilem. 5. Tandem an excretio utilis sit & morbo congrua: Nam non unâ excretione omnes morbi solvuntur, nec unâ excernendi viâ, ut infra apparebit. Omnium excrementorum eadem significatio non est: nam dispositionem universi habitus corporis, sudores arguunt; ventris constitutionem dejectiones: quæ in venis continentur, in hepate, circa renes & vesicam, ex urinis dignoscuntur:

tur: quæ in pectore, ex ſputis: quæ in cerebro, ex iis quæ per os & palatum: quæ in ventriculo, ex iis quæ vomitu rejiciuntur. Eadem in cæteris ratio. Ab his omnibus ſingulisque certa ſigna ſumuntur: potiſſimùm ex colore, odore, quantitate, modo ſubſtantiæ & excretionis: ſemperque ea excretio in ægris optima eſt, quæ ſanorum ſimilima; peſſima maximè contraria.

De ſudore

Ac primùm ſudor in ægris omnium optimus eſt univerſalis, calidus, continuus, oportunè erumpens, ſcilicet apparentibus ſignis concoctionis in die critico, morbo inclinante, cum virium tolerantiâ & robore: peſſimus ſudor eſt diaphoreticus & ſyncopticus, ubi cum ſyncope ſudor frigid⁹ erumpit ex ſubſtantiæ ſolidarum partium diſſolutione, ob caloris nativi exolutionem, Deinde ſudor omnis frigidus aut fœtidus potiſſimùm circa caput & cervicem erumpens: nam ſudor frigidus in acutis mortem denotat, in lentis morbis prolixitatem: fœtidus vero ſudor magnam putredinem: Præterea ſudor intempeſtivè erumpens, ſcil. morbo adhuc crudo & in initio, malus. Nam vitioſorum humorum copiam aut virium imbecillitatem ſignificat. Secundò de urinis & judiciis urinarum ſuperiori capite dictum eſt.

Delectiones alvi.

Tertiò, feces alvi maximè naturales ſunt, molles, conjunctæ, ſine ullâ extranei admiſtione, colore ſubruffo, quantitate cibis proportionata, odore nec nimis fœtido nec omnis fœtoris experte, qualitate non nimis acri, & quæ facilè ſine dolore, labore & ſtrepitu vehementi exeunt, idque horâ ſolitâ. Quæ ab his notis longius recedunt deteriores ſemper ſunt. Nam malæ judicantur & inconcoctæ, tenues, & aquoſæ; niſi à cibis aut medicamentis, aut tempore criſis: ſimiliter albæ, quæ ciborum ſervant qualitatem: malæ quoque ruffæ, quia ex bilis

confluxione in ventrem: item, pallidæ, ſpumoſæ: pejores purulentæ, ramentoſæ, cruentæ, niſi ex hæmorrhoidibus, aut ubi lividum quid in fecibus apparet. Pernicioſæ ſunt virides, & lividæ, nigræ; niſi à cibis, aut in criſi: item viſcoſæ & pingues; Nam colliquationem ſignificant: Præterea cum tetrum odorem ſpirant, cum pernicioſo colore; ſignificant enim vehementem putrefactionem. Peſſima quoque pernicioſorum colorum in fecibus magna varietas: quia indicant corpus variis pernicioſis affectibus detineri. Vermes die critico ſi fecibus permiſceantur bonum: malum ſi initio morbi appareant: pernicioſum in acutis affectibus ſi mortui exeunt, aut per ſe ſine fecibus.

De vomitu. Quartò, quæ vomitu ejiciuntur conſtitutionem ventriculi & vicinarum partium indicant: utiliſſimus autem vomitus eſt, non nimis copioſus, ex bile & pituitâ permiſtus: malus, humoris alicujus ſinceri: pejor, ſi id quod vomitu rejicitur, ſit coloris pravi, ſcil. porracei, lividi, aut nigri; niſi vitio ciborum: magis pernicioſum ſi omnes hos colores habuerit: lethale, ſi colores lividi aut nigri, & ſimul tetri odoris fuerint. In principiis verò morborum ſi bilis nigra ſupra vel infra exierit, lethale.

De Sputis. Quintò, in pectoris & pulmonis vitiis ſputa conſiderare oportet. Optima autem judicantur lævia, æquali conſiſtentiâ, non nimis tenuia aut craſſa, quibus flava albo benè permixta ſunt, & talia quæ facilè & citò expuuntur. Mala & cruda ſunt tenuia, ubi nihil expuitur, & craſſa, lenta, quæ tenaciter adhærent: mala quoq; ſincere flava: item alba, viſcoſa, rotunda, pallida, ſpumoſa: pejora multò, viridia, cerulea, nigra, permiſta vel impermiſta: item ſi nihil ſputi rejiciatur, ſed plenius in gutture ferveat.

Sextò, emuncta è naribus & excreta è palato cerebri diſpoſitionem aperiunt: Bona ſunt, colore albo,

albo, benè permixtò, & substantiâ mediocri: ac quæ facilè citióve excernuntur, sine ulla mordacitate. Mala itaq; tenuia, acria, viscosa: pessima, vitioso colore infecta maleque olentia nisi ex ulcere narium: lethale guttam sanguinis nigri è naribus stillare, in acutis die quarto. Pari ratione cæteræ partes affectæ sua excrementa emittunt, quæ concoctionem, cruditatem, aut perniciem significant. In omnibus id commune est, partis affectum nō sanari, prinsquàm in superfluitatibus, quas emittit, signa concoctionis appareant: Deindè superfluitates sive bonæ sive malæ, quò citiùs apparent, eò velociùs morbum moveri: quò seriùs, eò tardiùs: Quare ubi signa concoctionis citò apparent, salutarem & celerem affectus solutionem, quò seriùs eò tardiorem: At excrementa planè cruda & corrupta, crisis defectum, laborem, recidivas, vel mortem significant.

De iis quæ per nares & palatū excernuntur.

EX SIGNIS PROGNOSTICIS QUA RATIONE IN ægris prædicere queamus salutem aut mortem.

CAPUT VII.

HÆc est vis signorum omnium, unde vires ægri & morbi æstimantur: ex quarum cognitione omnis morbi eventus præcognoscitur: Nam quæ futurum eventum propriè denunciant, ea propriè ab his duabus causis sumuntur: deindè differentia, tempus & modus eventus ab iisdem signis demonstrantur, à quibus eventus. Verùm cum morbo morbi causas & symptomata cōjungere debemus, & cum naturâ omnia auxilia naturalia & artificialia; posteà perpendere, utræ

Quæ observanda sunt in cōparatione virium ægri et morbi.

utræ vires ſint majores. Sub cauſis morbificis omnia lædentia comprehendimus : ſub auxiliis verò omnia juvantia, ſcil. medicamenta & ſimilia. Quare ſex res non naturales; aër, cibus, potus, &c. item, ſexus, ætas, conſuetudo, &c. quatenns pro viribus contra morbum pugnant, auxiliis annumerantur: quatenus morbum fovent, cauſis morbificis.

Officium medici. Medici autem officium erit, vires partium primùm conferre, & æſtimare, ac obſervare an ipſa natura per ſe valeat morbum ſuperare : ſi non, an auxiliariis copiis & Medicinâ ei ſubvenire queat, ut impetus & vehementia morbi reprimatur; an non queat: ſi queat, Medici erit ut in cunctas occaſiones intentus ſit: ſcil. diligenter obſervet, ubi & quando natura certis propoſitis ſignis Medicum in auxilium vocet: Deindè quomodo ſubveniendum ſit: nam Medicus miniſter naturæ, vires motumq; naturæ attentè obſervare, & ſine ſignis, aut ductu naturæ contra morbum pugnare non debet. Proindè militaris prudentia & diſciplina hîc elucet; Quemadmodum enim in bello, duce proſtrato cæſiſq; omnibus aliis copiis, fruſtra nudis auxiliis pro ſalute ducis certatur, ita in morbis, proſtratis viribus ægri violentiâ morbi, fruſtra medicina paratur. Deindè, ut militum non eſt pro lubitu quocunque loco & tempore hoſtem aggredi, ſed Imperatoris ductu & arbitrio, arreptâ oportunâ occaſione datoque ſigno : ita nec Medici ſine ullo naturæ ductu quicquam contra morbum moliri, ſed occaſiones ſemper expectare : ſcilicet, quando natura propoſitis ſignis Medicum in auxilium vocet. Quomodo autem & quando ſubvenire debeat, in Therapeuticis dicemus.

Delectus ſignorum. Verùm in conſideratione ſignorum, ubi temerè & præter rationem bona apparent, non fidendum, neque ubi mala deſperandum. Deindè in di-

verſitate

versitate signorum videndum diligenter, quantum alia aliis antecedant aut præstent: Antecedere autem dicuntur alia aliis tripliciter. 1. numero. 2. magnitudine. 3. dignitate: Numerus autem signorum, quæ robur aut imbecillitatem naturæ declarant, licèt certus non sit, tamen aliquo modo colligitur ex supra dictis. Verùm in prognosticis numeri non magna est ratio: Nam plura debilia paucis fortioribus non semper sunt potiora: quare uniuscujusque signi facultates exquisitè considerare oportet ex sui magnitudine & præstantiâ. Magnitudo signi cujusque percipitur, ubi comparatur cum aliis ejusdem generis: semperque robur naturæ arguunt, quæ similima sunt iis, quæ naturaliter apparere solent: imbecillitatem verò, quæ dissimilia. Dignitas omnium signorum, tàm malorum, quàm bonorum ad vitam refertur: semperq; dignissima & præcipua dicuntur, quæ robur aut debilitatem virtutis vitalis declarant: deindè, in signis bonis, quæ naturalem virtutem satis validam, in signis malis, quæ animalem facultatem vehementer debilitatam significant: Nam ubi vires animales suo munere fungi, & musculos thoracis movere nequeunt, respiratio impeditur & vita tollitur: quod adeò citò non evenit, ubi naturalis facultas vehementer debilitata est: nihilominus in omnibus morbis, qui vitio humorum fiunt; concoctio, sive robur naturalis virtutis, præcipuum maximeq; salutare signum est.

Comparatio signorum ratione.

His præmissis consequens est, ut ex comparatione virium, morbi, & naturæ, tria illa supra proposita ordine prænoscamus, initio facto ab exitu sive eventu morbi, an ad salutem vel ad mortem. Præcognoscimus autem exitum morbi potissimùm ex morbi specie, magnitudine, motu, & more, factâ comparatione cum viribus ægri, de quorum signis supra dictum est. Nam primò si speciem morbi

Quomodo salutẽ aut mortem prædicere licet?

morbi ſpectes, invenies nonnullos ſuâ naturâ lethales & deſperatos eſſe: ut conſummata tabes, vulnera cordis, præcipuorũ viſcerum: aliquos magnâ ex parte lethales & periculoſiſſimos, ut apoplexia, peſtis: quoſdam periculoſos tantum ut febris ardens: aliquos ſalutares eſſe, qui omni periculo carent, ut tertiana pura intermittens. Sin morem & magnitudinem morbi conſideres, reperies morbos quoſdam, qui ſuâ naturâ periculum non afferunt, aut lethales magnâ ex parte non ſunt; ob malignitatem & magnitudinem, magnum periculum & aliquando mortem inducere: deindè quoſdam morbos ſuâ naturâ periculoſos, quia parvi ſunt & malignitate carent, ſine periculo eſſe. Præterea periculum auget vel minuit morbi longitudo præcipuè in acutis, quare cum viribus morbi conjungenda eſt longitudo morbi ſive tempus ſtatus. Nihil autem Medicos magis turbat, quàm morbi malignitas. Nam maligni morbi placidi & benigni videntur, adeò interdum, ut, apparentibus ſignis quibuſdam concoctionis, aut ſalutis, præter expectationem ægrum ſubitò interficiant: Verùm hos detegit aliqua principum partium læſio, quæ ex pravo pulſu, vitioſa reſpiratione, animi deliquiis, turbulentis inſomniis, & ſimilibus dignoſcitur. Ante omnia autem cavendũ eſt, ne ſymptomata critica nos imprudentes terreant, aut cum ſignis malignis confundantur. Deindè ne complexũ morbum pro ſimplici habeamus: nam ſimplex morbus propriis ſignis ſtatim in initio cognoſcitur, complexus non item, propter ſignorum varietatem. Proindè propria cujusq; affectus ſigna diſcernenda erunt & inter ſe conferenda, nunquam autem confundenda. Nam interdum unius morbi ratione ſigna quædam concoctionis aut ſalutis apparere ſolent, cum tamen alterius morbi violentiâ æger ex inſperato moriatur.

Cum

Comparatio viriũ ægri & morbi.

Cum his signis conferenda sunt illa, quæ ab ægro & viribus ægri sumuntur: de quibus supra. Nam pugnat morbus cum viribus ægri, & periculi magnitudo semper augetur vel imminuitur pro virium debilitate & robore: Nam morbi qui magnâ ex parte lethales dicuntur, ex virium robore periculosi tantum evadunt: è contrà qui tantum periculosi, ex virium debilitate lethales. Vires hîc intelligo omnes tres, quibus animal gubernatur; quarum dignissimæ sunt vitales, ut supra dictum est. Comparantur quoq; signa cruditatis cum viribus; tantoq; morb⁹ periculosior æstimatur, quantò cruditas major est in comparatione ad vires: planeque lethalis, si ipse morbus unâ acutus fuerit: nam causæ morbificæ ob cruditatem citò vinci nequeunt, & vires, licet robustæ, vehementiam morbi illius acuti non diu sustinent: morbus enim qui ab humore oritur, ante concoctionem legitimè nunquam solvitur.

Prædictio salutis & mortis.

Adjungenda est viribus morbi status præcognitio, & hæc duo potissimum cum ægri viribus conferenda: unde non difficile erit prævidere exitum morbi. Quemadmodum enim cognosci nequit, an oneri portando aliquis sufficiat: nisi vires portantis, oneris magnitudo, & itineris longitudo fuerit prius perspecta, ita in ægris eventus morbi prædici nequit, nisi vires ægri, vis morbi, & tempus status sive longitudo morbi præcognoscatur: Correspondent enim vires ægri, viribus portantis; morbus, oneri; tempus status, itineris longitudini. Quare liberabitur æger si vires tam validæ fuerint, ut ad extremum usq; statum, morbum sustinere & superare queant: morietur si vires debiles, morbus magnus & malignus sit, sine ullis aut min⁹ manifestis signis concoctionis.

Ex his non difficilè erit prævidere exitum morbi,

In quibus incerta prædictio.

bi, scil. an ad salutem vel mortem tendat. Aliquando tamen dubia & incerta spes est: Nam ubi bona malis æqualia sunt, incertum est utrius sit futura victoria: donec alterius vis prævaleat, & victoriæ suæ evidentiora signa ostendat. Incerta quoq; spes est in morbis malignis, licèt vires sint robustæ: ac in iis, qui fiunt ab humoribus turgentibus, id est temerè vagantibus, nullamq; certam sedem obtinentibus: item à causis ignotis. Prætereà in morbis, qui motus incertos & inconstantes habent: Nam in his natura ex se constanti modo non movetur: sed morbi proritatione: Unde lethales plerunque evadunt. Quare in talibus non statim de eventu morbi pronunciandum: sed aliquandiu cunctandum, donec satis manifesta victoriæ signa appareant. Nam quæ initio morbi obscura fuerunt, tempore patefiunt: veluti in febribus acutis, quando primo die ignoramus eventum morbi, diem quartum aut septimum expectamus, qui tandem quid eventurum sit, denunciat.

DE CRISIBUS ET DIEBUS DECRETORIIS.

CAPUT VIII.

Modus eventus morbi ad salutem vel mortẽ quotuplex?

DE Signis prognosticis deq; eventu morbi ad salutem vel mortem supra dictum est: consequens est, ut de modo & tempore illius eventus nunc agamus. Ac primum modus eventus in morbis est subitò vel paulatim: Paulatim morbi salutares alteratione aut concoctione solvuntur; lethales consumptione, calorisque nativi extinctione sensim ad mortem tendunt. Subitus verò eventus, vel cum pugna natu-

ræ & morbi eſt, & materiæ morbificæ ſecretione, vel ſine pugna: Subita mutatio quæ cum pugna, ſive ſalutaris ſive perniciosa, criſis communiter vocatur: ſubita verò mutatio ſine pugna, oritur, quia natura repugnare nequit, ſed planè ſuccumbit, unde non criſis, ſed dubitus interitus dicitur. Talis accidit non raro in principiis acceſſionum ex magnis inflammationibus, quæ partes principales occuparunt, vel ob humorum craſſitudinem, tenacitatem, & copiam intrò confluentium, à quibus meatus ſpirituum obſtruuntur, & calor naturalis non aliter ſuffocatur, quàm flamma injecto acervo viridium lignorum. Deinde evenit aliquando mors ſubitò in morbi vigore, natura oppreſſa à morbo. Tertiò in declinatione, idq; particularium acceſſionum tantum, ex ſoluto vitali robore, non autem in declinatione univerſali, ut poſt apparebit.

Criſis vocabulum aliqui ἀπὸ τοῦ κρίνειν vel ἐκκρίνειν ſcilicet ſecretione vel excretione deducunt: nam in omni criſi humorum ſecretio requiritur, in perfecta criſi excretio. *Galenus 3. de Criſibus c. 2.* non à medicis ſed à plebejis primum inventum eſſe dicit; & 3. Prognoſt. à foro translatum, (ubi reus ab actore in judicium raptus ſe defendit, omniumq; ſententiis abſolvitur, vel in defenſione ſuccumbit & damnatur) ad medicam conſiderationem in lucta morbi & naturæ; unde pleriq; criſin non ineptè judicium vertunt, licèt nonnulli certamen malint. Nam ut in foro pronunciata ſententia ceſſat altercatio, ita in criſi poſt ſeparationem & excretionem ceſſat pugna & certamen, ſolviturque morbus. *De Criſibus.*

Sumitur nomen criſis ab Hippocrate & Galen. pluribus modis: nam interdum pro quavis morbi mutatione; aliquando pro quavis morbi ſolutione accipitur; ſæpè pro perturbatione & agitatione, *Criſis quot modis ſumitur.*

quæ ſubitam morbi mutationem præcedit: propriè pro ſubita mutatione in morbis ad ſalutē vel mortem, cum pugna & perturbatione. Mutatio autem illa quadruplex eſt, vel immediatè ad ſalutem, vel immediatè ad mortem, vel ad ſtatum meliorem, vel ad ſtatum deteriorem; quare criſis quadruplex erit, verùm illa per excellentiam abſolutè & ſine adjectione, aliquando optima criſis, & criſis propriiſſimè dicitur, quæ ad ſalutem ducit: quæ verò ad mortem, criſis ſimpliciter mala; reliquæ duæ criſes imperfectæ: ſed quæ ad ſtatum meliorem criſis bona imperfecta, quæ ad deteriorem, criſis mala imperfecta. Quare in morbis ſeptem mutationes eveniunt, tres ad ſalutem, quatuor ad mortem. *Galen. 3. de Criſib. cap. 7.*

Definitio criſis perfectæ. Abſoluta criſis, norma cæterarum, propriè definitur, ſubita mutatio ad ſalutem cum pugna & perturbatione, facta die critico bono in ſtatu, à naturali virtute, univerſam materiam morbificam vincente, & expellente.

Quinq; requiſita in criſi perfecta. Requiruntur in optima criſi quinque 1. ut ſit perfecta & ſalutaris; deinde ut fida, 3 ut tuta, 4. ut ſubita excretione potiùs, quàm translatione fiat 5. ut prius judicata ſit, & die decretorio bono eveniat. Salutaris autem criſis dicitur, quæ ægrum à morbo planè liberat: Fida, quando certa ſalus ſuccedit, & nihil cauſæ morbificæ relinquitur, unde recidiva; ſed quæ totam materiam vincat & expellat: Tuta vocatur, ubi omni periculo caret: nam accidit quandoque ut criſis ad ſalutem terminetur, cum tamen ob gravia ſymptomata, periculoſa, minusque tuta judicetur. Verùm ſymptomata illa ſigni rationem tantum habent, & perturbationem faciunt.

Signa critica duplicia. Nam duplicia ſunt ſigna, quæ à Galen. critica dicuntur, alia tantum ſigna, à quibus perturbatio incipit; alia ſimul cauſæ & ſigna, ſcilicet, materiæ expulſio

pulſio

pulsio aut translatio; præcedit semper perturbatio ex lucta naturæ & morbi, subsequitur expulsio & translatio. Signa tantum sunt, deliria, graves somni, difficultates anhelitus, vertigo, dolor capitis, colli, stomachi, & similium, vehemens rigor, vani splendores ante oculos, tinnitus aurium, æstus, sitis, urinæ retentio, &c. Signa simul & causæ sunt, repentinæ in morbis expulsiones, aut translationes, quæ perturbationi succedunt, scilicet subita copiosaque ventris solutio, urinæ excretio, copiosus sudor, sanguinis profluvium, parotides, defluxus, & similia. Adduntur his signa consequentia crisin, de quibus infra.

Causa crisis. Causa efficiens crisis est natura, quæ cum morbo pugnat. Vocabulo quidem naturæ intelliguntur omnes vires, quibus animal regitur: verùm cum expulsio translatioque materiæ peccantis, naturali facultati propriè tribuatur, erit naturalis facultas proxima & immediata causa crisis. Utitur autem naturalis vis in morbo omnibus quatuor facultatibus, sed in crisi primariò expultrice, deinde concoctrice. Proinde principalis causa crisis erit natura, quatenus munus expellendi exercet. Verùm hoc suum munus natura oportunè exercere nequit, nisi materia cocta aut superata sit: quare optima crisis evenit in fine vigoris, quando concoctio viget; quæ verò vigoris temp⁹ magis antevertit, eò semper deterior erit, nam à morbo non perfectè liberat. Crisis ad mortem summum vigorem nunquam superat, ac plerumq; in augmento contingit.

Crisis differentia. Ex pugna naturæ & morbi sequitur materiæ morbificæ excretio vel translatio, unde crisis duplex: alia per excretionem sive evacuationem extra corpus; alia per translationē sive transmissionem à parte affecta ad partem debiliorem & ignobiliorem. Excretio semper manifesta est, nisi in pueris, in

quibus aliquando per longos somnos materia concoquitur & dissolvitur, ac per insensibilem evacuationem dissipatur: semper autem excretio materiæ morbificæ si perfecta, optima est, & melior, quàm translatio.

Observanda in crisi

In excretione & translatione observare oportet quæ, qualia, quanta, qua via & modo humores exeant, & an morbo & naturæ conveniant: nam si materia morbifica excernatur, solvitur morbus, sin aliud, non item. Deinde, ubi parum excernitur, recidiva metuenda est; ubi nimiũ, viribus metuendum: præterea, quò qualitas perniciosior, eò periculosiorem minusque bonam crisin arguit. Tandem modus excretionis & natura, morbo partique affectæ congruere debet: semperque locus unde bona excretio, è directo partis affectæ esse oportet; tempus excretionis post concoctiones die bono critico, ut infra apparebit. Translatione materiæ morbificæ ad partes debiliores & exteriores potissimum, morbi judicantur, verùm ægri non absolutè sed quasi novo interveniẽte morbo, liberantur; quare translatione crisis propriissimè dicta non fit. Solvit translatio perfectè morbum, si oportuno tempore & loco, ac debita quantitate à natura fiat, & materia omni malignitate careat, ut latius infra dicemus. In pugna naturæ & morbi virtus bellica conspicitur. Ut enim prudens imperator in pugnam spontè non descendit, nisi oblata occasione, ita natura, nisi violenter cogatur quocunque morbi tempore non aggreditur morbum, nec ad expulsionem causæ morbificæ statim properat, sed exspectata tantum concoctione, quæ pro conditione humoris peccantis, constitutione corporum, &c. citiùs & tardiùs fit, unde morbi alii citiùs alii tardiùs judicantur.

Verùm non quovis die crises bonæ incidunt, sed

De diebus criticis.

ſed certis tantum, ut longa experientia docuit, in quibus ſeptenarii & quaternarii ordo potiſſimũ obſervatur, quo determinato motu natura munia ſua exſequitur: nam natura ſeptenario numero gaudet. & ſeptimo menſe fœtus vitales edit, ſeptimo ætatis anno dentes generantur; decimo quarto menſes potiſſimum erumpunt, &c. Dierum criticorum non eadem dignitas aut vis, verùm illi optimi æſtimantur, quibus plurimæ criſes optimæ incidunt, nimirum, perfectæ, fidæ, tutæ, antea indicatæ, cum ſubita excretione potiùs, quàm abſceſſu: Deinde, qui nõ adeò magnum apparatum in corpore requirunt, id eſt, non magnum robur virium, & omnia adeò expedita: talis intra 20. diem, primũ eſt dies 7. deinde 14. hinc. 9. 11. mox 17. 3. 5. & 4. tandem 18. E converſò, intra viceſimum diem, periculoſiſſimus & naturæ maximè contrarius eſt 6. qui à Galeno tyranno comparatur, quod vel interficiat vel difficilimas criſes faciat, licèt nonnulli criticum eſſe cenſeãt in morbis ſanguineis, hinc ſequitur 8 & 10. deinde 12. 16. 19. At 13. & 15. indifferens eſt nec planè bonus, nec omninò malus. Poſt 20. diem, ad 40. quia criſes de vehementia ſua plurimum remittunt, rariusque incidunt, aut imperfectæ ſunt, pauciores dies critici numerantur, in quo ordine primus eſt 27. 34. & 40. hinc 21. 24. 31. 37. Poſt quadrageſimum verò, quia morbi abſoluta criſi nõ terminantur ſed abſceſſibus vel ſimplici ſolutione, dies omnes medios ad 60. usque Hippocrates neglexit: huic 80. ſubjungit, deinde 100. 120. poſt hos, alios morbos ſeptem menſibus, alios ſeptem annis judicari, eandemque in menſibus, quam in annis rationem Galenus ſtatuit. Verùm ut bonus imperator, pugnaturus cum hoſte, primò diem pugnæ præfinit, quo omnes auxiliariæ copiæ coëant, deinde, arrepta occaſione, datoque ſigno milites ad

pugnam vocat, hostemq; subitò opprimit: ita natura ante pugnam diem crisis præfigit, certamq; futuræ crisis notam ostendit, quò Medicus omnibus auxiliariis copiis die critico accurrat, & naturæ laboranti, quantum fieri queat, subveniat.

Dies indices. Dies illi indices & contemplatorii vocantur, quia in iis contemplari & prævidere possimus, quæ futura sunt sequenti die critico. Nam dies indices propriè sunt, qui vim habent peculiarem denunciandi crisin aut motum aliquem criticum, sequenti die critico: Habent enim dies critici suos indices antecedentes, sed critici integris septimanis magis definiuntur: indices, mediis septimanis; nam cuilibet septimanæ duo quaternarii tribuuntur, ita tamen, ut 8. dies initium sit tertii quaternarii, sive secundæ septimanæ, 14. dies, finis secundæ septimanæ, initium tertiæ septimanæ; 20. finis tertiæ; 21. initium quartæ, &c. ac quaternarius primus cujusque septimanæ sit semper index septimanæ. Quare quartus dies index est septimi; 11. decimi quarti; 17. index vigesim; vigesimus quartus, index vigesimi septimi, &c. Attamen indices non rarò critici sunt, veluti, in exquisitè peracutis affectibus, quartus interdum criticus est; sæpius 3. vel 5. Item 11. die ut dictum est, non pauci judicantur; quare tàm indices, quàm critici communi nomine critici dicuntur; nam indices critici esse possunt, & critici indices. Præterea, dies intermedii, qui intercidentes vocantur, scilicet sextus. 8. 10. 12 &c. aliquando indicant, sed rarissimè, quia ob violentiam aut errorem aliquem natura cogitur inordinatè movere, unde dies Provocatorii vocantur, malique critici.

Ratio numerandi criticos. Ratio numerandi dies criticos juxta Galenum est, ut processus per septimanas fiat; sed non vulgari modo, nam prima & secunda septimana, à novo prin-

principio incipit, tertia ab ultimo die secundæ septimanæ; ita ultimus dies tertiæ septimanæ, scil. 20. propriè criticus est, & magis quàm 21. ut Galenus experientia & ratione ostendere conatur.

Nam in confesso est, eum diem magis criticum esse, quo natura aptior est ad pugnam, talem esse vicesimum magis, quàm vigesimum primum experientia constat. Deinde ratio numerandi, ducta est à mense medico, sive critico, qui authore Galeno, componitur ex mense periodico 27. dierũ. 8. horarum: & Apparitionis 26. dierum. 12. horarũ: utriusque dimidium, scilicet 26. dies, 22. horæ, à Galeno mensis medicus, & Criticus vocatur, ejusque pars quarta, 6. dies, 17. horæ cum semisse, prima septimana critica: ejusdem semissis, scilicet, tredecim dies, 11. horæ, septimana secunda: tres quartæ, id est, dies 20. horæ 4. cum semisse, septimana tertia; qui numerus horarum magis 20. quàm 21. congruit: igitur 20. magis criticus erit. *Mensis medicus Galeno.*

Verùm mensis ille medicus Galeni, commentitius planè videtur: deinde, mensis apparitionis, nunc major, nunc minor est: præterea, qua ratione. 20. dies magis criticus est, quàm 21. eadem 13. magis quodammodo erit, quàm 14. Nihilominus dierum criticorum constans & ordinata ratio, à cœlestibus revolutionibus dependere videtur, licet ipsa crisis à natura immediatè fiat, quæ motum cœlestium, quantum fieri queat imitatur, & à cœlestibus dirigitur. Nam constans vicissitudo & mutationis ordo, in omnibus corporibus sublunaribus, aliunde non dependet, quàm à constanti vicissitudine cœlestium motuum: talis authore Galeno, in morbis primariò est motus Lunæ & Solis. Deinde, cæterarum stellarum: breves enim morbi teste Galen. 3. de Diebus Decret. motu Lunæ reguntur, longi motu Solis. Deinde alienum à ratione non est, in morbis *Causæ dierum criticorum.*

acutis dies criticos à menſe Lunæ periodico dependere. Nam experientia conſtat & Aſtrologi teſtantur, Lunam motu proprio inſignes quaſdam mutationes excitare in iis locis Zodiaci, quæ locum, in quo Luna fuit initio morbi, quadrato & oppoſito radio intuentur. Eſt autem menſis medius periodicus, 27. dierum, 7. horarum, 27. minutorũ; quarta ſive prima ſeptimana, 6. dierum, 19 horarum, 55. minutorum: ſecunda ſeptimana, 13. dierum, 15. horarum, 51. minutorum: tertia ſeptimana, 20. dierum, 11. horarum, 45. minutorum. Hoc modo 14. dies magis criticus erit, quàm 13. Sed 21 penè tam criticus, quàm 20. Verùm apparens motus Lunæ, nunc tardior, nunc velocior eſt, unde credibile non eſt criſes ſtato temporis intervallo, aut præciſo horarum numero, accidere, ſed lata determinatione, die 7. 14. 20. ut ipſe *Hipp lib. 6.* Epidem: innuere videtur, ubi dierum numero præpoſitionem circa addit, ſcilicet circa 20. circa 40. &c.

Dierum criticorũ cauſæ.

Fit quidem criſis ut ſupra dictum eſt, immediatè à naturali facultate, ſed tempus criſis dupliciter variatur: primò à cauſis ſuperioribus, deinde inferioribus; Cauſæ inferiores præcipuè ſunt facultatis robur & imbecillitas; deinde materiæ aptitudo vel ineptitudo ad motum. Nam pituita ſingulis diebus, bilis tertio die, melancholia quarto die movetur. Semper autem quo virtus validior & materia morbifica melius diſpoſita eſt ad motum, eò promptius movetur. Superiores cauſæ ut jam dictum eſt, ſunt motus & poſitus cœleſtium corporũ, præcipuè Lunæ in morbis acutis: quare conſtans viciſſitudo & ordinata ratio dierum criticorum à Lunæ motu proprio dependet. Verùm criſis una aut altera hora nunquam incipit & deſinit, raró uno eodemq́ue die, interdum ad plures dies extenditur: quare ſatius videtur, diem 20. aut 40. criticum vo-

care,

care', quia circa 20 aut 40. incidit, aut quia perturbatio 20. incidit, crisis verò 21. desinit: nam tota duratio perturbationis, pugnæ, & excretionis tempus, crisis plerumque dicitur;

Aliqui tamen his causis rejectis ad numeri dignitatem confugiunt, cujus per se nulla est efficacia: Quidam ad sympathiam naturæ nostræ, cum quaternario & septenario numero, quæ occulta est: nonnulli ad institutionem DEI in creatione mundi, septimique diei benedictionem, quem tamen propter lapsum primorum parentum non totum benedictum, sed ultima sui parte maledictum esse arbitrantur. Sed ita septimana illa Galeni non constabit, nec 20. dies criticus erit, nam in sacris vespera & mane est dies unus, & initium diei semper ab occasu: at incipiendo ab occasu completur septimana illa Galeni, ex 6. diebus, 17 horis cum dimidia paulò ante meridiem, maledictio verò incidit die inclinante, quare hæc ratio non congruit. *Opiniones medicorũ de causa, dierũ criticorum.*

Francastorius humori melancholico tribuit vim criticam, quia omnium ultimo mouetur, ac propriè quarto quovis die: cum tamen multis morbis crises debeantur, quorum materia extra venas est, & cum melancholia cognationem nullam habent. Deinde necesse non est, uno humore putrescente, cæteros labem contrahere; nec si melancholia ex aliis labem contrahit, vim habere significandi stabilitatem, aut instabilitatem. Nam vis critica diebus aut numeró dierum non tribuitur, sed tantum significatio stabilitatis, aut instabilitatis, an secundum naturam, an præter naturam eveniant. *Francastorii.*

Averrhoës arbitratur, totam hanc dierum criticorum rationem dependere à proportione naturæ agentis & morbi resistentis: verùm, cum proportio illa varia sit, inde certa numerandi ratio, sumi nequit; nec sciri poterit, cur crisis septimo die melior & tutior sit, quàm 6. aut 8. *Averrhois opinio.*

In

Ratio numerandi tempora critica.

In morbis continuis dies tantum numerantur, in intermittentibus, pro diebus numerus accessionum: ut enim tertiana continua septimum diem criticum habet, ita tertiana intermittens septimum circuitum. Initium numerationis fieri debet ab eo die, in quo actio ægri manifestè læsa conspicitur illius morbi ratione: Verùm in puerperiis, si non longè à partu febris oriatur, dies computamus à doloribus partus, quod hinc morbos oriri existimemus; sed si longè post partum febris oboriatur, alia causa evenisse credendum est; & tum à manifesta actionis læsione illius morbi ratione, numeratio auspicanda erit. In complexis morbis uniuscujusque ratio seorsim habenda.

QUALIS ET QUOMODO SIT FUTURA CRISIS, ET quibus notis cognoscatur.

CAPUT IX.

Vnde præcognoscitur modus solutionis morbi, ad salutẽ vel mortem.

HIs præmissis superest, ut in omnibus morbis modum tempusque eventus præcognoscamus. Primum autem morbi eventus, an subitò an paulatim, ex morbi magnitudine potissimum æstimatur, facta comparatione cum viribus: sicut tempus illius eventus, an citò an tardè, &c. ex motu præcipuè colligitur: Verùm sub magnitudine compræhendenda sunt species & mos morbi, & ut certior fiat conjectura, cõjungendus est motus morbi, sive tempus status. Vicissim, ut tempus eventus melius æstimetur, motui adjungenda erit magnitudo morbi, & quæcunq; morbũ accelerant, vel tardant, ut sunt, natura, ætas, tempus an-

ni,regio,&c. Nam adjuvant morbi brevitatem vehementia morbi,virium robur,ætas juvenilis,regio, tempus,& causæ calidæ: tarditatem verò contraria. Semper autem morbi acuti, id est magni & celeres, qui ex calido humore gignuntur, aut subitò cum pugna ad salutem vel mortem terminantur; aut subitò sine pugna ad mortem: nemo enim subitò sine crisi mortem unquam evasit. Cum pugna quidem, quando natura non tantum resistit, sed subitò ad morbũ & morbificam causam expellendam insurgit: sine pugna verò ad mortem,quando natura subito prosternitur,ut supra dictum est. Ex magnitudine morbi crisis potissimum æstimatur; an verò ad salutem vel mortem, ex viribus ægri,facta comparatione cum violentia morbi, ut in superiori disputatione dictũ est. Verùm mors cum crisi postulat quidem vires debiliores morbo, sed non omninò debiles,alioqui non tentarent pugnam,sed mors sine pugna eveniret: Tempus verò crisis ex motu morbi,sive tempore status potissimum dijudicatur. Cæteri morbi,qui magni simul & celeris motus nõ sunt,nec materiam morbificam habent, sensim ad salutem vel mortem tendunt: salutares quidem qui ex materia,concoctione;cæteri alteratione potissimum: lethales verò consumptione, & caloris nativi lenta extinctione. Nam morbus lethalis cum validus est & celer,hominẽ repentè necare solet, cum nec vehemens nec celer,paulatim tantum. Contrà in minimè lethalibus. Natura valida hominem subitò sanare solet, imbecilla non nisi paulatim,alioqui si cogatur ad pugnam, in ipsa pugna deficit.

Tria observanda in qualibet crisi.

Semper autem, si ea quæ primum ferocia erant,deinde mitescant, non terminabitur morbus crisi,sed simplici solutione. Considerantur in crisi, ut in cæteris solutionibus tria 1. Qualis sit futura, an ad salutem vel mortem, & si ad salutem, an fida, tuta,

tuta,& omnes conditiones bonæ crisis habeat: Deinde,quomodo sit futura, an per excretionem, vel translationem,& qua via: 3. quo tempore sit futura: cum tempore crisis & solutionis morbi coincidit tempus salutis & mortis.

1. Qualis sit futura crisis an ad salutẽ vel mortem?

Ac primum qualis sit futura crisis an ad salutem & mortem, ex superiori disputatione constat, scilicet,facta comparatione virium morbi & naturæ,quibus adjungenda sunt signa concoctionis & cruditatis in urinis potissimum, item consideratio temporis status, partis affectæ, naturæ, ætatis, & similium. Semper autem instantis bonæ criseos signum est concoctio, potissimum in urinis; malæ & infidæ,cruditas. Deinde optima crisis in statu contingit, ut alibi dictum est. Nam statu elapso, nemo vi morbi periit, sed vel errore, vel vi alterius morbi: præterea,in statu facta concoctione,etiamsi natura à nullo alio irritetur,ad pugnam se accingit. Mala igitur crisis est,quæ ante statum evenit sine signis concoctionis,quia fit viribus irritatis morbi magnitudine, aut celeritate. In omnibus morbis, quando vires ægri robustæ sunt,& materiæ dominantur,propriis statisque legibus pugnant,& determinatos motus faciunt; at ubi succumbunt,non per se, sed morbi proritatione agunt, & incerta ratione ac ordine movẽtur,ut vix præsciri queat, quæ sit mortis ratio; nihilominus ubi vires in morbis lethalibus ad pugnam insurgunt, irritatæ morbi violentia & celeritate, sive exstimulatæ ad expulsionem rei graviter infestantis, statim in ipsa pugna deficiunt,& mors in crisi erit: Ubi verò subitò vires opprimuntur, mors subitò sine crisi tribus modis accidere potest, ut supra dictum est. In his casibus ut plurimum occurrit virium imbecillitas,cum signis cruditatis, morbi magnitudine,malignitate & celeritate. At ubi vires nec ad pugnam insurgunt,

nec

nec ſubitò opprimuntur, ſed ſenſim deficiunt, æger ſenſim & paulatim interibit.

Modus quidem ſolutionis omnium morborum ſalutarium eſt ſubitò vel paulatim. Verùm cauſa ſolutionis, eſt vel natura tantum, vel ars tantum, vel natura & ars. Nam leviores intemperies ſine vel cum materia, leves continui diviſiones, natura ſola ſanat: luxatas verò partes, ſola ars reponit, item malè figuratas partes reſtituit; quæ numero redundant, ſecat, quæ augentur, minuit. At graviores intemperies & continui ſolutiones ac morbos qui gravi humorum vitio eveniunt, ars ſimul & natura curat; ars, quatenus naturæ ſubſervit. Curat autem & ars & natura per contraria, ut in therapeuticis dicemus: quod ſi verò ad illum finem pertingere nequeant, incurabiles relinquunt. In lethalibus morbis pro ratione morbi, partisque affectæ, & virium ægri, modus mortis evenit, ut ex dictis conſtat. Communis cauſa mortis, eſt caloris nativi interitus: Interit tribus præcipuè modis; 1. extinctione à frigore 2. conſumptione à nimia caliditate & ſiccitate, ab humorum acrimonia & malignitate, à qualitate venenata, à vehementiſſimis doloribus & ſimilibus. 3. ſubita ſuffocatione ab humorum copia. Præterea in morbis ex humoribus non raro accidit, ut vires ægri irritatæ morbi violentia ad expulſionē morbi inſurgant, & in ipſo conatu deficiant, diſſoluto vitali robore. Fit criſis quando natura morbificam cauſam excutit & removet, quod tribus modis accidere poteſt, ut vult *Hipp. lib.* de Humoribus: aut foras per cutem, ſudore; aut introrſum, alvi dejectionibus, urinis, hæmorrhagia, &c. aut alia via, qua maximè expedit, ſcilicet transmiſſione à parte affecta ad partem ignobilem, vel ad cutem, ictero, maculis, puſtulis; vel ad glandulas & articulos, abſceſſu, ut infra latius dicemus. Hi tres

Quomodo ſit futura criſis.

ad duo reducũtur, ſcilicet ad excretionem & translationem.

Qua via ſive ad quas partes ſit futura criſis

Cum modo criſis conjunge viam. Modus criſis colligitur ex natura ægri & morbi, cum quibus conjunge conſiderationem partis affectæ, cauſæ, naturæ ægri, ætatis, ſexus, temporis anni, & ſimilium. Via vero ſive loc⁹ per quem fit excretio, & ad quem translatio, æſtimatur ex inclinatione naturæ. Ac primum in criſibus natura expulſionem morbificæ materiæ ſemper molitur, quæ naturæ ſcopus eſt; ſed cum id non ſuccedat, vel ob virium debilitatem, & viarũ anguſtiam, vel ob morbificæ materiæ contumaciam à parte affecta in partes ignobiles traducit. Excretio autem alia obſcura eſt per ſomnum, ut in infantibus tantum, ob magnam calidi innati copiam corporiſque raritatem, quod facile humorem noxium concoquit, & inſenſibiliter diſcutit: alia manifeſta per ſudores, ſanguinis profluvium, urinas, vomitus, dejectiones, hæmorrhoides, & in fœminis per menſtrua. Dependet quidem via excretionis & transmiſſionis, ex inclinatione naturæ: verùm ſub inclinatione naturæ compræhenditur, non tantum impetus partis mittentis, unde principium motus, ſed etiam conditio partis recipientis, & materiæ: ſemper autem natura cum ordinatè movetur, à partibus robuſtioribus & præſtantioribus ad debiliores & ignobiliores, per vias faciliores, vitioſam materiam traducit; quæ vero partes debiliores & viæ faciliores, ex natura ægri æſtimatur. Nam in his qui podagra infeſtantur, humores ad articulos plerumque decumbunt. Deinde ſunt, qui per alvum, ſudorem, hæmorrhagiam, aut aliam peculiarem viam à morbis ſe liberare ſolent, conferente ad id certa naturæ proprietate, & viarum facilitate, quæ in aliis eodem modo affectis non reperitur. Præterea confert aliquid natura humoris; nam

nam bilis, aut sanguis calidior, suâ naturâ sursum vergit: pituita & melancholia pondere suo deorsum magis decumbunt: Insuper non omnes excretiones unicuique morbo conferunt, sed alia magis vel minus, pro ratione partis affectæ, ubi continetur materia morbifica. In omni autem morbo ubi natura ordinatè agit, per vias faciliores, id est, proximas, & è directo, id quod noxium est expellere tentat. Verùm cum in aliis atque aliis partibus materia morbosa sit collecta, fit ut una via expulsionis omnibus utilis non sit: ita in ardente febri optima crisis per sudores fit, si materia in extimas partes fundatur; si in venis sit, crisis optima erit, si inclinet natura in partes directas. In contrarias inclinare, malum; Veluti, in jecoris inflammatione, sanguinis profluvium ex nare dextra, bonam, ex sinistra malam crisin arguit.

Vnde æstimetur critica excretio.

Quare ut in pauca conferamus, excretio critica æstimari debet, 1. ex morbo, scilicet, ut formæ morbi congruat, Nam febris ardens solvitur, vel sanguinis fluxu è naribus, vel post rigorem sudore, alvi fluxu aut vomitu. 2. à loco affecto, veluti morbi in gibba hepatis, renibus & vasis urinariis, urinis commodè sanantur: at in hepatis sima, in mesenterio, circa ventrem, vomitu vel dejectionibus. 3. ab inclinatione humoris ut supra dictum est: 4. ab ægri natura, cum qua conjunge ætatem, tempus anni, regionem, & similia: veluti, ante annum 30. naturis calidis, vere, sanguinis profluvium per nares evenit; hyeme, evacuatio per inferiora magis, æstate per superiora. Præterea à sexu; quos morbos in maribus profluviũ sanguinis è naribus judicare solet, eos in fœminis aliquando mensium profluvium. Tandem à consuetudine, quib⁹ fluunt hæmorrhoïdes, evacuatio per hemorrhoïdes exspectanda erit; His conjunge quæ à similitudine aliorũ sumuntur.

Nam ubi alii ferè omnes, eodem tempore, ab eodem morbo, una evacuationis ſpecie liberantur, eadem ſpecies ſperanda erit.

Signa inſtantis criſis per hæmorrhagiam. Inſtantis criſis modum aperiunt ſymptomata, illa potiſſimum quæ perturbationem conſtituunt, & evacuationes præcedunt, ac tantum ſigna vocantur: habeat enim ſingulæ evacuationes certa ſymptomata. Nam in ardentibus febribus ubi inſtat hæmorrhagia, caput circa tempora & frontem gravatur, cum dolore extenſivo & pulſante: facies & oculi rubent ac nares quoq; cum pruritu, ſplendores circa oculos verſantur, lacrymæ involuntariæ fluunt, pulſus magni ad exteriora potiùs, quàm interiora ſentiuntur, præcordia ſine dolore tenduntur cum anhelitus difficultate, cervix dolet, ſternutationes in initio ſtatim eveniunt: certius fore ſanguinis profluvium ſperabimus, ſi ætas intra 30. annum ſit, deinde morbi conditio, tempus, conſuetudo, & cætera conſentiant, ac abſint ſigna alterius excretionis. Nam fluxu ſanguinis febres, ardentes inflammationes hepatis, lienis, phrenitides, aliquando pleuritides ſolvuntur.

2. *Signa criſis per vomitum.* Deinde criſin per vomitum appropinquare, deſignant, totius capitis dolor cum gravitate, viſus hebes, tenebricoſus, vertigines, rigor unà cum frigiditate partium, quæ infra præcordia ſunt, morſus orificii ventriculi, faſtidium, pulſus durus altus inæqualis, labri inferioris agitatio cum ſaliva copioſa tenui; aliquando delirium & difficilis reſpiratio. His ſignis præſentibus, ſi aliquid æger biberit aut comederit, evomet. Conjecturam confirmant, ſi nulla adſint ſigna, quæ aliam excretionē deſignant, & conſentiant morbi natura & circumſtantiæ: nam vomitu bilioſo febres tertianæ, & morbi in cava hepatis parte judicantur; vomitu pituitoſo, febres quotidianæ.

Tertiò

Tertiò excretionem per sudorem imminere, testantur urina & alvus præter rationem suppressa, vehemens rigor suppressionem consequens, præcipuè si vomitus signa non adsint, delirium, præsertim accessione increscente, pulsus undosus, mollis, partes exteriores solito calidiores, & rubicundiores, vapor calidus copiosus per totum corpus, qui antea non aderat, &c. Hoc modo judicantur non rarò febres ardentes, continuæ, ac intermittentes, inflammationes viscerum, &c.

3. Signa crisis per sudores.

Quartò excretio per dejectionem & urinas instare potissimum indicantur, quando aliarum excretionum per sudores vel superiora notæ non apparent: nam ubi æger riguit sine aliarum excretionum notis, & urina præter rationem suppressa sit, alvusque paulò liberalius fluat, cum morsu & rugitu intestinorum, pulsus magni, præsertim in contractione sint, crisin per dejectiones alvi instare judicabis: contra, si alvus sit suppressa, & urina solito copiosior appareat, evacuationem per urinas. Verùm lumborum dolor cum tensione & gravitate sine aliarum evacuationum notis, evacuationem per uterum vel hæmorrhoïdes designat: in mulieribus autem per uterum, si tensio & dolor magis ad pubem vergat; in aliis verò quibus fluere solent, per hæmorrhoïdes.

4. Signa crisis per alvi deiectiones.

5. Per urinas.

6. Per uterũ aut hæmorrhoïdes.

Quod si nulla adsint evacuationis signa, nec natura, nec humores, nec meatus excretioni comparata sint, transmissione ad partes debiliores & ignobiliores morbus judicabitur. Verùm in morbis translatio humoris noxii duplex esse solet, una à parte exteriori & ignobiliori, ad interiorem vel præstantiorem: alia contra, à parte præstantiori, & interiori, ad partem ignobiliorem vel exteriorem, per vias directas & patentes; illa semper perniciosa est & metastasis speciali nomine vocatur: hæc morbi

7. Signa crisis per translationem materiæ.

Differẽtia translationis.

interdum judicantur & diadosis dicitur. Transferuntur autem humores interdum minus manifestè per partes interiores, plerumque manifestè ad partes externas. Occulta autem translatione morbus unus in alium terminatur, ob partis suscipientis debilitatem; ita apoplexia, translatione humoris ad nervos in paralysin desinit. Manifesta verò translatio dupliciter fit, vel ad unam partem, scilicet ad glandulas & articulos, unde abscessus; vel ad plures cutis partes, unde exanthemata, maculæ, icterus. Hæ translationes dependent non solum ab inclinatione naturæ, & imbecillitate partis suscipientis, sed etjam à dispositione materiæ. Nam morbi longi à crassioribus succis, abscessus potius faciunt: morbi breviores à tenuibus succis, pustulas vel maculas. Verùm materia pustularum magis crassa & acris est, quàm macularum.

Quæ träslatio critica vel nõ critica est?

Omnis hujusmodi materiæ translatio, critica propriè dici non debet, sed quæ vi naturæ fit, & non sola morbi proritatione. Nam critica translatio propriè fit vi naturæ, propellentis materiam morbificam ad partes ignobiliores, quod non una via & modo fit, ut supra dictum est. Præcognoscitur via & modus ex constitutione ægri, morbi natura, motu humorũ, debilitate partium suscipientium; nam naturis frigidis, senibus, & similibus, morbisq; longioribus, &c. abscessus magis contingit: deinde qui longo tempore urinas tenues, & crudas mingunt, si alia, velut superstitibus signa sint, his abscessus exspectare oportet infra septum, &c. Ad quas partes potissimum abscedat humor, & expectandus sit abscessus ostendit debilitas, dolor, rubor, distensio, aliaque accidentia circa partem suscipientem: Verùm ad partes inferiores, humores crassiores, frigidioresq; magis abscedunt; ad superiores, humores calidiores, & tenuiores, quare in morbis magis diuturnis,

Quomodo præcognoscitur ad quas partes sit träslatio?

turnis,ad inferiora; in non adeò diuturnis,ad ſuperiora abſceſſus magis expectandi erunt.

Signa per parotides.

Peculiariter abſceſſus circa aures, quos parotides appellamus, inſtare demonſtrant in morbis non adeò diuturnis, ſi poſt ſubitam anhelitus difficultatem mox ſuccedat gravitas, dolorque capitis, præcipuè circa tempora,gravis ſomnus,ſurditas ſubitò adveniens, tinnitus aurium, faciei rubor,&c. Cæteræ translationes morbis acutis magis accidũt.

Signa criſis per Icterum.

Morbus regius oritur interdum in criſi,jecore nequaquam malè affecto, ex bile craſſa, transmiſſa per cutem, qualis bilis concoctionem ante ſeptimum diem non admittit; proindè morbus regius criticè ante ſeptimum diem non fit, ſed ſymptomaticè: nam febres bilioſæ,quæ ante ſeptimum diem terminantur, potius fluxu alvi,ſanguinis profluvio, aut ſimili evacuatione judicantur, quàm transmiſſione ad cutem. Verùm 7. die,9.11.aut decimoquarto morbus regius criticus æſtimatur, & non ſymptomaticus; niſi dextrum hypochondrium durum ſit ab inflammatione,ſchyrrho, aut obſtructione jecoris & vaſorum.

Maculæ in febrib⁹ quando criticæ vel ſymptomaticæ ſunt?

Maculæ verò quales in peſtilentialibus febribus apparent, ex unica quidem cauſa proveniunt, ſcilicet, ab humoribus putreſcentibus, & pernicioſa qualitate inquinatis, ſed diverſimodè erumpunt: aliquando criticè, aliquando ſymptomaticè. Criticè autem cum in parte, vel in toto,ſuperata putredine & qualitate prava corrupta, ipſa natura corruptum humorem ab internis ad externa transmittit, die aliquo critico,& tum ſequitur alleviatio morbi: ſymptomaticè verò cum natura exſtimulata copia aut malignitate,partem aliquam materiæ,ante concoctionem aut pravæ qualitatis correctionem ad exteriora transfert; id accidere poteſt, quocunque morbi tempore, rariſſimè ſtatim in initio,

ſæpius poſt initium. Verùm cum nulla coctio præcedat, nec maligna qualitas ſuperata ſit, nullum ex maculis erumpentibus ſubſequitur levamen, ſed ob luctam illam major debilitas, cum qua vigent adhuc cauſæ morbificæ, quæ, ſi ante pugnam à natura domari non potuerunt, nunc ob majorem debilitatem multò minus ſuperari poſſe videntur. Quæ eſt ratio in ictero & maculis, eadem in puſtulis, quæ à materia magis craſſa & acri ſunt.

Signa criſis perfectæ fidæq;.

His modis abſolvitur criſis: an verò evacuatio & tranſlatio laudabilis, & legitima ſit, & criſis perfecta fidaque, ex ſignis comitantibus & conſequentibus apparet. Signa comitantia ſumuntur ab excretionis vel tranſlationis qualitate, quantitate, tempore, modo, via, & facilitate. Signa conſequentia ſumuntur à functionibus ægri, ab excretis, à qualitate corporis poſt criſin. Ac primum perfecta fidaque criſis æſtimatur, ſi materia morbifica concocta excernatur, & talia purgentur, qualia oportet Nam autore *Hipp. 1. aph.* ejuſmodi purgatio confert, & ægri facilè ferunt. Secundo, ſi oportuno tempore fiat, ſcil. apparentibus ſignis concoctionis, die bono critico, qui ab indice prius denunciatus fuit: Nam manente cruditate, nulla eſt ſpes bonæ criſis: deinde criſes quæ diebus non criticis contingunt, nec ab indice prius denunciatæ, ſuſpectæ ſemper ſunt, & plerumque vel recidivas, vel mortem inferunt. Tertiò ſi debita quantitate, id eſt, non parum nec nimis copioſum evacuetur, ſed morbo proportionatum: nam nihil paucum criticum eſt, ut ſudatiunculæ, vomitiones exiguæ, &c. nec evacuationes immodicæ tutæ ſunt. Paucitas autem ſemper materiæ malignitatem & contumaciam & naturæ irritatæ, & fateſcentis debilitatem aut exolutionem, vel meatuum anguſtiam arguit. Deinde quæ reliquuntur in morbis recidivas facere conſueverunt;

verunt; Immodicæ verò evacuationes vires dissolvunt. Quartò si debito modo & via evacuatio & translatio contingat: modus autem congruens est confertim & citò, non paulatim & tarde: via debita est per partes ignobiliores & directas & meatus patentes, ut supra dictum est. Eadem ex signis crisin consequentibus dijudicantur: nam post crisin perfectam, fidamque, redit ægro vividus color, naturalis forma, pulsus, excrementa, & omnes naturales actiones inculpatè obit, & corpus pro refectionis modo roboratur; contraria infidam crisin denunciant, quæ recidivam minantur.

DE TEMPORE FUTURÆ CRISIS, ET QUOMODO PRÆcognosci queat dies & hora salutis, aut mortis in ægris.

CAPUT X.

TEmpus futuræ crisis ea omnia aperiunt, quæ longitudinem morbi, tempusq; status: nam quò morbus brevior, eò crisis propinquior, & bona crisis in statu semper evenit; tempusque status colligitur, ut dictum est, ex morbi natura, & incremento symptomatum: Deinde ex tempore anni, natura, ætate laborantis, & similibus: Tertiò in iis, qui circuitus accessionum habent, ex circuituum anticipatione, incremento, & magnitudine: Quartò ex signis concoctionis, quæ postapparentibus annumerantur; his addi poterunt observatio dierum tàm criticorum, quàm indicantium, & consideratio virium ægri. Nam vires validæ in pernitiosis affectibus nisi irri-

Vnde dignoscitur temp⁹ crisis, solutionevè morbi.

tentur crisin tardant,in salutaribus,concitant: contrarium evenit ubi vires debiles sunt. Verùm vires validæ, irritatæ morbi violentia, ex acri calidaque materia, summum morbi vigorem non expectant, sed ante statum crises accelerant. Nam facultas expultrix,quæ crisis causa est, diu vehementiam illam sustinere nequit, sed ad pugnam intempestivè cogitur. Primum & maximum bonæ crisis instantis indicium, sunt concoctiones præcipuè in urinis; secundum,quod ab aliquo die indicatorio prius indicetur, cui annexa est diei indicantis potentia, ut supra dictum est. Indicatur quidem dies criticus à suo quaternario antecedente unà cum signis, quæ motum, magnitudinem morbi demonstrant. Semper autem morbus,qui subito crisin habet, peracutus est: nam exquisitissimè peracutus,primo quaternario judicatur, peracutus tantum, primo septenario: simpliciter acutus,die decimoquarto,non simpliciter acutus,20. Acutus ἐκ μεταπτώσεως, ad 40. usque diem interdum extenditur: post 40. diem morbi longi terminantur.

Mod⁹ præcognoscendi tempus crisis.

Crisis ex magnitudine morbi potissimum æstimatur,tempus crisis ex motu ut supra dictum est. Igitur,ubi primo statim die signa omnia secura apparent, morbus primo quaternario finietur;parvus, simplici solutione, magnus ut synochus, crisi. Verùm in tertianis continuis, si morbus magnus sit celerrimeque moveatur,tertio die: sin nō adeò magnus nec velox,quinto die crisis accidere solet;nam continuæ tertianæ,quæ in accessionibus crisin habent,die tertio,vel quinto finiuntur, & licèt interdum quarto judicentur,tamen id evenit ratione illius accessionis,quæ tertio die fit. Morbi tamen ex sanguinis vitio,(ut synochus) magis quarto finiuntur. Hi omnes exquisitè peracuti dicuntur, & primo quaternario continentur. At si primo die, nec

nec secundo concoctionis signa appareant, morbus exquisitè peracutus non erit, nec primo quaternario æger liberabitur: sed si quarto die primum in urinis nubecula rubra, vel hypostasis alba æqualis appareat, & morbus velox magnusque sit, septimo crisis eveniet, nisi interim error accidat: at si adeò velox non sit & error incidat, in nonum diem aliquando crisis transfertur: ubi verò septimo die concoctionis signa apparent, & morbus simul magnus & velox sit, undecimo potiùs quàm 14. crisis exspectanda erit: at si minor tardiorque, decimoquarto magis. Eadem est ratio in cæteris quaternariis & septenariis. In lethalibus morbis, singulis quaternariis & septenariis signa in urinis, pulsibus, &c. observanda erunt; quemadmodum enim morbi, qui omnia bona signa præ se ferunt, primo quaternario solvuntur, ita qui omnia mala, ad mortem ducunt: eademque in cæteris ratio. Pessima autem signa sunt, urinæ albæ tenues in acutis: item urinæ rubræ tenues in statu: urinæ nigræ sine admixtione humoris nigri: urinæ pingues cum contentis pinguibus, oleaceïs: urina cum nigra hypostasi, aspera, inæquali, &c. ut priùs & suprà dictum est. Verùm in morbis lethalibus non rarò mutationes illæ, quæ septenariis expectandæ essent, intercidentibus diebus contingunt, vel ob errorem aliquem, vel ob morbi violentiam, quam natura tàm diu sustinere nequit; vel ob vim accessionis alicujus irritantis naturam ad expulsionem: unde fit, ut crisis ad mortem quarto die indicata, non sequatur septimo, sed sexto. Nam perniciosi morbi accessiones sæpè habent diebus paribus, aut malis criticis. Semper autē crisis die illaudabili cum signis bonis, recidivam minatur, cum signis malis mortē. In complicatis affectib⁹ signa cujusq; simplicis morbi distinguenda & inter se conferenda erūt: deinde si duo sint, conside-

randum, uter prius finietur, ex utriusq; specie, magnitudine, motu, ex viribus ægri, & similibus, ut jam dictum est. Nam plerumque unus affectus desinit manente alio, aliquando natura unum superat, ab alio superatur. Semper autem in iis affectibus, quorum unus alterius causa est, aut alterum fovet, is prius solvitur, qui causæ rationē habet, veluti, obstructio, si febris causa sit, prius tollitur quàm febris; item in partibus exulceratis, intemperiis, dolor, tumor, prius tollenda, quàm ulcus curari queat. In initio difficilè est præsentire temp⁹ crisis, item tempus salutis vel mortis, verùm à primo die, pro ut singuli quaternarii adduntur, observare oportet signa virium morbi, & naturæ, motumque morbi, & non latebit tempus crisis, nec tempus solutionis morbi ad salutem vel mortem. Nam diebus decretoriis judicationes fiunt, & ad salutem & mortem: tempus verò salutis & mortis, ex comparatione virium ægri & morbi æstimatur, & tempore status; si enim morbus & natura quasi pares in conflictu pugnant, plus temporis erit ad alterutrius victoriam. Sin magnus sit excessus, citò ei victoria erit, quæ viribus superior est: quare exiguos morbos, qui cum signis non malis eveniunt, natura citissimè vincit, à maximis verò cum signis difficilimis, celerrimè evincitur; eaq; victoria evidentibus notis, de quibus supra, per singulos quaternarios æstimatur. Quicunque sanantur, omnia universalia morbi tempora pertransire debent; moriturus, ad universalis declinationis tempus propriè pervenire non potest, non tamen ad statum necessariò perveniet; nam evenit mors, cum, vel sine crisi; non rarò in augmento, aliquando in principio morbi: sine crisi mors in principiis maximè evenit, ubi natura plurimum à morbo superatur. Deinde in augmento, si nulla adsint signa concoctionis, ac morbus magn⁹ malign⁹

Vnde præcognoscitur temp⁹ salutis & mortis.

In lethali b⁹ morbis qua tempore morbi morietur æger?

sit,

ſit,celeriterque moveatur. Igitur, ut tempus ſalutis præcognoſcamus,ſcire oportet tempus ſtatus,& an vires ægri valeant ſtatum ſuperare; nam ſuperato ſtatu, ut alibi dictum eſt, nemo morbi illius ratione interiit, niſi alius ſuccedat,aut error committatur.

Quo die & hora morietur?

Tempus verò mortis prædici poterit, obſervando,quantum morbus naturam ſuperat, & quo tempore æger gravius afficitur: Item in morbis qui circuitus acceſſionum habent, quo tempore inſultus recurrit,an quotidiè, an alternis diebus,aut alio modo;item qua hora. Nam in lethalibus morbis, ubi magnus exceſſus eſt, mors citò ſupervenit, ſin exceſſus adeò magnus non ſit & vires ſufficiant, eo die morietur, quo acceſſio erit,ac illa nocte vel die, qua ſe ipſo magis intollerans eſt: ſin vires aliquo modo reſiſtant, differri adhuc poterit ad unum vel alterum diem, pro virium robore. Quare in hac conjectura, ſolertia Medici imprimis conſpicitur. Horam diei vel noctis non difficulter prævidere poteris,ſi obſervaveris,in quibus morbis principia particularium acceſſionum mortem afferre ſolent, in quibus vigor & declinatio,ut ſupra dictum eſt. Item ſi memineris, quo tempore diei vel noctis,particularis cujusque exacerbationis graviſſima,maximeque lethalia ſigna ſupervenire ſolent; nam illa hora maximè morietur,quâ æger languidior factus fuerit & graviſſima ſymptomata ſupervenerint. Inſtantis verò mortis ſigna ſunt, pulſus formicans, deficiens, graviſſima animi deliquia, maxima reſpirationis difficultas, frigida exſpiratio per os & nares, & cætera lethalia ſigna. Nonnulli ad prædictiones aſtrologicas confugiunt, & indicia temporis mortis, ex remotioribus cauſis, aſtris nimirum ſumunt, quæ medicæ conſiderationis nō ſunt. Pro-

babile quidem videtur ægrum eo tempore potissimum mori, quo astra maximè adversantur. Verbi gratia: Si in primo ortu æger planetas infestos & lethales in geminis habuerit, morietur aut periclitabitur, ubi luna aut aliquis maleficus planeta signum geminorum, aut quadratum, vel oppositum in sexta vel octava domo occupaverit. Verùm certior & evidentior illa conjectura semper est, quæ ex proximis causis & manifestis signis colligitur.



FINIS LIBRI QUARTI.



DE

DE THERAPEUTICA, SEU UNIVERSALI MEDENDI RATIONE, ET materiis auxiliorum.

Liber Quintus.

DE METHODO MEDENDI, ET INDICATIONIBUS

Caput Primum.

Medicina authore Galeno lib. de Const. Artis, in numero artium factivarũ est, quæ aliquid faciunt, & ex parte vitiatum corrigunt. Subjectum medicinæ est corpus humanum quatenus sanabile: scopus, sanitas, à qua functionum omniũ integritas. Fruitur autem corpus sanitate, vel illæsam conservando, vel ne corpus in morbum planè labatur & à causis morbificis vincatur, præservando: vel sanitatem amissam restituendo curandóve. Quare tria præcipuè munera medicinæ erunt, conservare, præservare, curare: & tres partes medicinæ operatricis, conservatrix, præservatrix & curatrix. *Tres partes medicinæ Therapeuticæ.*

Conservatrix propriè in eodem statu sanitatem tuetur ac conservat, aut parva minusq; sensibilia vitia, contracta à causis necessariis externis vel internis corrigit. Externæ illæ causæ sunt, quæ res non naturales dicuntur: Internæ verò præcipuè sunt, ex quibus constamus elementa, & quæ gignimus excrementa. Nam propter siccum elementum quod in generationis primordio prævalet ad *I. Conservatricis munus.*

extre-

extremum usque ſenium corpus noſtrum exſiccatur. Deinde ob vim caloris nativi humidum continuo abſumitur, & ſubſtantia noſtri corporis diſſolvitur, ad quam reſarciendam alimentis neceſſario indigemus; quæ cum ſimilia planè ſubſtantiæ noſtri corporis non ſint, mutatione opus habent, in quâ excrementa neceſſario coacervantur, quæ ſanitatem immutant. Has mutationes, quantum fieri poteſt, corrigit, qui curam ſuſcipit tuendæ ſanitatis. Nam tres ejus ſcopi præcipui ſunt: Primus, quod continuo à corporis ſubſtantia diſſolvitur ſalubri diæta reſtituere; Secundus excrementa expellere; Tertius hos duos conſequitur, ne animal præproperè ſeneſcat prohibere.

Partes doctrinæ de tuenda sanitate.

Quod ſi vero in horum uſu error manifeſtus committatur, gravioraque vitia morbis proxima naſcantur, aut cauſæ exiſtant, quæ morbos fovent & augent, præſervatrice opus erit: Nam præſervatio ſive præcautio ſanis propriè non debetur, ſed ægris aut neutris, idquè diverſo modo; conſervamus enim ſana non parata ægrotare; præſervamus neutra corpora, ſive ſana parata ægrotare, & ægra dũ morbi in fieri ſunt, & à cauſa foventur. Nam in morbis fientibus, qui cauſam antecedentem tollit, non propriè curare, ſed quod futurum eſt præcavere & avertere dicitur, ex qua præſervatione ſequitur cuſtodia naturalis habitus. At curatio morbum tantum reſpicit, & quantum morbi genitum eſt propriè tollit: quare præſervatio in ægris eſt cum curatione propriè dicta & conſervatione: in neutris cum conſervatione tantum: ſola verò conſervatio propriè ſanis debetur.

2. Præservatricis munus.

3. Curatricis munus.

Officia medici peculiaria ſunt ſanos conſervare, convaleſcentes reficere, ſenes fovere, cauſas morborum præcavere, ægros à morbis liberare ſive curare, ſymptomata omnia mitigare. Verum cum Medicus

Officia medici.

dicus minister naturæ sit, ut hæc sua munera exequatur, necesse erit prius cognoscere naturam, causas, differentias & signa omniũ eorum, quæ secundum & præter naturam humano corpori insunt, nimirum universa Physiologiæ, Pathologiæ, & Simeioticæ fundamenta.

Causa operationũ. Causa efficiens illarum operationum est natura & ars: Nam multa natura sola efficit, multosquè morbos curat & causas morbificas tollit sine externo auxilio. Multos autem natura citius & facilius expugnat, excitata, directa & adjuta idoneis remediis & opera peritorum medicorum. Paucos vero morbos solus medicus curat, parum aut nihil adjutus à natura, ut alibi dictum est. Verum si quid curat & avertit natura incitata, directa & adjuta opera medici, id medico tanquam causæ primo moventi, naturæ ut causæ proximæ erit adscribendum. Nam ut *Galenus lib.4 Meth. cap.4.* Morbus omnium judicio ab illo dicitur curatus, qui vel sustulit impedimenta, propter quæ natura morbum vincere nõ potuit, vel ipse aliquid medicamentis molitus est. Deinde quicunque recta ratione sanitatem præsentem conservat, & à morbo morbificisquè causis hominem liberat, sive per mediam naturæ actionem, sive ab ea parum aut nil adjutus, is medicus rectissime dicitur.

Instrumẽta operationum. Instrumenta per quæ operationes illæ perficiuntur, sunt similia & contraria: nam duo Medicinæ principia sunt, quæcumque humano corpori secundum naturã insunt conservanda esse; quæ præter naturam, tollenda. Conservantur omnia in suo statu similibus, tolluntur & immutantur contrariis. *Modus agendi.* Modus agendi est, cito, tuto, jucundè. *Materia instrumentorum.* Materia illorum instrumentorum triplex est, diæta, pharmacia & cheirurgia. Via & modus inveniendi materias auxiliorum, aut eligendi salubria, evitandi insalu-

bria

Via materias inveniendi. bria, duplex est; ratio sive methodus per indicationes: & experientia à sensuũ evidentibus: nam cuncta salubria alterutro horum inveniuntur.

Opinio Empiricorũ. Methodicorum & dogmaticorum. De via inveniendi materias remediũ. Verum Empirici rejecta indicatione, omniumque causarum consideratione, quæ illis incomprehensibiles videntur, solam experientiam & analogismum ad salubria eligenda & insalubria vitanda sufficere putarunt Contra Methodici contempta experientia, & neglecta causarum, partium, & facultatum consideratione; solam indicationem, quæ ab ipso morbo & evidentibus communitatibus, sufficere ad curationem judicarunt. At Medici rationales sive dogmatici cum ratione experientiã conjungunt, & causarum tam latentium, quàm evidentium, item signorum partium affectarum & cæterarum rerum naturalium & non naturalium cognitionem, ut alibi dictum est. Juvant enim se mutuo ratio & experientia; & certiores erimus, si quod experientia invenit, comprobet ratio; & quod ratio dictat, confirmat experientia, semperque duobus quasi oculis certius & acutius videbimus quàm uno. Nam experientia sine ratione temeraria est & fallax, judicium sine experientia difficile. Utitur itaque rationalis methodo in universalibus, & experientia in singularibus; nam auth Galeno non licet perfectè medicinam cognoscere, nisi per universalia Theoremata methodũ habueris, & particulatim in ægris curandis te exercueris. Is arte agit, qui non casu & temere ut Empirici, sed certa methodo omnia adhibet, quæ ad sanitatem conservandam vel recuperandam conducere posse perspexit: methodus verò per indicationes fit. Hactenus in genere de propriis medici officiis, nunc de Methodo medendi.

De Methodo medendi. Methodus medendi hic non sumitur pro nudo organico habitu, communi omnibus disciplinis,

sive

ſive pro via & ratione cognoſcendi, ſed pro ipſa rerum ſalubrium cognitione legitima ratione & ordine procedente, per intentiones & indicationes ad ſanitatem conſervandam & amiſſam recuperandam. Ille ordo in arte medica eſt à nobis notis ad ignota, ita tamen, ut aliud ſit primum, aliud ſecundum & tertium, atque ita deinceps, donec ad id perventum ſit, quod quæſitum eſt. Semper autem quod ultimum eſt inventu in methodo curativa, id in ipſa curatione eſt primo peragendum. Sub methodo medendi continetur methodus curativa propriè dicta, & methodus ſanitatis tuendæ.

Definitur autem methodus curativa perfecta ratio & ordo inveniendi per intentiones & indicationes certa cuique morbo remedia, gratia ſanitatis amiſſæ reſtituendæ. Ratio illa & ordo eſt à primis communiſſimisq; indicantibus & indicationibus ad ſecundas & ſubalternas, & hinc ad proximas, donec ad maximè ſpeciales appropriatas deventum fuerit. *Quid methodus curativa?*

Remedia, ut ſupra dictum eſt, morbo contraria ſunt, cauſisque morbificis: nam contrariorum ea natura eſt, ut ſimul & ſemel in eodem ſubjecto ſubſiſtere nequeant, ſeſeque mutuo pellant. Verùm vocabulo contrarii hic, non ſolum intelliguntur, quæ manifeſtis facultatibus inter ſe pugnant, ſed etiam quæ occulta facultate & ſpecifica forma; prætereà privantia, & tam ea, quæ ex accidenti & potentia talia ſunt, quam per ſe & actu. Finis Medicinæ in quo acquieſcit actio, autore Galen. eſt ſanitatis fruitio. Scopus propoſitum ſive intentio, ad quàm omnes operationes dirigũtur, eſt ipſa ſanitas. Peculiariter tamen in methodo curativa eſt morbi depulſio & ſanitatis introductio. An vero depelli queat, in præſagiis dictum eſt. Nam medici eſt, teſte Hipp. morbos radicitus exſtirpare aut ſaltem *Quid remedia?*

tem

tem vehementiam eorundem retundere: In iis autem, qui à morbis victi sunt nihil experiri. An vero victi sint & morbus curabilis & incurabilis sit, ex præsagiis colligitur: si morbus curabilis sit, consequens erit, ut de mediis consultemus, sive scopos ac indicationes curativas compertas habeamus. Consultatio vero Medici non est de fine, an sanare debeat? sed de mediis tendentib⁹ ad finem, scilicet si plura sint; per quod omnium optimè? Sin unum, quomodo per id rectissimè, donec ad primam causam deventum fuerit, ubi incipit curatio. Nam semper quod in deliberatione est primum, id ultimum est in curatione. Atque hæc vera methodus curativa.

Quid intentiones & scopi medici & quotuplices?

Scopi, proposita, sive intentiones agendi, communiter à Galen. vocantur omnia illa, quæ in medium proponuntur, dum consultamus, vel ad agendum nos accingimus: ita dum consultamus de venæ sectione, scopi à Galen. dicuntur magnitudo morbi & virium robur. Verùm propriè scopi curativi sunt intentiones, quas medici in agendo proponunt sive cum ad agendum se accingunt, ut sanitatem assequantur. Hæ intentiones sunt, considerare 1. quid sit agendum, an alterandum, evacuandum, reficiendum, &c. 2. quibus remediis an refrigerantibus, bilem evacuantibus & similibus, item an solidis, an liquidis. 3. quantum agendũ, an multum, an parum, ac qua mensura vel gradu. 4. quomodo agendum an sensim, vel confertim, an continenter, vel per vices. 5. quo tempore potissimum, an statim in initio, an in augmento vel in statu, nam non omnia quovis tempore fieri debent. 6. quo ordine, scilicet quid primò sit faciendum, quid secundò, quid tertiò, & quæ cum aliis, quæ sine aliis. Tandem his addi poterunt locus & via agendi.

Qui facultatem habet consequendi hos scopos perfectus Medicus judicatur: Empiricus quidem se experientia assequi putat; Rationalis methodo ex indicationibus sumta, à natura rei in singulis scopis. Est autem Indicatio agendi insinuatio, sive ratio dirigendi actionem, sejuncta ab experientia, sumta à natura rei sive contemplatione scopi. Nam ex scopis sive intentionibus deliberantis sequitur indicatio, scilicet mediorum electio; proinde quot scopi tot indicationes, & ut scopi alii generales vel speciales, alii simplices vel compositi, ita indicationes: nam tota ratio dirigendi actiones ad scopum consequendum est per indicationem. Definitur autem indicatio comprehensio juvantis cum comprehensione illius cui conferre debet, adveniens citra observationem aut expressam ratiocinationem, gratia sanitatis amissæ restaurandæ. Considerantur in indicatione primum duo, indicans & indicatum, quæ ad se mutuo referuntur, & ex indicante indicatum cognoscitur. Est autem indicans, unde sumitur indicatio, nihil aliud quàm quiddam in corpore secundum aut præter naturam observatum & designatum, cujus gratia aliquid fieri dicitur, quod ei conferre debet: sive omne quod secundum aut præter naturam intellectui manifestum est, ducens ad rei juvantis comprehensionem. Indicatum verò est illud ipsum juvans, sive id quod indicanti congruit, aut consequens agendum gratia sanitatis restaurandæ. Hoc consequens sive juvans ex natura indicantis colligitur: nam debet indicatum ad suum indicans justam proportionẽ habere; unde percepta natura indicantis, an secundum an præter naturam sit, facile erit absque ulla observatione, sive experientia, aut expressa ratiocinatione unà percipere & comprehendere utile indicatum sive remedium; idque ductu duorum principiorũ, quod præ-

Indicatio quid?

Quid indicans & indicatũ?

ter naturam sui ablationem, quod secundum naturam, conservationem expetit: Conservatur res secundum naturam in suo statu, ut dictum est, similibus; quod à naturali statu recessit, ad naturalem reducitur contrariis, proinde omne indicatum vel simile, vel contrarium erit.

Mod⁹ procedēdi ab indicantibus ad indicata.

Hic modus procedendi ab indicantibus ad indicata, sine expressa ratiocinatione fit, & tamen ad expressam reduci poterit. Ea ratiocinatio syllogismus factivus est, cujus tota vis, ex duobus principiis dependet: Contraria contrariis curantur, similia similibus conservantur. Assumptio fit ex indicationibus, conclusio ex indicatis. Proinde ipsa indicatio sive processus ab indicante ad indicatum est Enthymema compositum ex antecedente indicante & consequente indicato Veluti; Plato febricitat, ergo est refrigerandus. Hujus consequentiæ ratione, à Galen. indicatio definitur insinuatio consequentis agendi ex præcedente designato. Indicans omne quatenus ad suum indicatum refertur, rationem effectus habere videtur: nam vel conservari, vel removeri debet, quatenus verò conservatione, vel remotione indiget in corpore, rationem causæ semper adquirit, nam morbus indicationem non præstat, quatenus constitutio præter naturam, sed qua causa actionis læsæ, nec ullum symptoma, quâ symptoma, sed quâ rationem habet nocentis. Ex quibus patet, quod indicare, nihil aliud sit, quàm ex rei natura manifestare, quid propriè unicuique conferat.

Quale debeat esse indicans.

Omne utile indicans primum nobis notum esse debet, deinde permanentiam quandam habere, & pro sua natura unum aliquod certum indicare, nam eorum, quæ actu non sunt, nulla est indicatio. Deinde quidvis de se magis indicare potest, quàm de alio, cum absurdum sit, aliud esse quod cure-

curetur, aliud quod curationē præscribat: proinde si ipsum indicans simplex aut compositū generale aut speciale sit, erit quoque indicatum sive remediū simplex aut compositum generale aut speciale.

Tres præcipui scopi in medicina sunt, ut supra dictum est. Curare, præservare, & conservare. Curatio morbo, præservatio causæ, conservatio facultati debetur. Sublato morbo tolluntur symptomata, quare tres indicationes primæ erunt, Curativa, præservativa & conservativa; & tria prima præcipuaque indicantia, morbus, causa morbi, & facultas. Morbus primario causa propter morbum sublationem indicat per contraria, facultas conservationem per similia. Ab his generibus incipere debemus, in methodo curandi & ordine per subalterna ad specifica descendere. Verum indicationes primæ non sufficiunt, nam indicatio, quæ sumitur à morbo, plebeis & brutis nota est, quæ ubi ingentem calorem sentiunt, frigus appetunt, & ubi frigus, ad calorem confugiunt. Atque hic appetitus conservationis naturæ innatus est, ex quo consentanea expetimus, ut aliena removeamus. Verùm hæc indicationis pars minima est, & tantum principium, unde procedit medendi ratio, non autem pars artis, non enim satis est scire affectum calidum esse refrigerandum, sed quibus, quantum, quomodo, quando & ubi refrigeratio molienda, ut prosis, nunquam obsis, quæ omnia absque ratiocinatione & consideratione rerum naturalium in humano corpore cognosci nequeunt, inter quas præcipuè sunt, temperamentum, & constitutio totius corporis, partisquè affectæ, consuetudo, ætas & sexus, aër ambiens, symptomata urgentia. Ab his aliisq; pluribus indicationes sumuntur, quatenus illas primas indicationes promovent vel impediunt. Indicationes quidē primæ & præcipuæ tres sunt, &

Tres primæ indicationes.

Indicantia secundaria.

tria quoque indicantia ut morbus, morbi cauſa, & facultas, quæ per ſe primo quid faciendum ſit inſinuant. Cætera magis, quantum, quomodo, quando, quo ordine & loco ſingula fieri debeant, oſtendũt. Verùm quæ id promovent, quod à primo indicante ſuggeritur non tam indicantia, quàm coindicantia à nonnullis vocantur. Nam coindicantia ſunt, quæ non per ſe, ſed per aliud indicant; quæ verò impediunt, quod à primo indicante ſuggeritur, ea vel contraindicantia vel correpugnantia dici ſolent, contraindicans autem eſt, quod per ſe primò impedit: Correpugnans verò quod ſecundariò; veluti Cacochymia evacuationem indicat, coindicant vires robuſtæ, conſuetudo, &c. Contraindicant vires debiles, correpugnant ætas, ſexus, tempus anni, &c. quæ vires fractas demonſtrant. Similiter facultas victum indicat, coindicat ætas, temperamentum, quæ quantæ vires ſunt declarant. Contraindicat morbi vehementia, correpugnant ſymptomata conſequentia. Ex quibus apparet, unumquodque pro diverſa ratione coindicans, repugnans aut contraindicans dici poſſe, & quod ſecundum ſuam eſſentiam indicans eſt, in reſpectu ad aliud nunc prohibens, ſi vehementius; nunc permittens, ſi debilius: quare *Gal. 2. Metho. cap. 7.* ſublata nominum controverſia, ſine diſcrimine omnia indicantia vocat, quæ conducunt ad auxiliorum inventionem, ſive propter quæ curationem mutare cogimur, talia ſunt non ſolum morbus, ſed omnia ſuprapoſita. Verum in diſſenſu vel conſenſu indicationum illarũ. 10. *Meth.* ſufficere exiſtimat, pugnantes indicationes inter ſe conferre, ſemperque eam præferre, quæ violentior eſt & magis urget. Diſtinguendi ante omnia ſunt morbi jam facti à morbis in fieri, qui cauſam adhuc in motu habent; nam morbis jam genitis curatio tantum debetur, morbis verò in fieri, qui à cauſa

Coindicantia.

Correpugnãtia ſeu contraindicantia.

antecedente foventur, curatio junctâ præservatione. Primum igitur ut methodi ratio exigit, de curatione & indicationibus curativis, deinde de præservatione, ultimò de conservatione & indicatione vitali agemus.

DE INDICATIONE CURATIVA.

CAPUT II.

PRima maximequè generalis indicatio curativa autore *Gal.9. Meth. cap.15.* est, ipsa contrarietas, quæ à morbo sumitur, nam sanitati morbus contrarius est; mutatio igitur à morbo ad sanitatem, quæ sanatio dicitur, est per contraria, & morbus semper genus remedii indicat. Cæteræ indicationes sumtæ à parte affecta, ab ætate, &c. magis particulares sunt & mutationis illius mensuram modum & tempus determinant. Nam quantitatem remedii sive mensuram mutationis illius nemo intelligere potest, nisi pri⁹ cognoverit naturã corporis, partisque affectæ temperamentum; quantò enim morbus à naturali constitutione longius recedit, eò vehementioribus contrariis sive remediis indiget. Quare quantitatem agendi, veluti in febre quantum sit refrigerandum, an intensè an remissè, indicat naturale temperamentum corporis, partisque affectæ, facta comparatione cum magnitudine morbi, item situs partis affectæ. Nam inter indicans & indicatum justa proportio, quoad fieri queat, servari debet. Perspecta quantitate agendi, ex doctrina de fac. simpl. & comp. med. materia remediorum deligenda erit: deinde accommodatâ materiâ dosis sive quantitas, differt enim

De indicatione curativa.

Primum indicans est morb⁹ qui ostendit quid & quibus agendum in curatione.

2. Indicantia qantitatẽ agendi in curatione.

dosis sive materiæ remediorum quantitas, à quantitate agendi; verum cum ille recessus morbi à naturali temperamento, aut proportio indicantis, & indicati in singulis individuis diversa sit, & proinde & ineffabilis (nam non curatur homo in specie, sed individuũ ut Socrates, Plato) definita agendi mensura, & accurata in singulis naturis remediorum quantitas sive dosis, certa scientia comprehendi, aut exactè præscribi nequit, sed sufficit ea actionis quantitas, & remediorum dosis, quæ ab illa proportione insensibiliter recedit, unde Medici triplices doses assignant, summas, medias, infimas. Verum in illa proportione determinanda artificiosa conjectura locum habet, quæ experientia & ratione invenitur. Nam ille Medicus optime curat, qui recta ratione propriam uniuscujusque naturam cognoscit, & in artis operibus exercitatus est.

Mensura & dosis remediorum unde colligatur.

Modum agendi sive remediis utendi, indicant dignitas sensus & sitᵘˢ partis affectæ, item vires ægri. Tempora oportuna administrandi remedia, ipsa morborum tempora & præsentia eorum, quæ postulant remedia absentia eorum quæ impedire possint. Locum cui debentur remedia & vias, per quas indicat figura & situs partis affectæ. Ipsam remedii formam, situs & forma affectus & partis affectæ: tandem ordinem, quid primum agendum, id quod primæ efficientis causæ rationem habet, aut quod violentissimè urget.

3. Indicantia modũ agendi.
4. Tempᵘˢ.
5. Locum & vias per quas.
6. Formã remedii.
7. Ordinẽ agendi.

Peculiariter à parte affecta 5. indicationes sumuntur, nimirum à partis temperamento. 2. ab actione læsa. 3. à figura. 4. à situ. 5. à sensu. Ac primum à temperamento partis affectæ facta comparatione cum magnitudine morbi indicatur quantitas agendi, & mensura remediorum, ut jam dictum est. Magnitudo autem morbi dignoscitur ex magnitudine propriorum symptomatum; temperatura

Indicationes à parte affecta, quinque.
1. A temperamẽto.

vero

vero iis, quæ alibi dicta sunt de temperamentis. Item ex ætate, sexu, consuetudine, vitæ exercitio & diæta, ex anni tempore & similibus: à quibus omnibus indicationes sumuntur; nam gravius ille semper laborat, cujus naturæ, ætati, consuetudini minus consentaneus est morbus, & vehementioribus etjam remediis indiget; igitur ubi senex & juvenis febre laborat, aut unus natura calidus, alter frigidus; seni & frigido frigidiora remedia: juveni verò & naturæ calidæ minus frigida debentur, ut par remedium morbo existat, nec multo infirmius aut vehementius; contrarium fieri debet, ubi frigido morbo juvenis & senex laborat. Similis ratio in partibus, quæ in naturis: veluti ossa ubi solutione continui laborant, ficciora remedia requirunt, quàm tendines; & tendines ficciora, quàm caro; eademq; ratio est in ætatibus, sexu, tempore anni, &c.

Ab actione partis, sive officio, indicatur modus agendi, nam ubi actio partis sibi soli inservit audacter & confertim alterandum sive evacuandum erit, tantaque sit remedii vis, quanta morbi potentia. At si functio partis ad vitam necessaria sit, totiq; communis, quæ multo spiritu & calore nativo indiget, qualis est primario cor, deinde jecur, ventriculus, cerebrum, confertim relaxantibus, discutientibus, aut vacuantibus nunquam utendum, sed paullatim benigno remedio pars firmanda & relaxantibus, aut discutientibus roborantia commiscenda, ac corde jecoreque affecto nunquam valide purgantibus, aut vehementer refrigerantibus utendum. *2. Ab actione partis.*

Tertiò sub figura partis continetur forma, superficies, deinde cavitates & meatus. Figura autem & superficies indicat remedii figuram & magnitudinem, nam majora emplastra ventriculus requirit, quàm jecur, & jecur quàm lien, atque singula peculiari *3. A figura partis.*

liari forma,item quæ in veſicam & inteſtina injiciuntur,liquida eſſe debent. Meatus vero & cavitates indicant viam modumq; agendi, nam ventriculus ob duplices meatus dejectione & vomitu evacuatur: inteſtina,cava jecoris, dejectionibus; gibba jecoris,renes & veſica (quando non nimis copioſo humore redundant) urinis: pectus per aſperam arteriam,tuſſi.

4. A ſitu. Quarto ſitus partis affectæ ſub ſe comprehendit non ſolum poſitum in corpore,ſcilicet an in ſuperficie an in profundo, ſed etiam rectitudinem & ſocietatem ſeu connexionem cum aliis partibus. Poſitus autem partis indicat,& cui debentur remedia & vim ſive menſuram remedii; nam quæ in ſuperficie corporis ſunt, levioribus indigent; quæ in interioribus ſunt aut longè remota à loco cui medicamenta adhibentur,ſemper multò valentioribus, quia in itinere de virtutis robore multum perit. Societas vero & rectitudo indicat per quas vias pars evacuanda ſit: debet enim humor ex affecta parte duci,per vias directas & patentes,ita cava jecoris ob connexionem & ſocietatem cum inteſtinis per alvum expurgantur;gibba,urinis:ſimiliter dextris partibus laborantibus,ſecamus venas dextri lateris,&c.

5. A ſenſu partis. Tandem ſenſus acris & hebes partis affectæ vim remedii modumquè utendi inſinuat, nam pars acuti ſenſus confertim acribus remediis aut validis tentanda non eſt; ſed tutò potius in tempore ſive paulatim & cum mora curanda, ne vires dolore reſolvantur: at ſi partis ſenſus hebes ſit,remedia congruentia licèt acria & valida facile ſuſtinet, ita ut confertim unoque tempore detergere & erodere tuto liceat. Hæ conſiderationes ſumtæ à natura ægri partiſque affectæ,ad certa appropriata remedia invenienda conferunt,& vel prohibent vel promovent id,quod à primò indicante ſuggeritur. idem que-

Cap. II.

quoq́ue faciunt consuetudo, sexus & ætas, quæ indicia sunt præsentis & acquisititii temperamenti, unde metimur recessum morbi: nam in curatione ad illud temperamentũ tantum respicere debemus & ad illud reducere, quod corp⁹ eo tempore habuit, quo ægrotare cœpit; ita ætas & consuetudo, quæ autore Galen. maximam vim habent, tam ad victum instituendum, quàm ad curationem, per intercedentem corporis naturam & temperiem indicant. Indicant enim similia & consueta, quia natura gaudet consuetis: unde febricitantibus diæta humida convenit, Item pueris & qui tali victu uti consueverunt; contra senibus & qui siccis alimentis uti consueverunt, magis sicca. Aër ambiens ex eorum numero est, quæ fugere non possimus: ac interdum habet rationem materiæ sanantis, interdum causæ procatarcticæ morbum foventis; proinde ubi rationem causæ lædentis, contraria indicat & arte quantum fieri potest alterari debet; aliquando tamen prohibet id, quod à morbo & causa judicatur, nam ante canem & sub cane difficiles sunt purgationes. Cum aëre conjunge cœli statum & regionem. Eadem est ratio in cæteribus rebus non naturalibus.

Indicationes sumta à reb. naturalibus & non naturalibus.

In curatione igitur primum principaleq́ue indicans, ad quod determinandum cætera considerantur, est morbus, indicat autem simplex morbus simplicia contraria, compositus composita. Tres sunt simplices morbi, intemperies, mala compositio, unitatis solutio. Intemperies autem quælibet sibi contraria in eodem gradu & proportione requirit; sed si cum materia, ea prius tollenda, omnesq́ue causæ antecedentes, semperq́ue cavendum, ne accidentalis impressio nos decipiat. Tempus refrigerationis tempori calefactionis æquale est, sed calefacere tutius est, quia caliditas naturæ magis amica est; in humectatione & exsiccatione æquale periculum,

Indicationes curativæ in singulis morb

1. In similaribus.

culum, non æquale tempus, nam ſiccus affectus tardius & difficilius tollitur, quàm humidus at calida intemperies & frigida minori tempore, quàm humida & ſicca curatur, ſed cum majori periculo.

2. Indicantia in morbis organicis. In morbis organicis indicatio eſt, per contraria reducere corpus ad eundem ſtatum, unde receſſio facta eſt, ita dilatatio meatuum, indicat adſtringentia; anguſtia meatuum, dilatantia, veluti obſtructio, aperientia, detergentia, &c. lævitas, exaſperantia; aſperitas, lævigantia, aucta magnitudo, auctusq; numerus, diminuens, veluti caro excreſcens, ſepticum: Luxatio, repoſitionem, &c.

3. In ſolutione continui. Solutio continui indicat proprie uniens, verum cum unio naturæ opus ſit, quæ non præſtatur, niſi bene habeat ſubjectum, corpus & natura à nullis impedita ſit, oriuntur aliæ indicationes impedimenta cauſſasque nocentes tollentes. In compoſitis morbis, compoſita ratio eſt, ac quoque in implicitis, qui vicinis partibus inſident, communesq; functiones lædunt. Singulis enim ſua remedia adhibenda ſunt, idque debito tempore & modo, ſemperque videndum, quid cum quo, quid ſine alio ſanari queat, ac ab eo incipiendum, cujus curatio alteri ſanando conducit, aliquando plures morbi uno remedio eodem tempore ſanari poſſunt, uti jecoris frigida intemperies & obſtructio. Interdum nec eodem tempore nec iiſdem remediis, veluti ulcus cavum cum inflammatione, nam prius inflammatio ſedatur, deinde cavitas repletur, tandem ulcus conſolidatur & cicatrice obducitur: Præterea unius ſanatio, alteri ſanando non rarò conducit, aliquando alteri incommodat, veluti ubi jecur calido, ventriculus frigido affectu laborat, &c. in hujusmodi caſibus utrique affectui & parti conſulendum, ſed primum & potiſſimum ei, quod maximè urget, ſive plus periculi minatur.

Ordo ſervandus in curatione ubi complicati ſunt affectus.

Urget

Urget affectus tripliciter, aut magnitudine propriæ essentiæ suæ, quæ ex propriis symptomatibus cognoscitur, aut ob præstantiam & dignitatem partis affectæ sive functionis læsæ; aut ratione facultatis totum corpus gubernantis: nam ratione essentiæ intemperies calida in 4. gradu magis urget sive periculosior est, quàm in 2. item morbus malignus, quàm benignus: aut ratione partis ipsiusque functionis læsæ eadem affectio, si præstans membrum lædat, periculosior, quàm si minus præstans. Omnium autem affectuum periculosissimus ille est, qui principalem sive communem facultatem & vires totum corpus gubernantes sævissimis symptomatis, vehementissimis doloribus, deliquiis animi, immodicis evacuationibus & similibus prosternit. Nam virium dissolutio ægrum maxime in discrimen vitæ adducit; cum maxima virium dignitas sit, quare prima omnium indicatio est, ut viribus laborantibus succurramus, mitigando symptomata eaque prohibendo & corrigendo, quæ substantiam virium alterant & dissolvunt, mitigantur autem dolores anodynis, vigiliæ soporiferis, animi deliquia reficientibus, &c. Verum hæc indicatio non tam curativa est, quàm conservativa, & hoc modo fit extraordinaria curatio, nam ordinaria curandi ratio est, ut causæ prius tollantur, & priora posterioribus conferant, quod hic non semper evenit.

Vrgens affectus.

DE INDICATIONE PRÆSERVATIVA, ET CONSERVATIVA.

CAPUT III.

Cum autem methodus curativa analytica sit, & ab effectis ad causas proximas ordine procedat donec

Indicatio præservativa.

donec ad primas devenerit ubi incipit curatio; post indicationem curativam ſequitur præſervativa, à cauſa morbi. Verum hic cauſam morbi non intelligimus formalem aut continentem, nam his curatio debetur; neque etiam cauſas procatarcticas & regimen ſex rerum naturalium, quæ ad conſervationem magis referuntur: ſed cauſam internam ſive antecedentem potiſſimum, quæ morbum gignit & fovet, licet cum morbo neque incipiat, neque deſinat: nam cauſa antecedens dicitur, quia morbum antecedit & mutatione ſua morbum gignit & fovet, ac quo minus curari queat, prohibet, quare præſervatio ipſi convenit. Exiſtit autem cauſa antecedens in corpore vel ſine morbo, quæ ex laſſitudine ſpontanea aliiſque ſignis colligitur, vel cum morbo, morbum augens & fovens; ex priori oritur indicatio nuda præſervativa, cujus uſus eſt in methodo Sanitatis tuendæ. Ex poſteriori miſta indicatio; partim præſervativa, partim curativa, nam curatio morbo debetur, præſervatio cauſæ. Verum cum cauſa antecedens multiplex ſit, pluribusq́; modis peccare ſoleat, ſcilicet ſecundum ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, motum & quietem: Indicatio præſervativa appropriata multiplex quoque erit, ſed propriè ſumi debet, vel à ſubſtantia cauſæ, vel à qualitate, vel à quantitate, vel ab ubi; ſcilicet à motu & quiete. Si ſecundum ſubſtantiam conſideres, cauſa ea erit humor, vapor, vel ſolidum corpus, idq́; per ſe toto genere præter naturam, ut calculus, vermes, vapores, flatus, &c. aut ex accidenti talis, ut humor aliquis naturalis corruptus, caro putreſcens, &c. unicuiq; indicatio competit: nam pars corrupta ſeparationem; ſolida contenta in partibus detractionem; flatus & vapores diſſipationem per inſenſibiles meatus; humor corruptus evacuationem per ſenſibiles meatus.

Indicatio à cauſa antecedente.

Indicatio ſumpta à ſubſtantia materiæ peccantis.

Verum

Verum quia quatuor humores non tam ſubſtantia, quàm quantitate, qualitate motu & quiete peccant, vitia humorum ſecundum qualitatem à Galen. dicuntur ea Omnia, quæ naturali conſtitutioni adverſantur, vel qualitate manifeſta ſcilicet, Prima aut ſecunda; vel occulta ſubſtantiæ proprietate: quæ omnia ſua determinata contraria indicant; veluti humor frigidus indicat remedium appropriatum calefaciẽs, craſſus attenuans; tenuis incraſſans; viſcidus incidens, &c. Malignus, refrenans: venenatus, alexipharmacum. Præterea humor crudus concoctionem requirit; corruptus qui ad benigniorem naturam reduci nequit, evacuationem pro conditione humoris & modo corruptionis, nam purgatio propriè eſt humorum evacuatio qualitate peccantium. Verùm in putredine ſi humores in latitudine ſuæ ſpeciei contineantur, & adhuc putreſcant, Phlebotomiam requirunt, qua ad alterius evacuationem putredinis cauſa evacuetur; ſin humores actu putridi ſint, & à naturali ſpecie receſſerunt, accuratam purgationem.

Indicatio ſumpta à qualitate humoris peccantis.

Præterea vitioſa quantitas humoribus accidit ratione defectus vel exceſſus, defectus indicat reſtaurans ſcilicet alimenta reficientia: redundantia evacuans. Evacuans ſpecificum & determinatum ſumitur à natura humoris redundantis, à modo redundantiæ & à parte affecta. Nam primum redundantia eſt, vel in prima regione corporis, vel ſecunda, vel in tertia, vel in aliqua regionis parte. Deinde redundantia vel eſt ſanguinis, vel omnium ſuccorum æqualiter ſe habentium, quæ Plethora dicitur; vel bilis, pituitæ aut melancholiæ, quæ Cacochymia vocatur. Præterea redundantia illa eſt vel quoad vaſa, vel quoad vires; & quoad vires vel naturales dum imminet putrefactio; vel animales, quando adeſt ſenſus gravitatis; vel vitales quando imminere videtur

Indicatio ſumpta à quantitate humoris redundantis.

detur caloris vitalis extinctio. Omnis plethora indicat remedium ſanguinem evacuans, nimirum Phlebotomiam, ſcarificationem,&c. Nam Phlebotomia propriè eſt evacuatio humorum quantitate peccantium, at cacochymia indicat purgans appropriatum humoribus redundantibus: nam purgatio eſt evacuatio humorum qualitate peccantiū; redundantia in prima regione per ſuperiora, vomitu, & per inferiora, dejectione: in ſecunda, purgans vel ſanguinem evacuans aut urinas: in tertia regione & in habitu corporis ſudorem provocans. Peculiariter verò redundantia in capite, Errhina & Apophlegmatiſmos, in pectore, bechica, in utero, menſes ducentia,&c. Tandem peccat materia in ubi, ratione motus vel quietis. Motus vitioſus materiæ, aut eſt diminutus ſive imperfectus, aut immodicus ſive ſuperfluus; diminutus motus materiæ, quando non tantum movetur aut evacuatur quantum debet; indicat auxilium adjuvans & perficiens motum, veluti, ubi materia in ventriculo ad os imperfectè movetur, vomitorium; ubi ad alvum, dejectorium; ſi ad vias urinæ, diureticum. Motus verò immodicus materiæ, generaliter indicat remedium minuens & compeſcens motum illum: verum cum motus omnis à termino ſive parte mittente ad terminum, ſive partem ſuſcipientem, per ſpacium ſive partes intermedias fiat, ſpeciatim quadruplex remedium indicatur, nam ratione partis mittentis à qua influit in partem affectam, oritur medicamentum revellens: ratione ſpacii medicamentum intercipiens, motum ſupprimens: ratione partis affectæ, ad quam, oritur medicamentum transferens: quod duplex eſt, unum derivans, à parte affecta, ad vicinas, alterum reprimens.

Indicatio ſumpta à motu humoris peccantis.

Revellentia.

Eſt autem revulſio tractio humoris cum impetu jam ruentis ad locum directè oppoſitū, remotum

tum à parte affecta: trahit enim revulsio humores ad fluxionis originem, sive fontem; ac quod ab alio fluit, eadem qua intercedit via, retrocedere cogit; quare pro ratione partis mandantis & recipientis, revulsio multis modis fieri solet. Instrumenta sunt Phlebotomia, cucurbitulæ, frictiones validæ oppositæ partis, vincula dolorifica, lotiones calidæ, clysteres validi, vesicatoria & similia veluti in fluxu vehementi sanguinis per nares, basilicam secamus, artusque validè ligamus, & regioni jecoris cucurbitulas admovemus: in profluvio menstruorum venas brachii secamus: suppressis menstruis, venas malleoli: humores in caput ruentes validis clysteribus revellimus.

Intercipientia. Medicamenta intercipientia sunt, quæ vias claudunt, & impediunt, ne humor in partem affectam feratur, unde defensiva vocantur, & intermedio spacio adhibentur. *Derivantia.* Derivatio est tractio humoris à parte affecta ad vicinas; humor ille consistit, vel in ipsa parte affecta, sed nondum planè impactus est, vel in spacio vicino: derivatur multis modis pro ratione partis affectæ, veluti quæ in cerebro continetur, per palatum Apophlegmatismis, per nares Errhinis, item sectione venæ frontis derivantur: quæ in intestinis, jecoris cava & liene dejectione expurgantur, &c Tandem reprimentia sunt, quæ à parte affecta humorem tantum repellunt, talia adstringentia sunt, quæ admota partibus affectis, duplicem usum præstant, nam robur partibus illis afferunt, ne nimis promtè affluxum humorum in se recipiant, deinde contenta in partibus nondum planè impacta exprimunt. *Reprimentia.*

Tempus revellentium derivantium, &c. Tempus oportunum revulsionis est, quando materia jam influit, scilicet in initiis inflammationū, at derivationis quando in parte affecta materia continetur, nimirum in progressu morbi: vacuato corpore,

corpore, ſupra partes affectas intercipientia applicantur; ipſis vero affectis partibus in initio reprimentia, in augmento adſtringentia mixta digerentibus, niſi fluxus Criticus ſit aut materiæ venenatæ. Verum in omni averſione humorum cavendum eſt, ne noxius humor per partes principales trahatur. Poſtremo peccat humor quiete, idque dupliciter: nam primum aut quieſcit nondum impactus, qui ſecundum naturam fluere debet, veluti quãdo conſueta evacuatio ceſſat, per nares, hæmorrhoides, &c. ex materiæ craſſitie, frigiditate, & viarum anguſtia. Ejusmodi quies indicat remedia motum conſuetum promoventia, ſcilicet materiam extenuantia, calefacientia, vias dilatantia. Secundo humor quieſcens ſubſtantiæ partis impactus eſt, ut in tumorib⁹, & indicat remedia, quæ evacuant per ipſam partem affectam. Ea remedia duplicia ſunt, nam vel ſenſibiliter evacuant, qualia ſunt abſceſſus maturantia, aperientia & expurgantia: vel inſenſibiliter evacuant per poros cutis, nimirum diſcutientia.

Indicatio à quiete & ſitu humoris peccantis.

Tempus evacuationis, quantitas & modus.

Tempus oportunum in omni evacuatione eſt ubi materia cocta eſt, aut turget: nam cocta purgare oportet & non cruda, nec in initio morborum, niſi turgeant, ſive huc ſive illuc moveantur; ubi verò in parte materia firma eſt & fixa, primum concoquenda, deinde expurganda: ſi in motu adhuc ſit, evacuanda, ac à parte affecta revellẽda aut transferenda. Quantitas evacuationis pendet ex magnitudine materiæ morbificæ & viribus ægri; verum ipſæ vires nõ primo evacuationem indicant, ſed vel permittunt, vel prohibent id quod à morbo & cauſa indicatur. Nam ſi vires validæ ſunt & morbus magnus, tantam talemque evacuationem ferunt, quantum exigit morbi cauſa; contra, ſi validæ non ſint, minorem, aut paulatim & per vices. At ſi ne hanc quidem ferant, ἐπίκρασις ſive contemperatio tantum

tantum molienda est, qua vitiosus humor sensim educitur, & pro eo, quod salubre est, reponitur, nam virium ante omnia ratio habenda est. Cætera de modo, forma, via, cæterisque scopis observandis in evacuatione, ex supra dictis facile intelliguntur, scilicet ex indicationibus sumtis à parte affecta, à toto corpore, ab ætate, consuetudine &c.

Quando symptomata indicant.

Hæ sunt præcipuæ indicationes, quæ à causis sumuntur. Verùm nonnunquam ipsa symptomata rationem causæ habent, nimirum vehemens dolor, vigiliæ, animi deliquia, &c. quatenus vires prosternunt vehementerque urgent: sed hæc ratio curandi extraordinaria est, ut jam demonstratum est. Nam ordinata ratio postulat, ut primum causas communissimas tollamus: deinde proximas ordine: tandem ipsum morbum; sublato morbo desinunt symptomata & redit sanitas. Veluti in febri tertiana, à febri incipiendo, sunt putredo, prohibita transspiratio, obstructio, postremo redundantia humorum in corpore: quare ordinata curatio requirit, ut redundantiam humorum primo tollamus, deinde obstructionem, & ex obstructione prohibitam transspirationem & putredinem, hinc febrim, nam redundantia & obstructio febrim fovent & curationem impediunt: quare prius toti deinde parti consulendũ. Præterea nulla pars validis remediis subjicienda est non purgato toto corpore. Complicantur interdum morbi inter se cum suis causis, nonnunquam morbus cum symptomate vehementissimè urgente. Primum omnium, si quid vehementissimè urget, tollendum, ut jam dictum est, deinde ad causam aut morbũ qui causæ rationẽ habet redeundũ; nam in ordinata curatione, à causis incipiendum est, quæ curationem morbi impediunt, sublatis causis affectus si in fieri tantum sit, una tollitur; sin factus sit, per se facilius curatur. Plerumque autem morbus

Curatio ordinaria & extraordinaria.

& causa morbifica eadem indicant sive consentiunt remedia, quæ utrumque oppugnant; interdum contraria requirunt, veluti febris putrida, ab obstructione ex crassis lentisque humoribus, &c. in hujusmodi casibus à causa incipiendum est, & quoad fieri queat, ea medicamenta exhibenda, quæ causam abscindunt, & morbum non augent: sublata causa ad morbum deveniendum est, atque hæc operatio mixta dicitur ex curatione & præservatione.

Remediorum delectus. In ipsis remediis delectus esse debet, pro ratione morbi, causæ morbificæ & natura ægri; nam extremis morbis, extrema remedia debentur: veluti in diætetice victus extreme tenuissimus, scil. inedia: in Pharmaceutice validæ purgationes: in chirurgia Phlebotomia ad animi deliquium, sectio, ustio. Quare in extrema pleuritide, imperanda est inedia, & Phlebotomia ad animi deliquium, ac ubi ad desperationem inclinat, causticis utendum, latusque aperiendum: melius enim est anceps experiri remedium, quàm nullum, & melius cum periculo ægros juvare, quàm sine ullo remedio emori: Verum ubi tempus permittit, sive in mora periculum non est, & malum vehementer non urget; lente festinandum, tutoque remediis minus violentis utendum habita semper virium ratione; quarum maxima dignitas est. Nam ipsa vita constat ex viriũ custodia.

3. Indicatio conservativa. Quare superest, ut de indicatione vitali sive conservativa, quæ viribus debetur, nunc demum agamus: indicant autem vires per se conservationẽ, quæ similibus perficitur, secundario id permittunt vel prohibent, quod morbus aut morbifica causa insinuat, indicant autem vires similia, ut jam dictũ est, similia illa sunt, quæ virium substantiam reficiunt sive nutriunt, igitur alimentum victusq; rationem propriissime dictam virtus primo indicat; secundario morbus, quatenus id permittit vel prohibet,

quod

quod virtus dictat. Considerantur in victus ratione quinque, forma, quantitas, qualitas, modus, & tempus. Forma victus hic sumitur pro ipsius alimenti ad nutriendum seu vires reficiendas efficaciâ, quæ æqualis, major, aut minor est, quàm vires postulant, & quàm id, quod de substantia corporis deperditũ est; unde vict⁹ ratio triplex statuitur, una exactè plena, quãdo substantiæ corporis & viriũ plus apponitur, quàm deperditũ est; alia simpliciter plena, ubi tantũ apponitur, quantũ deperditũ est; tertia tenuis, ubi minus apponitur, & substantia viriũ diminuitur; tenuis verò dividitur in simpliciter tenuem, & tenuissimũ, ut infra latius dicetur. Subsistunt autem vires in partibus viventibus, & authore *Gal.11. Methodi* triplici substantia complentur, spirituosa, carnosa & spermatica solidave. Nam fundantur seu radicãtur in temperamento partiũ solidarũ & carnosarũ, sed nõ exercentur, nec actiones suas perficiũt, sine debita quantitate & qualitate spirituũ calorisq; nativi. Quælibet harum sui custodiã indicat pro sua substantia quantitate & qualitate: nam si virtus deficere incipiat ratione spirituũ, quod confertim accidere solet, indicat reficiens spirituosum scil. tenue aëreum humidũ, quale est vinum & liquida fragrantia. Sin ratione substãtiæ solidæ, ut in phthisicis alimentũ crassum & solidum, ut caro caponis, cancrorum, vituli, &c. sin ratione carnosæ alimentũ mediæ constitutionis. Deinde quantitas victus propriè sumitur pro copia majori aut minore aliměti sub quacunq; vict⁹ forma; æstimanda autẽ erit ea quantitas, prout virtus magis minusq; indiget, & morb⁹ permittit vel prohibet Nam autore *Hipp.1. aph.10.* norma vict⁹ in ægris est extrem⁹ vigor morbi, quo tempore tenuissimo victu utendũ erit in comparatione ad alia tempora. Morbi autem alii acuti, alii longi. Deinde acutorũ variæ sunt differentiæ, in omnibus

Forma victus.

Materia victus.

Quãtitas victus.

tantum exhibendum, quantum opus erit, ut æger ad ſtatum morbi deveniat; ſi per inediam, ut in exquiſitè peracutis, ea utendum; alioqui potius in exceſſu, quàm defectu peccandum, quia exceſſum ægri facilius ferunt; in minus acutis affectibus pleniori victu utendum, & ſemper tantum exhibendum, quantum poſtulant vires, & permittit morbus.

Qualitas victus. Qualitas victus morbo & cauſæ morbificæ contraria eſſe debet, ſed temperamento, ætati, conſuetudini ſimilis, unde *Hipp. 1. Aph.* febricitanti victus humidus convenit; item pueris & qui tali victu uti conſueverunt. Ubi verò morbus cum temperamento, ætate, & conſuetudine pugnat, morbo occurrendum, & aliquid naturæ, ætati, & conſuetudini tribuendum.

Modus. Quomodo autem ſit cibandum, an ſæpè vel raro, an multum vel parum, indicatur ex ipſa indigentiæ & virium magnitudine, habita ratione morbi; nam ubi magna utilis alimenti indigentia eſt, & vires debiles ſunt, parum ſæpeq; nutriendum, ſin corpus utili ſucco abundat, parum raroq;. Contrarium faciendũ, ubi vires robuſtæ ſunt cum humorum defectu: ubi verò redundat vitioſorum humorum copia, iis alimentis utendum, quæ & vires reficiunt & humores contemperant. Verùm in his omnibus aliquid dandum eſt ætati, regioni, conſuetudini & tempori anni.

Tempus cibandi. Tandem tempus oportunum cibandi ægrum, eſt ea hora, qua cibum facillimè ſuſtinere poteſt, aut hora conſueta ſanitatis; facillimè ſuſtinet cibum, quando à morbo minus gravatur. Proinde in intermittentibus tempus aptiſſimũ cibis eſt, declinatio, aut quod longiſſimè recedit à paroxiſmorũ incurſu. In continuis vero hora minoris afflictionis, niſi vires vehementiſſimè urgeant, nam in acceſſionibus cibum præbere noxium eſt.

DE

DE DIFFERENTIA MEDICAMENTORUM ET ALIMENTORUM, deque facultatibus medicamentorum, earumque causis in genere.

Caput IV.

CUM omnia instrumenta, quibus ars medica utitur, sive ad curandum, sive ad sanitatem humani corporis cõservandam, sub triplici genere comprehendantur, Medicamento, Diæta, & Chirurgia: Deinde medicamentorum consideratio latè pateat & perplexa sit: De natura & facultatibus medicamentorum primum agemus.

Instrumenta medica tria.

Medicamentum & nutrimentum in relatione quadam ad corpus animatum dicuntur, sed modò & ratione diversâ. Nam nutrimentum dicitur, quatenus in substantiam corporis animati convertitur, id est, nutrit & auget. Pharmacum verò, quatenus à statu non naturali immutat: sive quatenus corpus curatur. Communiter tamen vocabulo Φαρμάκου apud Græcos, & medicamenti apud Latinos, non solùm morborũ remedia, sed etiam venena, & pigmenta continentur.

Quid medicamentum & alimentũ?

Propriè verò medicamenta vocantur, quæ insitâ vi corpus humanum alterant, sed non corrumpunt. Venena verò, quæ suâ naturâ & alterant & corrumpunt. Alimenta, quæ à corpore nostro alterantur, & in substantiam corporis convertuntur, sive perfectè ei assimilantur. Alterant autem medicamenta propriè dicta corpus humanum à non naturali statu ad naturalem, sumto mutationis initio à nostro calore. Venena verò non soùm corpus alterant

Discrimẽ Medicamentorũ, Venenorũ, Alimentorum.

rant à statu naturali, sed etiam substantiam ejus corrumpunt, & calorem nativum evertunt. Quare à natura nutrimentorum plurimùm discrepant venena, & inter alimenta & venena media quodammodo sunt medicamenta. Nam alimentum est quod substantiam nostri corporis reficit, & potentiâ passivâ præditum est, per accidens vero alterat. Nutritur & reficitur omne, sibi convenienti alimento. Quare inter nutrimentum, & quod nutritur, similitudo quædam substantiæ esse debet: sicut inter venenum, & id cujus est venenum, substantiæ dissimilitudo: Verùm in venenis omnibus eadem prorsus dissimilitudo, nec in alimentis similitudo est, sed in aliis alimentis major, in aliis minor: unde, ut nutriant, alia majori, alia minori mutatione indigent.

Alimenta duplicia. Proinde tam alimenta, quàm venena duplicia erunt: Alia enim sunt nutrimenta, quæ corpori nostro assimilantur, & dum concoquuntur nullâ manifestâ qualitate corpus alterant, quæ absolutè alimenta vocantur. Alia quæ & manifestè agunt & patiuntur aliquid, sed temporis spacio vincuntur, & perfectè assimilantur: quæ absolutè nec medicamenta, nec alimenta vocantur, sed alimenta medicamentosa, aut medicamenta alimentosa. Nam dum à calore nostro concoquuntur, qualitate suâ corpus nostrum non aliter alterant, quàm medicamenta: at peractâ concoctione assimilantur, & in substantiam corporis convertuntur, ut alimenta: igitur & potentiâ activa & passivâ prædita sunt. Horum magna est varietas, pro ut alia magis, alia minus agunt, aut patiuntur à corpore nostro.

Venena duplicia. Similiter δηλητήρια sive venena alia sunt, quæ nullâ substantiæ suæ parte mutata, corpus humanum caloremque nativum vincunt, atq; ad eum ferè modum mutant, quo ipsum cibos, veluti venenum

num viperæ & ſcorpionis, aconitum,&c. Hæc niſi ſubitò expellantur,& cum excrementis prius excernantur,aut cibis aliisque conferentibus miſceantur, in parva etiam quantitate lædunt, & longo tempore poſtquam aſſumta ſunt, interimunt. Itaque deleteria totâ ſuâ naturâ dicuntur, & alimentis propriiſſimè dictis maximè opponuntur. Alia verò ſunt, quæ à calore noſtro initium mutationis accipiunt, deinde in multifarias mutationes vertuntur, quibus corrumpi noſtram naturam contingit: Quæ deleteria non totâ ſubſtantiâ, ſed quantitate dicuntur,quia aſſumpta parvâ quantitate, aut conferentibus mixta ſæpè proſunt: unde nunc medicamenta, nunc venena dicuntur. In horum numero eſt opium,aliaque ſtupefacientia, quæ longo tempore poſtquam aſſumpta ſunt, nunquam interimunt: item nonnulla electivè purgantia, ut helleborus alb. elaterium,&c. quæ non interficiunt, niſi modũ exceſſerint. Cætera de venenis ſuo loco proponemus.

Definitio medicamenti.

Hinc manifeſtum eſt, Medicamentum propriiſſimè dictum, ut à venenis & alimentis diſtinguitur,eſſe,quod initium à calore noſtro accipiens, corpus humanum immutat,ſed nec corrumpit nec nutrit. At in cõmuni ſignificatione,ut comprehendit venena, & alimenta medicamentoſa, eſſe, quicquid corpus humanum inſitâ facultate alterare poteſt. Cum autem omnia corpora animata unius naturæ, aut temperamenti non ſint: & inter agens & patiens,ſcilicet medicamentũ,& id cujus eſt medicamentum,nutritum & nutriens,certa proportio eſſe debeat: fit ut quæ homini, eadem cæteris animalibus alimenta & medicamenta non ſint: imò ut quædam homini ſint venena, (ut cicuta) quæ aliis nonnullis alimenta, (ut ſturno.)

De facultatib. medicament.

His definitis & determinatis in genere: conſequens eſt,ut facultates medicamentorũ, ſecundũ

quas agunt, cognoſcamus. Agit quidem medicamentum omne vi formæ ſuæ ſubſtantialis, (nam omnis actio fit à forma) ſed mediante facultate, ſive qualitate ſuâ, ſine quâ nulla forma corporea efficax eſſe poteſt. Quare in medicamentis efficacia agendi facultati, ut cauſæ proximæ ſemper debetur: & in quolibet medicamento tot facultates ſunt, quot diverſæ actionum cauſæ: cum facultas medicamenti propriè ſit cauſa proxima actionum. Verùm facultas per ſe conſiderata qualitas eſt, conſequens eſſentiam rei: quatenus verò ad actionem refertur, cauſa quædam effectrix vocatur, quâ mediante agit in determinatum corpus. Proinde & medicamentum, & facultas medicamenti, ad aliquid dicitur, ac à propria ſua facultate medicamentum denominatur.

Quid facultas?

Qualitates aliæ actu, aliæ potentiâ.

Inſunt autem qualitates, quibus agit medicamentum & à quibus denominatur, vel actu vel potentiâ. Actu, quando idipſum quod eſſe dicitur, nunc, aut actu abſoluto eſt, ut ignis actu calidus, glacies frigida eſt: nam quod actu dicitur eſſe, id præſens & perfectum eſt. Potentiâ verò, quando idipſum quod eſſe dicitur, nondum eſt, ſed poteſt evadere, ſi exhibeatur vel corpori noſtro admoveatur, leviter immutatum à noſtro calore: ita piper dicitur calidum, & lactuca frigida, licet actu talia non ſint. Nihilominus à Galeno 3. de temperam. ea potiſſimum medicamenta vocantur, quæ poteſtate talia ſunt: poteſtate autem talia hic dicimus, non quia ſuo naturali impetu ad abſolutionem perveniunt, ſicut avem à primo ortu volatilem vocamus: nec quemadmodum quorum propinqua eſt materia, & facilè transmutantur, ut ſanguinem potentiâ carnem, aut ſiccos calamos ignem: ſed quia pro ſua natura & varia commixtione inſitas vires habent, quas actu non exerunt; nec exerere poſſunt,

Quomodo medicamẽta dicuntur poteſtate, & à potentia in actũ deducuntur?

nisi à calore nostro aliquo modo immutentur, subigantur, impedimentaque tollantur. Verùm eâ alteratione calor noster medicamentis nullas peculiares vires impertit, sed proprias insitasque detegit: ac medicamentum vicissim, primùm calori nostro aliquo modo resistit, deinde leviter mutatum, vires latentes exprimit, & in actum perfectum transit, corpusque humanum pro sua natura alterat. Non enim medicamenta potentiâ passivâ, sed activâ definiuntur, nec calidum ullum dicitur, quia à calore nostro initium mutationis habet, facileq; calorem suscipit, sed quia suâ naturâ calefacit: nec frigidũ, quia difficulter à calore superatur, facileq; refrigeratur, sed quia insitâ vi refrigerat. Proinde ut medicamentum vi insitâ in corpus nostrum agat, & à potentia in actum deducatur, id primùm à calore nostro accipit, verùm non subitò sed aliqua temporis mora. Deinde ut ligna citius vertuntur in ignẽ, quò sicciora gracilioraque fuerint, ita medicamenta in tenuiores partes fracta, à calore nostro citius in actum deducuntur. Considerantur autem à medico facultates cujusque medicamenti non absolutè, ut in sua natura medicamentũ est, sed ad hominem comparatum, & prout in hominem, non in aliud agere potest. Igitur quæcunque hominem temperatum, per se calefaciunt, refrigerant; adstringunt, relaxant, &c. ea per se (à Medicis,) calida, frigida; adstringentia, relaxantia, &c. dicuntur.

Dico per se, ut removeantur semper ea, quæ per accidens; nam quæ per se alterant, vi propriâ, immediatè sine alterius alicujus interventu id agunt: quæ per accidens, non suâ vi, immediatè, sed alterius tantum effectus interventu: ita aqua frigida per se refrigerat; at liberaliter affusa juveni robusto, æstate mediâ, laboranti tetano, ex accidente calorem adauget: nimirum quia condensando poros *Facultas alia per se alia per accidens.*

cutis, calorem intro coërcet. Igitur omne quod facultate aliquid esse dicitur, id per se est: cui opponitur id, quod ex accidente.

Differentia facultatum.

Cum igitur facultates medicamentorum sint proximæ omnium actionum causæ, ex effectibus meritò & intelliguntur & distinguuntur. Ex effectibus autem quatuor facultates medicamentorum deprehenduntur: quarum aliæ temperamentum, aliæ formã substantialem medicamenti consequuntur. Quæ autem à temperamento promanant, quia operationum causæ evidentes sunt, qualitates aut facultates manifestæ vocantur: quæ verò à forma substantiali, qualitates occultæ, aut à tota substantia. Illæ ex effectuum ordine & differentia, ut à temperamento promanant, triplices esse deprehenduntur: nimirum primæ, secundæ & tertiæ, ut latiùs infrà apparebit.

Opiniones Medicorũ de differẽtiis facultatum.

I. Opinio omnes vires à primis qualitatibus oriri.

Verùm de his facultatibus, non una est omnium medicorum opinio. Alii enim occultas facultates prorsus negant, omnesque actiones à manifestis & sub sensum venientibus qualitatibus fieri putant, & profluere à primis qualitatibus, quæ determinatæ sunt elementorum causæ, & eorum quæ ex elementis componuntur: cum omnis actio per motum fiat, & à contrario in contrarium, quod in qualitatibus evidentibus tantum locum habet.

2. Opinio est Empiricorum.

Altera opinio, huic planè contraria est, scilicet veterum Empiricorum. Nam Empirici, cunctas medicamentorum facultates nobis occultas esse voluerunt, & quales sint solâ experientiâ & usu constare, & definiri non debere effectibus primarum qualitatum. Unde Pelops Empiricus, præceptor Galeni, medicos rationales ridere solitus fuit, quod semper in ore vocabula calidi, frigidi; humidi, sicci; haberent, quibus balneatores quoque utuntur.

CAP. IV.

3. Paracelsistarũ.

Ab hac opinione in multis discrepat Paracelsus, qui rejectis qualitatibus evidentibus vires consubstantiales excogitavit. Opinantur enim paracelsistæ medicamentorum vires adscribendas nõ qualitatibus evidentibus, sed ipsi substantiæ, viribusque arcanis, quæ sensibus obviæ non sunt. Nam qualitates manifestas per se steriles signaturas, sive rellolaceas qualitates appellant, & accidentia innata solius corporis medicamenti & non alterius gratia, ut frigiditas in glacie, caliditas in igne, in quibus nulla confluentia est cum astris morborum, nec ulla vis sanandi: Facultatem verò consubstantialem medicamenti esse arcanum aut Cherionium naturæ, sive vim tincturâ seminali præditam, in qua scientia & prædestinatio sanationis viget: hanc confluentiam cum morbo habere. Ac proinde medicamenta hujusmodi arcanis & occultis viribus efficacia esse, sicut astra efficacia sunt movendis his inferioribus. Deinde cum morbi sint naturæ Cherioniæ in corpore sine destructione trium principiorum, medicamenta Cherionia ordinanda esse, quorum vires corpora sua deserunt & in naturam ægri spiritumq; vitæ vergunt, & à morbis liberant, ut frigiditas non simplex innata, sed externa qualis in camphora, quæ in substantia suarum partium calida permanet, ut sulphur licet ægrum refrigeret præsentaneumq; remedium sit in inflaturis juxta Paracelsum *lib. 2. de gradibus. cap. 3.* Deinde quemadmodũ vires consubstantiales, ita morbos quoq; consubstantiales esse statuunt: sulphureos, tartareos, scammoneatos, &c. quorũm semina consistunt in his impuritatibꝰ adhærentibꝰ balsamo microcosmi. Quibus opposita sunt medicamẽta substantiæ ratione arcanisq; viribus, trium principiorũ, in vegetabilibꝰ, animalibus, & mineralibus: quorũ maximè propriũ est, impuritates illas balsamo humano adhærentes separare & dissi-

dissipare, ac balsamum ipsum conservare. Ad has vires non sensu sed mente penetrare licet, & artificiosâ resolutione & præparatione, quib⁹ cruda concoquuntur, vitiosa corriguntur, aliena & impura, nullâ seminali tincturâ prædita, separantur.

4. Opinio: vires alias à qualitatibus primis profluere, alias a tota substantia.

Postrema opinio eorum est, qui vires medicamentorum alias occultas, alias manifestas sensibusque evidentes esse putant. Et quanquam omnis actio â forma substantiali producatur, tamen illarũ virium duas proximas causas assignant, ut suprà diximus; unam ipsam medicamenti formam essentialem, alteram κρᾶσιν. Proficiscuntur enim vires illæ occultæ & specificæ immediatè à forma essentiali, sive à tota substantia, quam Galenus interdum totum temperamentum vocat: & non sensibus aut ratione, sed solâ experientiâ deprehenduntur. At vires manifestæ, id est, potentiæ materiales, à temperamento immediatè promanant, ac certâ elementorum mixtura definiuntur, sed determinante ac efficiente formâ substantiali. Forma autem substantialis primum præcipuumque operationis principiũ simplex est, sibique semper similis. Temperamentum verò, instrumentum formæ, magis aut minus suscipit, nec omnes actiones immediatè producit; cum actiones quædã specificæ sint, quæ qualitatibus evidentibus nullo modo attribuantur: Licet negari nequeat, vires illas occultas juvari à qualitatibus manifestis, ut in calefactione succini appareat, quod calefactum paleas attrahat.

Examinantur opiniones.

Hæc media opinio, rationi & experientiæ maximè consentanea videtur: Nam juxta priorem illam opinionem, non solùm cum Empedocle, causæ instrumentales pro principalibus assumuntur; sed etiam qualitatibus evidentibus ea vis tribuitur, quæ ultra naturam earum est, & nulli nisi formæ essentiali debetur: cum nihil ultra suam speciem agat,

gat, & agens effectum sibi proportionalem in materia introducat. Nam operationes admirabiles & occultæ, demonstrant causas earum non esse evidentes sed ipsas formas essentiales: non quòd formæ sibi invicem sint contrariæ, sed quòd principia sint ad contrarias actiones perpetrandas, aut fundamenta actionum, in quibus ratio contrarietatis fundatur. Verùm medicamenta actionis suæ initium ab ægri corpore accipiunt, viresque suas medicinales exsuscitatas à calore nativo primum exerunt, & in naturam spiritumque vitæ distribuunt, tandemque ductu naturæ morbos depellunt, quod per Cherionium suum Paracelsus denotare videtur. Attamen à Cherionio propriè dicto, quod ex complexione calidum aut frigidum est, distinguit *cap. 2. lib. 3.* de gradibus, quintam essentiam sive accidens elementare, id est, specificam formam secundum veteres. Quinta autem essentia ab ipso dicitur, quia in tribus primis quatuor essentiæ delitescunt, cujus natura nec calida, nec frigida est, & citra complexionem firmam sanitatem introducit; sub qua contineri videntur Arcana Specifica, viresq; astrales sive planetares. Deinde ipsæ contrariæ qualitates in suis alterationibus modum servare nequeunt, nec ullum determinatũ effectum producunt, nisi quatenus à forma diriguntur. Unde Paracelsistis tot vires medicamentorum specificæ, seminali tincturâ præditæ, quot substantiæ aut species vegetabilium, animalium, & mineralium: rejectis earum qualitatibus, quas tamen reipsâ non rejiciunt, nec rejicere possunt, ut ex variis scriptis Paracelsi apparet, potissimum libris de Gradibus & Composit: Receptorum; ubi de frigidis & calidis cherioniis eorumque gradibus agit. Nam omnem vim evidentibus qualitatibus adimere, & ad specifica & arcana tantum confugere, est non solùm cum sensibus pugnare, sed

Examinatur opinio Paracelsi.

ſed etiam citra neceſſitatem plerumq; ignotum per ignotius declarare: non enim in rebus evidentibus vel balneatorum judicium medicum contemnere decet. Manifeſtum eſt, omnibus aut pleriſq; medicamentis ſimplicibus, ſub una forma diverſas ſubſtantias ineſſe, pluribus, aliquando contrariis qualitatibus præditas, in quas velut in partes diſſolvitur, ut in rhabarbaro apparet. In qua diſſolutione excellit ars Chymica, medico minimè negligenda: quâ partes viribus diverſis, aut contrariis præditæ ſeparantur, pura ab impuris, ſalutaria à non ſalutaribus ſegregantur, omniaque debite in uſum medicinæ præparautur. Verùm in ea præparatione potentia eſſentialis à ſua ſubſtantia non ſeparatur, ſed tenuiores & interdũ efficaciores ſubſtantiæ partes: cum nihil ſeparabile ſit niſi ſubſtantia. Nec etiam ipſa ſeparatio vires medicamentorum detegit, ſed experientia & ratio, ut ſuo loco apparebit.

DE PRIMIS FACULTATIBUS MEDICAMENTORUM in ſpecie, & quomodo ex primis Secundæ & Tertiæ oriantur.

Caput V.

De primis facultatibus.

HIS declaratis, reſtat ut ſingulas medicamentorum facultates in ſpecie proponamus. Ac primùm, cum medicamenta ſint corpora compoſita ex calido, frigido; humido & ſicco; vel æqualiter contemperatis, ita ut una qualitas alteram non excedat: vel inæqualiter temperatis, ubi una aut duæ cæteras vincunt. Igitur medicamentum aut temperatum erit aut intemperatum. Temperatum aut intempera-

Medicamentum, temperatũ, intemperatum.

temperatum dicimus non absolutè, sed comparatione factâ ad corpus humanum: non quod ullius medicamenti temperatura eadem sit cum humana, nam temperatura hominis non nisi humano corpori debetur: Verùm temperatum hîc vocamus, quia vel assumtum, vel admotum corpori humanó temperato, calorem, aut naturalem ejus humiditatem, nec auget nec minuit, ac proinde quo ad sensum qualitatibus similibus præditum est. Nihilominus quæ qualitate totiusque substantiæ similitudine humano corpori conveniunt, non medicamenta, sed alimenta dicuntur: quare melius temperatum alimentis, intemperatũ medicamentis tribuitur.

Norma temperati & intemperati.

Verùm cum de nulla materia, certa ars constitui queat, sine norma aut regula, ad quam omnis inæqualitatis ratio dirigitur & mensuratur: necesse quoque erit in medicamentis medium aliquod, id est, temperatum statuere, ad quod medici respicientes, omnia intemperata, omniumque medicamentorum vires examinare, & in certo gradu collocare queant. Deinde cum in qualibet specie, peculiariter in humana, detur temperatum & intemperatum, necesse erit in medicamentis, idem contingere, comparatione scilicet permutationis, quàm à nostro corpore suscipiunt. Verùm alia temperata dicuntur, in omnibus qualitatibus, ut oleum, cera, adianthum. Alia in caliditate & frigiditate temperata sunt, quæ manifestè vel humectant, ut glycyrrhiza; vel exiccant, ut mastiche. Alia contrà in siccitate & humiditate temperata sunt, quæ calefaciunt, ut sem. lini; vel refrigerant, ut sempervivum, quod valide refrigerat, sed nihil aut modicè exsiccat.

Intemperatũ quid

Intemperatum medicamentum vocamus, quod assumtum aut admotum corpori humano tem-

& quotuplex.

temperato, calorem aut humiditatem ejus auget vel minuit. Quod autem auget caliditatem corporis temperati, calidum, quod minuit frigidum; quod auget humiditatem humidum, quod minuit, medicamentum siccum vocatur. Proinde medicamentum intemperatum erit quadruplex, & quatuor facultates primæ, quæ assimilantur virtutib9 elementorum & mixtionem consequuntur: scilicet caliditas, frigiditas; humiditas, siccitas. His prima debetur actio, licet pro varia sua intentione, deinde pro modo substantiæ suæ, effectus dissimiles producăt. Dicuntur autem corpora calida, frigida; humida & sicca; vel absolutè, ut elementa, vel per excessum, vel ad symmetrum sui generis aut speciei, vel ad quodvis obvium collatum, ut de temperamentis dictum est. Verùm hoc loco talia dicuntur ad symmetrum in humana specie, id est, ad hominem optimè temperatum collata, quem mensuram statuimus omnium eorum, quæ ad hunc modum dicuntur. Eadem est ratio in duro, molli; & cæteris secundis qualitatibus.

In singulis facultatibus quatuor gradus.

Nam omnium calidorum, frigidorũ, &c. una vis aut æquè valida facultas non est, sed alia magis alia minus nos alterant. Proinde ex effectibus & recessu à temperato, quatuor ordines sive gradus singulis medicamentorum facultatibus medici assignant; nam primus gradus vocatur primus recessus à temperato, ubi obscurè aut non nimis manifestè medicamentum corpus temperatum alterat. Secundus gradus est, secundus recessus, quando manifestè quidem, sed citra noxam agit. Tertius gradus est tertius recessus, quando vehementer, non citra noxam aliquam corp9 temperatum immutat. Quartus gradus est summus recessus, quando vehementissimè & gravissima cum noxa corpus alterat vel corrumpit.

Verùm

Cap. V.

Verùm cum in singulis gradibus intensio & remissio sit, & satis magna latitudo: nam omnia secundo gradu calida aut frigida; non æquè nos calfaciunt aut refrigerant: igitur medici eam latitudinem in tres mansiones, aut partes dividunt: scilicet in principium, medium, & finem. Nam quæ in cujusque gradus principio sunt, remissius, quæ in medio vehementius, quæ in fine vehementissimè agunt. Considerantur quidem quatuor gradus eorumque mansiones, in cæteris quoq; medicamentorum facultatibus, præcipuè in secundis & tertiis: verùm evidentissimè in primis deprehenduntur, quæ causæ sunt secundarum & tertiarum: licet in calidis & frigidis magis accuratè, quàm in siccis, & in his omnibus magis, quàm in humidis. Nam cum humiditas omniũ qualitatum minimè activa sit, fieri nequit, ut cum gravissima noxa corpus humanum afficiat, id est, quartum gradum perfectè atttingat. Deinde cum caliditas omnium qualitatum efficacissima sit: fieri nequit, ut vehementissimè calida sint humida. Verùm nullum quarto gradu desiccat, quod non urit: at tertio ordine complura desiccant, quæ vehementer adstringunt, frigidaque sunt, ut galla omphacitis. *In quolibet gradu tres mansiones & partes.*

Deinde modus substantiæ medicamenti triplex est: Nam medicamenta alia dicuntur tenuis essentiæ aut substantiæ, alia crassæ, alia mediocris. Tenuis substantiæ sunt, quæ celeriter in partes tenues solvuntur, sive promptè facileque sese in corpus nostrũ & humores inserunt & insinuant. Crassæ verò contrà, quæ substantiam corporis aut humorum non penetrant, sed hærent & subsistunt. Mediocris, quæ medio modo se habent. *Differẽtia medicamentorũ ex modo substantiæ.*

Secundæ qualitates communiter dicuntur, quæ à primis promanant, & actiones primarũ consequuntur. Consequuntur autem primas tactiles *De secundis qualitatibus.*

in mixtis, triplices qualitates: quarum aliæ passivæ dici merentur, quia certâ potentiâ aut impotentiâ tantum definiuntur, quibus intelliguntur subjecta iis prædita apta vel inepta esse, ut aliquid patiantur, non agant: qualia sunt, quæ ab *Aristot. 4. Meteor. cap. 8. & 9.* enumerantur: Scilicet τηκτὸν, ἄτηκτον; μαλακτὸν, ἀμάλακτον; πηκτὸν, ἄπηκτον, σχιστὸν, ἄσχιστον; τμητὸν, ἄτμητον; καυστὸν, ἄκαυστον, &c. Deinde consequuntur primas tactiles qualitates, præter colores, odores, sapores, cæteræ tactiles qualitates, ut durities, mollities; tenuitas, crassitudo; tensio, laxitas; asperitas, levitas; viscositas, friabilitas, item raritas, densitas; plenitudo, vacuitas, &c. Quorum omnium respectu propria sensoria tantùm afficiuntur, & non cæteræ partes corporis: nam per se vi alterandi præditæ non sunt, sed mollities, durities; tenuitas, crassities; & similes qualitates, tantùm termini sunt alterationum, quibus intelligitur subjectum iis præditum non agere, sed aliquid jam perpessum esse: aut habitus sive affectus sunt actu existentes, quibus distinguuntur omnia similaria corpora. Hæ à prioribus illis, quas passivas vocavimus, distinguuntur, ut id quod actu & posterius, ab eo quod potentiâ & prius: nam quod indurabile est, id actu durum non est, sed molle, potest tamen quatenus indurabile, durum facilè evadere. Tertiò consequuntur primas, quæ viribus primarum agunt, & activæ dicuntur, ac potentiâ activâ definiuntur: quia subjectum iis præditum aptum est, ut certo & determinato modo in aliud agat: nimirum ut subjectum habile à suo statu in contrarium alteret. Status autem illi sunt qualitates, quas habitus subjecti, & terminos alterationum suprà vocavimus: durities, mollities; raritas, &c. Habile verò est subjectum, præditum potentiâ passiva: scilicet

Triplices qualitates consequuntur primas.

licet indurabile, extenuabile, ſive quod ex molli, durum; ex craſſo, tenue fieri queat, &c. Igitur emolliens, quod corpus durum molle reddit; extenuans, quod craſſum tenue, &c. ſecundæ facultates medicamentorum tantùm dicuntur: Cæteræ qualitates minus propriè. Verùm ut omnis motus à contrario in contrarium fit; & omne agens in relatione ad ſuum patiens dicitur, ac ab effectu denominatur: ita in his activis qualitatibus earumque alterationibus evenit, ac proinde ex prioribus intelliguntur & diſtinguuntur. Alterationes verò harum qualitatum, ſcilicet induratio, extenuatio & ſimilia, in patiente affectiones & paſſiones ſubjectorum appellantur. Ex affectione verò & paſſione affectus, durities aut mollities, terminus alterationum gignitur. Conſiderantur quidem hæ omnes qualitates in medicamentis: nam potentiâ quoq; paſſivâ præditæ ſunt. Verùm cum medicamenti, quatenus medicamentum, proprium ſit corpus humanum alterare, & à ſtatu non naturali ad naturalem reducere: Igitur in corpore humano ſanabili, ejuſque contentis, diſpoſitiones aut ſtatus illi conſiderandi erunt, ſcilicet durities, mollities; tenuitas, &c. quatenus ſunt affectus præter naturam, & remediũ indicant: in ipſis verò medicamentis, quatenꝰ medicamenta, activæ iſtæ qualitates, nimirum indurans, emolliens, &c. quæ ſemper à morbo vel morbi cauſa indicantur. Nam quod in corpore præter naturam tenue eſt, indicat remedium non craſſum, ſed incraſſans; durum indicat remedium nõ molle, ſed emolliens. Dico autem medicamentum non tenue, & molle, ſed extenuans, vel emolliens: quod ipſa vis extenuandi & emolliendi in medicamentis, non proficiſcatur à tenuitate aut mollitie ejusdem, ſed ab ipſis qualitatibus primis pro modo materiæ: aut quod actiones iſtæ ſecundæ, primarum qualitatum

Quæ propriè dicantur ſecundæ facultates medic.

actiones consequantur, iisdem vestigiis insistentes: Nam calidum medicamentum primùm calefacit, pòst si tenuis essentiæ, attenuat, rarefacit, &c. Eadem est ratio in cæteris. Itaque promanant actiones secundarum facultatum in medicamentis, à primis, sive ab ipso temperamento propriè: & reipsâ secundæ facultates nil aliud sunt, quàm peculiares dispositiones primarum qualitatum in materia; aut certi operationum modi, quibus corpora nostra alterantur: in primis enim qualitatibus pugna & contrarietas consistit. Verùm primæ facultates earumque actiones, quæ temperamentum medicamenti immediatè consequuntur, magis formales dicuntur, quæ per se primò nudam intemperiem alterant, & morbis similaribus sine materia tantum conveniunt. At secundæ qualitates earumque actiones, ut rarefacere, condensare, quæ primas consequuntur, magis materiales dicuntur, quia circa materiã propriè versantur, morbosque à materia & secundam corporis compositionem respiciunt. Odores verò, colores, sapores medicamentorum: item durities, mollities, & similia, facultatibus medicamentorum non annumerantur, ut dictum est: quia respectu horum propria sensoria tantum afficiuntur, & non cæteræ partes corporis à suo statu alterantur: sed notæ potius sunt primarum & secundarum: præcipuè verò sapores gustus qualitates, quia viribus primarum gustum alterant, & naturam secundarum præ cæteris æmulantur, ut infrà apparebit. Facultates autem medicamentorum, quæ à primis qualitatibus promanant, ex effectibus duorum generum esse deprehenduntur: aliæ enim sunt quæ indeterminatè, in quamvis partem humani corporis vel humorem eodem modo agunt, quæ secundæ facultates medicamentorũ speciali nomine dicuntur: aliæ quæ determinatè, in certum aliquod membrum

Actiones secundarũ promanãt à primis pro modo materiæ.

brum

brum aut humorem agunt, quæ ab Averrhoe & plerisque recentiorum tertiæ facultates nominantur.

Facultates autem quæ propriè secundæ dicuntur, ex effectibus, ut supra diximus, variæ numerantur, præcipuè verò sunt hæ, quæ oppositis viribus distinguuntur: emolliens, indurans; intendens, relaxans; rarefaciens, condensans; incrassans, & attenuans; incidens, & viscidum reddens; item attrahens, repellens; vasa aperiens, & occludens sive adstringens: obstructiones tollens, & infarciens; detergens, & oblinens sive emplastica; agglutinans, exulcerans; exasperans, lævigans; his adduntur: evacuans, replens; dolorem leniens, & irritans; flatus discutiens, & generans; maturans sive concoquens, & putrefaciens, &c. *Facultates secundæ.*

Tertiæ facultates, quæ determinatum membrum, aut materiam respiciunt; particulares facultates aut qualitates interdum vocantur, & mediæ quodammodo naturæ videntur, inter facultates secundas & quartas à tota substantia. Nam ut Averrhoes testatur, magna ex parte dependent à forma substantiali: unde Fernel. aliique plures tres tantum medicamentorum facultates constituunt, & has vel ad secundas, vel ad occultas referunt. Nihilominus quia modo non occulto, ut quartæ, sed evidenti ut secundæ, detergendo, aperiendo, attenuando, &c. agunt in determinatam materiam, ab utrisque non incommodè distinguuntur, aut utrisq; participant, utrasque vires obtinent: nam si modū agendi respicias, evidentibus qualitatibus magis annumerantur, sin materiam in quam agunt, magis occultis. Ejusmodi facultates duplices sunt; aliæ enim respiciunt contenta, aliæ ipsas partes continentes. Quæ respiciunt contenta, sunt lac, vel semen excitantia, & comprimentia; menses, aut uri- *Facultates tertiæ.*

nas moventia, & sistentia; calculos minuentia, &c. Deinde quæ determinatas partes respiciunt, à partibus illis denominantur: unde alia medicamenta cephalica dicuntur, quia manifestâ qualitate cerebro prosunt, alia cardiaca, quia cordi, alia hepatica, splenetica, bechica, &c. quatenus igitur vires istæ manifesta qualitate & modo evidenti agunt, à secundis differre non videntur, quatenus verò non in omnem, sed in determinatam materiam agunt, & medicamenta cephalica, cardiaca, hepatica, splenetica, &c. dicuntur, ad occultas facultates reducuntur. Itaque diverso respectu ab aliis tres, ab aliis quatuor medicamentorum facultates enumerantur.

Causa secundarũ & tertiarum facultatum.

Promanant autem qualitates istæ evidentes, à materia medicamenti perfusa qualitatibus primis, sive à primis qualitatibus; pro modo materiæ iisdem vestigiis insistentes: non quòd materia per se sola aliquid agat, sed quòd primis qualitatibus in agendo, majorem aut minorem aptitudinem tribuat. Materia autem, ut diximus, vel est tenuis, quæ altè sese in corpus & humores infert, sive in tenuia facilè solvitur; vel crassæ substantiæ, quæ sese non infert; aut mediocris. Pro modo materiæ qualitas actiones suas variat: nam summa caliditas in materia tenui & aërea flammæ correspondet, in crassa terreaque prunis aut ferro candenti, in media aquæ ferventi: quæ tria eodem modo non urunt, licet medicamentum nullum adeo urat ut flamma, pruna, aut aqua fervens. Quæ est ratio in summa caliditate, ea est in remissa, atque etiam in frigiditate. Verùm caliditas pro sua intensione, omni materiæ celeritatem agendi tribuit; contrà frigiditas: deinde caliditas eorum, quæ tenuis sunt essentiæ vires auget, & quæ crassæ sunt minuit, sive longius quàm pro sua natura deducit; contrà frigiditas, quæ

homogenea & heterogenea in unum cogit. Proinde medicamentum tenuis ſubſtantiæ, ſi temperatum fuerit, ut adiantum, nonnihil rarefacit & attenuat, ſed minus evidenter, quàm calidum : ſin evidenter calidum ut fœniculum, validè attenuat, penetrat, diſcutit, aperit, adeo ut urinas & ſudores moveat : ſi validiſſimè calidum, ut euphorbium, lepidium, inflammat, urit, diſſolvit, colliquat. Verùm ſi frigidum fuerit, qualia ſunt plæraque acida, foras repellit, intus humorum ferociam reprimit : ſi validius, partes penetrat, mordet & vellicat. Deinde medicamentum craſſæ eſſentiæ, ſi nonnihil temperatum, obſtruit, lævigat, infarcit, minus tamen, quàm frigidum : ſi calidum ſit, ſed ita temperatum, ut ſeſe inferre nequeat in humores & meatus corporis, corroborat, leviterque adſtringit : ſi vehementer calidum, ut meatus ſubeat, abradit, expurgat, exaſperat : ſin ſummè calidum, ut calx viva, vehementiſſimè mordet, vellicat, abradit, exulcerat, ut cruſtam inducat. Nam calida craſſarum partium magis vellicant & mordent, quàm tenuium, contrà frigida tenuium magis, quàm craſſarum partium : Interdum enim calida tenuium partium omninò non mordent, ſed duntaxat calefaciunt, & licet aliquando mordeant, non tamen exulcerant : at vehementiſſimè calida craſſarum partium, ſemper vellicant & exulcerant : Frigida verò craſſarum partium omninò non penetrant, nec humorem ullum introducunt, ſemperque adſtringunt ; aſſumta, vaſa obſtruunt, humores incraſſant, fluxiones ſiſtunt, foras repellunt, condenſant, cicatricem inducunt. At quæ tenuium ſunt partium, ſi inæqualem nacta fuerint temperiem, valenter mordicant. Poſtremo, medicamentũ mediocris eſſentiæ, medio modo ſe habet : nam ſi temperatũ ut oleum, leviter emollit, maturat : ſi calidum, modicè dolores lenit,

relaxat: si intensè calidum, rarefacit & discutit, sed minus quàm id quod tenuis substantiæ est; abstergit, incidit & expurgat, sed non valenter abradendo, ut id quod crassæ essentiæ est: si calidissimum, violenter expurgat & exulcerat. Hinc manifestæ erunt causæ secundarum qualitatum, & quomodo à primis oriantur, ac actiones primarum consequantur: de singulis secundæ facultatis speciebus, deinde de tertiæ, tandem de quartæ, ordine dicemus.

DE SECUNDIS MEDICAMENTORUM FACULTATIBUS IN SPECIE

Caput VI.

In speciebus secundæ facultatis medicamentorum explicandis, initium sumemus ab indurante & emolliente. Indurans autem & intendens tantam affinitatem habent, ut alterum pro altero plerumq; sumatur: nam quod tensum est, ut plurimum durum dicitur; nihilominus omne quod induratum est, intensum propriè dici non debet, nimirum quod sine substantiæ suæ incremento vel decremento tactui non cedit. Proinde indurans propriè non erit, quod tenuis substantiæ partes dissolvendo aut exprimendo ipsum corpus cogit, aut quod materiæ alicujus influxu distendit; sed quod manente naturali humido, corpus minus aptum reddit, ut tactui nostro cedat. Tale Galeno frigidum humidumque est, sine manifesta adstrictione, ut lenticula palustris, portulaca, sempervivum & similia: in quibus tamen frigiditas maximè dominatur, humiditas verò moderata est: & plerumque ex duplici substantia constant, terrea scilicet & aquea, qualis in sempervivo

Medicamentum indurans & emolliens.

pervivo conspicitur. Proinde μαλάκτικα emollientia, quæ indurantibus opponuntur, calefacientia erunt, sed non ultra secundum grad. (nam intensa caliditas magis discutit aut attrahit, quàm emollit) deinde modicè siccantia aut temperata in siccitate & humiditate, non crassarum partium: licet nonnulla emollientia interdum dicantur, quæ validè exsiccant, ut opopanax, ammoniacum, galbanum, iris, &c. alia quæ manifestè humectant, ut oleum amygdalarum dulc. violarum, &c. Sed nec hæc perfectè, nec illa propriè emollientia sunt, nisi contrario temperentur. Ex genere emollientium potissimum sunt: sem: lini, fœnugræci, Althæa, malva arefacta. Verùm pauca sunt emollientia, quæ non calefaciunt & discutiunt, ut pleræque axungiæ, medullæ, Osypus, &c. Unde plerique emollientia à relaxantibus non discernunt.

Intendens & relaxans.

Deinde tensio partis fit, vel exsiccatione, à calore humidum depascente; vel concretione, à frigore congelante, aut tenues partes exprimente; vel repletione, ex humore influente: aliquando ex harum conjugatione. Igitur intendens triplex primum erit: unum exsiccans, aliud congelans, tertium replens. Et relaxans, quod intendenti opponitur, triplex quoque: nimirum humectans, calefaciens, evacuans: Igitur sub relaxantibus evacuantia; sub intendentibus replentia contineri poterunt. Verùm quæ intenduntur nimiâ exsiccatione, relaxantur humectantibus, ut sunt viola, malva recens, oleum amygdalarum dulc. &c. quæ intenduntur frigore, relaxantur calefacientibus, & emollientibus, ut anetho, meliloto, camomilla, althæa, sem: lini, adipe anseris, &c. quæ intenduntur repletione ex humore influente, relaxantur evacuatione vel insensibili, vel sensibili & manifestâ. Insensibili enim evaporatione, materia in habitu corporis emollien-

tibus, rarefacientibus, attenuantibus, discutientibus, nonnunquam attrahentibus & absorbentibus dissolvitur: verùm aliquando, ut in initiis inflammationum, repellentibus & exprimentibus, materia revocatur: quod si verò repelli aut dissolvi nequeat, primùm maturantibus & pus moventibus præparatur, deinde vomicam aperientibus & abstergentibus educitur. Ubi verò materia vasa distendit aut obstruit, primùm attenuantibus, incidentibus præparatur, deinde aperientibus, expurgantibus, & abluentibus educitur. Si ex duarum aut trium causarum conjugatione oriatur tensio, pro modo & diversitate affectus, relaxans medicamentum erit: aliud enim relaxans in phlegmone convenit, quàm in scirrho, ubi nec nimium exsiccans, nec nimium calefaciens, aut discutiens prodest, sed quod congelatũ humorem fundit, & quod fusum est, discutit.

Diaphoretica. Propriissimè verò relaxantia dicuntur, quæ rarefaciunt & attenuant, ut quæ diaphoretica communiter vocantur, licet sub diaphoreticis à pluribus sudorifera comprehendantur. Diaphoretica autem hic appellamus, quæcunque humores in halitus dissolvunt, vel contenta corporis per cutem dissipant. Talia omnia, tenuium partium, calida siccaque sunt, non ultra tertium gradum: nam quæ vehementer calida sunt, adurunt aut attrahunt magis, quàm rarefaciunt & discutiunt: Omne autem diaphoreticum rarefacit & discutit. Rarefacere autem nihil aliud est, quàm id quòd crassum solidumque est, tenue & porosum reddere, quod fieri nequit nisi penetrando, aut ea quæ intra partes sunt dissolvendo. Horum omnium similis efficacia non est: nam alia leviora sunt, emollientibus vicina aut similia, quæ poros cutis rarefaciunt, tenues humores digerunt, crassos tantùm concoquunt, unde simplici-

Rarefacientia.

ter rarefacientia dicuntur, ut camomilla, melilotus, anethum recens, parietaria, &c. Modice rarefacientia & quæ his vicina ſunt emollientia, quia contemperando cutemq; relaxando cauſam doloris mitigant, Anodyna propriiſſimè dicuntur: Verùm communiter Anodyna ſunt, quæcunq; dolorem tollunt. Tollitur dolor tribus modis: Uno Anodynis propriè dictis ſive Paregoricis, quæ noſtro calori ſimilia ſunt, cauſam doloris demulcent concoquunt & æquabilem reddunt, tenuitate partium rarefaciunt poroſque aperiunt, ut Melilotus, Camomilla, Malva, Oeſypus. Deinde tollitur dolor iis omnibus, quæ cauſam doloris tollunt: Veluti ſi cauſa ſit ab intemperie calida frigidis: Si à frigida, calidis: Si à materia, evacuantibus, &c. Tertiò omnibus iis, quæ ſenſum partibus adimunt, nim: Narcoticis propriè dictis, quæ ſua natura vehementiſſimè refrigerant & torporē inducunt, ut Opium, Mandragora, Hyoſciamus, &c.

Anodyna.

Narcotica

Præterea alia relaxantia fortiora ſunt attrahentibus vicina, ſed debiliora, quæ rarefacta cute craſſos humores attenuant, & in halitus diſſolvunt, ut per ſe facilè diſſipentur & diſcutiantur: unde attenuantia & diſcutientia, aliquando ſimpliciter diaphoretica dicuntur, ut origanum, pulegium, ruta, laurus ſem: calida, &c. Quare condenſantia, quæ rarefacientibus, deinde incraſſantia, quæ attenuantibus opponuntur, & ſpiracula cutis humoreſque cogunt & incraſſant, frigida craſſarumque partium erunt, & modicè adſtringentia, qualia ſunt plantago, myrtus, roſa, & ſimilia. Huc referri poterunt vehementer frigida, ut papaver, mandragora, &c. Nam ſi quis modicè iis utatur, condenſant, incraſſant; ſi liberalius, ſtupefaciunt; ſi liberaliſſimè mortem inducunt.

Attenuantia et diſcutientia.

Condenſantia, incraſſantia

Atte-

Attrahentia. Attenuantibus vicina ἐπισπαστικὰ ſive ἑλκτικὰ latinis attrahentia, quæ foris impoſita, humores aut vapores ex alto in ſumma corporis transferunt & diſcutiunt. Attrahentium autem varia materia: alia enim occulta materiæ proprietate aut ſimilitudine attrahunt, ut cancer fluvialis tritus & impoſitus tela attrahit, ſcorpius ſuum venenum: alia metu vacui, ut cucurbitulæ, de quibus hic non dicemus. Alia manifeſta qualitate, ſcilicet calore, vel inſito ut ſinapi, vel adſcititio aut contracto ex putredine ut fermentum, ſimus columbinus, anſerinus, &c. Omnia autem quæ manifeſtâ qualitate attrahunt, evidenter calida, tenuium partium, & ſicca ſunt: nam intenſus calor ſuâ naturâ attrahit, & eò magis quò magis intenſus: ſiccitas & tenuitas ſubſtantiæ adjuvant. Quare quæ calida ſunt non ſupra ſecundum gradum, ut propolis, ammoniacum, bdellium, &c. leviter tantum attrahunt: quæ 3 gradu calida ut ariſtolochia, calamintha, caſtoreum, tapſia validè attrahunt & diſcutiunt: quæ 4. gradu ut ſinapi, naſturt. lepidium, euphorb. validiſſimè attrahunt, humores colliquant, rubificant, aut puſtulas excitant. Ac proinde ſub attrahentibus interdum continentur Dropaces, Sinapiſmi, Phœnigmi, quæ id quod extenuantibus & attrahentibus attenuari & diſcuti nequit, violenter attrahunt, diſſolvunt, colliquant & conſumunt: quorum uſus eſt purgato tantum corpore.

Repellentia. Ex quibus apparet ἀποκρουστικὰ, id eſt repellentia, quæ non ad ſe foras, ſed à ſe ad interiora, ſive à loco cui admoventur, humores movent & reprimunt, frigida eſſe craſſarumque partium. Verùm de repellentibus non conſentiunt medici: alii enim ſub reprimentibus comprehendunt omnia adſtringentia; alii non ſolùm adſtringentia, ſed etiam ob-

hinentia,

finentia, incrassantia, oppilantia; contrà plurimi sub adstringentibus reprimentia ponunt, & alia adstringentia repellere, alia non repellere volunt. Verùm cum adstringere sit cogere, partes firmare, & motum humorum sistere; repellere verò sit humores ad interiora revocare: propriè idem adstringens non est quod repellens, nec omnia repellentia, adstringentia: nam multa evidenter frigida per se humores repellunt, quæ non manifestè adstringunt, ut hyoscyamus, papaver, lactuca, psyllium: Deinde nonnulla calida adstringunt, quæ non ita propriè repellunt, ut spica, cassia, aloe, absinthium. Nihilominus quæ validè adstringunt, evidenter repellunt, talia naturâ frigida sunt, crassæ substantiæ, ut plurimùm saporis acerbi aut austeri, ut galla, acatia, balaustia, &c. quod enim crassæ substantiæ est, quò frigidius, magis adstringit. Quæ minus validè adstringunt, ut rosæ, semen coriandri, cotonia, santala, &c. viscera partesque firmant & corroborant. Verùm nonnulla repellentia tenuis sunt substantiæ, quæ minus adstringunt quàm repellunt, quia altè penetrant, ut camphora, santalum, & similia. Nihilominus adstringere, quemadmodum & dilatare latè sumitur: Nam adstringere communiter dicitur quod cogit, partes roborat, intendit, condensat, oblinit: humores incrassat, repellit, refrenat: vasorum orificia stringit, constipat, aut infarcit. Contrà dilatare. At propriè συπτικὸν sive adstringens medicamentum, secundum Averrh. idem est quod Galeno στεγνωτικὸν, scilicet quod orificia venarum adstringit: Quâ significatione facultas συπτικὴ & ἀναστομωτικὴ opponuntur, ac vis συναγωγικὴ à styptica distinguitur. Nam adstringens hoc modo sumptum, non est quod tenues meatus aliquo modo cogit aut infarcit, sed quod orificia vasorum

Quomodo distinguitur repellens & astringens.

Corroborantia & firmantia partes.

στεγνωτικὰ & συνάγωγα quomodo distinguuntur, &c.

pro-

propriè contrahit,totumq; instrumentum undique constringit,& sensibiles evacuationes cohibet: quo nomine adstringentia sive στεγνωτικὰ à condensantibus & incrassantibus distinguuntur. Medicamentum verò obstruens,sive meatus infarciens est,quod orificia vasorum tantùm opplet: opplet autem,quia sistendo fluxum humorum, & cohibendo evaporationem, facit ut vasa impleantur, & impleta obstruantur. Utrumque naturæ frigidæ sine omni acrimonia & mordacitate est. Verùm quæ orificia vasorum & meatus adstringunt, magis sicca & crassarum partium,sive substantiæ prorsus terrenæ sunt, ut galla,balaustia,cæteraque acerba & austera. Quæ verò vasa infarciunt & obstruunt, emplasticis similia sunt, substantiæ lentæ,viscosæ,ut infrà dicemus: Nam ut orificia vasorum constringantur, requiritur ut medicamentum incumbens, ob substantiæ suæ crassitudinem, ne exiguos quidem meatus penetret, & propter frigiditatem partes premens, & undiquaque contrahens, vicina corpora cogat, unde toto instrumento undique se contrahente, evenit ut orificia vasorum claudantur, & quasi manibus foris comprimentibus, constringantur. Nihilominus nonnulla adstringentia vehementer calida sunt,ut calchantum,& similia, sed ea ex contrariis naturis,calida & frigida, composita sunt, & mordacia,quare stegnoticis propriè nō annumerantur. Vis στεγνωτικὴ & ἀναστομωτικὴ opponūtur, quemadmodum σταλτικὴ & ἐκφρακτικὴ. Est autem

Ἀναστομωτικὰ,& ἐκφρακτικά.

ἀναστομωτικὸν,quod orificia vasorum recludit,ἐκφρακτικὸν,quod materiam meatibus impactam sive infarctam extergit & evacuat. Cum autem orificia à frigidis nulla mordacitate præditis claudantur, necesse erit à calidis mordacibus recludi & deobstrui. Calida autem quæ orificia vasorum aperiunt,

riunt, absolutè tenuium partium non sunt, quæ promtissimè substantiam vasorum penetrant, sed nonnihil crassarum, cum mordacitate quadam, ut expultrix facultas in parte excitetur: qualis vis in allis, cœpis, cyclamine, felle tauri, & similibus reperitur, quæ admota hœmorrhoides aperiunt. Averrhoes tres gradus operationum in anastomoticis statuit: unum humores abstergendi, alterum aperiendi, tertium orificia dilatandi. Verùm hi gradus non sunt unius facultatis, sed diversarum, licet una alteri subserviat: deinde vis abstergendi in deobstruentibus, aperiendi & dilatandi orificia venarum in anastomoticis potius consideratur & requiritur.

Detergentia & deobstruentia.

Nam ῥυπτικὸν extergens, & ἐκφρακτικὸν deobstruens, interdum pro eodem sumuntur, differunt potissimum duobus modis: Primò quod ῥυπτικὸν superficiem corporis & externos meatus (ut in ulceribus) expurgat: ἐκφρακτικὸν internas cavitates Deinde quod extergens calidius sit & magis tenuium partium, quàm obstruens. Cum enim exteriores meatús angustiores sint internis, requiritur ut vis extergens altius penetret, quàm deobstruens: unde absinthium intus meatus validè expurgat, foris non, nam cum amaritudine acerbitatem habet, quæ tenues meatus non subit. Utrumque medicamentum calidum propriè est, & substantiæ nonnihil crassæ, cum aliqua mordacitate, qualis vis in plærisque amaris & nitrosis deprehenditur; licet nonnulla detergentia sint, quæ ob partium diversitatem frigida dicantur, aliqua dulcia. Crassitudo autem illa substantiæ, mediocri tantum suâ adstrictione, caloris transitum non impedit, sed promovet & conservat, facitq; ut medicamentum tamdiu moretur, vellicãdo & abradẽdo crassos lentosq; humores,

mores, donec cedant: ſiccitas verò cum calore craſſa lentaque diſſolvit, ut facilius abradantur & expurgentur: nam calor penetrando, craſſam materiam ſecum deducit, & ſimul ob craſſitiem, quicquid obvium eſt incidit, ſecumq; rapit & expurgat. Ad ἐκφρακτικὸν reducitur λεπτικὸν extenuans & τμητικὸν incidens: Ut enim vaſa infarctu liberes, requiritur ut craſſa extenuentur, lenta & viſcida incidantur & diſſecentur. Ac ἐκφρακτικὸν id communiter vocari ſolet, quod materiam extenuat incidit & ſimul meatus expurgat. Extenuantium autem & incidentium ſimilis materia eſt, magna ex parte calida, ſicca: interdum frigida tenuium partium, ut acetum: Verùm extenuans magis tenuium partium eſt, & non ſemper evidenter calidum, ut adiantum, aſparagus, &c. Incidens verò magis craſſarum, ſed à calore ita attenuatum, ut longè penetrare, & lentos viſcidosq; humores adhærentes diſſecare, dividere & ſeparare queat, ut hyſſopus, &c. Sed hæc omnia pro diverſitate humoris peccantis variant plurimum: ſemper enim calidis humoribus frigidiora conveniunt, ut cichoracea, & frigidis calidiora, ut chamædris, &c. Poſt materiæ extenuationem & inciſionem ſi non cedat, meatus acrioribus expurgari & abſtergi debent: Verùm pro natura partium alia atque alia expurgantia & deobſtruentia conveniunt; validiora pro liene, quàm pro jecore, & pro jecore, quàm pro ventriculo, ob vias patentes & vicinas. Quare huc referuntur, quæ per os aut alvum manifeſtâ qualitate evacuant; deobſtruentibus cognata ſunt, quæ per os & alvum manifeſtâ qualitate evacuant. Evacuant autem per alvum alia ſpecifica formâ, nimirum cathartica propriè dicta, de quibus infrâ. aliâ manifeſtâ qualitate: quæ autem manifeſtâ qualitate per alvum evacu-

evacuant, ὑπακτικὰ sive lenientia communiter dicuntur. Hæc unius naturæ non sunt: Nam quatuor modis evacuare putatur, undè ὑπακτικὰ quadruplicia dicuntur, nimirum lubricantia, abluentia, detergentia & comprimentia. Lubricantia autem sunt, quæ vias ductusque inæquales lævigant, ut humores adhærere nequeant; inæqualitas enim sive asperitas viarum motum impedit, lævitas vias æquales & patentes reddit, ut humores sine impedimento defluant. Igitur lubricantia lentâ pinguique substantiâ prædita sunt, modicè calida, cum aliquâ tenacitate, qualis vis est in oleosis & pinguibus: cujus generis sunt malva, althæa, cassia, manna, jura pinguia, pruna & similia.

Hypactica quadruplicia.

Lubricantibus abluentia & detergentia contraria videntur; nam hæc non oblinendo, sed sordes diluendo vias complanant & lævigant: utroque enim modo lævigatio fit, & à contrariis exasperatio. Verùm sub detergentibus abluentia plerumq; continentur. Propriè tamen abluens dicitur, quòd superficiem partium expurgat: Detergens verò, quod altius penetrans, & tenuiores meatus subiens, sordes educit. Deinde abluentia magis aqueæ sunt naturæ, minusque mordent & calefaciunt, ut serum lactis, aqua hordei, jus galli, hydromel, jus brassicæ, mercurialis: Detergentia magis calefaciunt, exsiccant, altius penetrant, vellicant & abradunt: qualia sunt, ut diximus potissimum nitrosa & amara, ut aloe, centaureum minus, aristolochia: item nonnulla dulcia, prædita aliquâ acrimonia, ut mel, &c. Tandem comprimentia non per se immediatè alvum expurgant, sed dum vasa contrahunt, ut humor contentus exprimatur; igitur impropriè aut ex accidente leniunt: talia omnia adstringentia sunt, ut myrobalani, mastix, tamarindi, &c. Huc

Abluentia.

Detergentia.

Comprimentia.

etiam referuntur, quæ in ultima menſa exhibita, poſt cibos, alvum lubricant, ut cydonea, pyra, & ſimilia. Similis ratio in cæteris partibus ut in alvo, veluti in faucibus, alia exaſperata leniunt, alia ſordes abluunt, alia meatus expurgant, alia comprimunt & influxum humorum repellunt. Item vomitum manifeſtâ qualitate provocant, alia lubricando, alia abluendo, alia detergendo, nonnulla flatus & extenſionem faciendo, quatenus ſuperius os ventriculi irritant, ut compreſſo fundo contenta ſurſum extrudat. Sed de his alio loco plenius agemus.

Emplaſtica. Abſtergentibus oppoſita ſunt, Emplaſtica, quæ tenacitate ſuâ meatus infarciunt, tenuesq; humores incraſſant, ſed manifeſtè non adſtringunt: aliud enim eſt meatus oblinere & obſtruere, aliud adſtringere & coarctare. Emplaſticorum autem duplex eſt materia: una planè terrea & ſicca, ſine evidenti frigore & calore, ut amylum, lithargyrum, ceruſſa, tuthia, terra Samia, &c. alia lenta & viſcoſa penitus, miſta ex terreis & aqueis, aliquando ex aëreis, ut oleum dulce, cera potiſſimum lota, quod in lacte caſeoſum eſt, pinguedines quæ carent acrimoniâ, &c. His omnibus addunt nonnulli, quæ non ſolùm tenues humores exſiccãt, ſed etiam evidenter adſtringunt, meatusq; coarctant, quæ propriè emplaſtica non ſunt, ut ſanguis draconis, alumen, &c. Medendi ratio poſtulat, ut poſt repellentia parti, cui materia impacta eſt, diſcutientia adhibeantur: quod ſi materia diſcutientibus nõ cedat, vel ad cutem attrahenda & validioribus diſcutienda, vel abſorbenda, vel ad ſuppurationem perducenda. De attrahentibus ſuprà dictum eſt. *Abſorbentia.* Abſorbentia autem ſunt, quæ valida exſiccandi & extenuandi vi humores frigidos impactos, & tumores œdematoſos & aquoſos, aliquando ſcirrhoſos, ſed præmiſſis emollientibus

bus & atenuantibus absumunt. Hæc validè discutientibus vicina sunt, sed magis exsiccantia, adeò ut materiam magis depascant & absorbeant quam dissolvant, cujus generis sunt sal, alumen, nitrum, sulphur, calx, cineres herbarũ nitrosarum: unde cum aqua aliquando admixta vino, aut aquæ vitæ varia fiunt lixivia, interdum cum cera & oleis convenientibus unguenta & emplastra.

Si materia calidior fuerit & discutientibus nõ cedat, suppuratio tentanda erit. Εκπυητικὸν, id est, suppuratoriũ, emplastico simile est, eiq; cognatum πεπαστικὸν: nam utraque & ἐκπύησις & πεπασμὸς est quædam πέπανσις, id est, maturatio, concoctio, sive vitiati humoris in convenientiorem naturæ statum deductio. Verùm suppuratio est, humoris corrupti extra venas, in pus conversio: πεπασμὸς verò est, humorum qualitate nocentium, intra venas potissimum, non in pus, sed in benigniorem naturam conversio: Utrumq; naturæ opus instrumento caloris. Verùm quod substantiam caloris nativi adauget, nec qualitatẽ ejus intendit, sed æqualem accendit ei, qui est in homine secundũ naturã, id propriè suppuratorium est. Proinde medicamentum suppurans naturæ humanæ simillimum erit, magisq; temperatũ, quàm ullum emolliens: nam emolliens paulum humoris, qui præfuit in partibus induratis, absumit: suppuratoriũ totum conservat. Ut autem substantiam caloris nativi conservet, nõ qualitatem ejus intendat, necesse est ut temperatũ sit cum lentore quodam ut emplastica, quo poros corporis obstruat, & humorũ effluxũ prohibeat: Unde emollientia & relaxantia, quæ humores in halitus dissolvũt, pus propriè nõ gignũt. Verùm cũ temperamentorũ magna sit varietas, accidit ut idem respectu unius sit suppuratoriũ, quod alterius sit discutiens, expurgãs,

Suppuratoria.

aut sarcoticum : ut ficus, radix altheæ, liliorum, terebinthina, & similia. Suppuratoriis opponuntur σηπτικά, de quibus infrà. In tumoribus genito pure, & aperta vomica ferro, igne aut medicamentis causticis, pus & sanies primùm expurganda erit detergentibus, deinde cavitas ulceris implenda sarcoticis, tandem ulcus plenum consolidandum, inducta cicatrice epuloticis. De natura detergentium jam dictum est. Medicamentum autem perfectè

Sarcotica σαρκωτικὸν nullum dici potest; nam carnis gignendæ materia est sanguis bonus, efficiens aut opifex non medicamentum, sed natura illius partis cui caro superinducitur, quæ consistit in apta temperatura. Proinde ut ulcus carne impleatur, requiritur ut pars naturali temperamento prædita sit, deinde ut sanguis bonus confluat. Ubi igitur hæc duo cõcurrunt, prima sanguinis generatio contingit sine ope ullius medicamenti. Verùm cum in ipsa carnis generatione perpetuò duplex gignatur excrementum, unum tenue, ichor sive sanies, unde ulcus humidum redditur: alterum crassum, sordes, unde sordidum efficitur. Proinde ulcus semper duplici indiget medicamento, uno humidum exsiccante, altero sordes expurgante : & quod utrisque facultatibus præditum est, scilicet exsiccat simul & deterget, sed blande sine morsu, id σαρκωτικὸν propriè dicitur. Ejusmodi varia sunt pro natura corporis & partiũ affectarum : siccioribus enim & durioribus corporibus ficciora conveniunt ; humidioribus minus sicca. Nam sarcotica imbecilliora ulcus sordidum reddunt, vehementiora exasperant, fluxionesque irritant. Leviora sunt farina hordei, fabarum, sarcocolla, thus, &c. vehementiora, farina erui, iris, aristolochia, & multa quoque validè detergentia, exsiccantia: nam in corpore duro sicco, aristolochia, aut

iris carnem gignit, ubi thus sordes commovet: & oculis sufficit thus & sarcocolla, ubi auribus vix pastilli Andronis, aut scoria ferri præparata. Sarcoticis opposita καθαιρετικὰ, quæ excrescentem carnem, verrucas, callos, & similia, sensim quasi liquefaciendo absumunt. Hæc pyroticis annumerantur, quæ vehementissimè calefaciunt: nam sub pyroticis comprehenduntur φοινιγμοὶ, καθαιρετικὰ, ἐσχαρωτικὰ & σηπτικὰ: addunt nonnulli rubrificantia, ut dropaces acres, & sinapismos. Omnia πυρωτικὰ summè calida sunt igneæque substantiæ, licet modo materiæ differant, unde discrepantes effectus. Nam ut in cæteris idem caloris gradus pro modo substantiæ actiones variat, ita in pyroticis: summus enim calor in crassa materia non facilè difflatur, sed tenaciter adhærens violenter vellicat & urit, & id, cui inhæret stipitis ritu infixus, excruciat: contrà in tenui materia calefacit quidem vehementer, sed ad flammæ similitudinem facilè dissipatur, nec vehementem doloris sensum movet. *πυρωτικά.*

Quare rubrificantia, quæ ardore suo humores attrahunt, & cutim rubore inficiunt, sed necessariò non vellicant, nec exedunt, tenuium partium erunt, attrahentibus similima, sicut suprà dictũ est, ut sinapismi, &c. Deinde phœnigmi sive vesicatoria propriè dicta, quæ ardore suo humores proliciunt, & supremam cutis partem exulcerant, sive pustulas & vesicas movent, minus tenuium partiũ erunt, sed rubrificantibus vicina, ut mel anacardinum, cantharides cum fermento, & similia. At καθαιρετικὰ, quæ sensim colliquando carnem consumunt, siccitate cum partium tenuitate prædita sunt, ut tenuitate illâ virtus exedendi cito dissipetur, priusquam longè penetrare queant, & superficiem exsiccando comprimendoq; sensim carnem colliquent *Rubrificantia.* *φοινιγμοί.* *καθαιρετικά.*

& absumant, cujus generis est vitriolum & alumen ustum, ærugo & similia.

σηπτικά. Quartò σηπτικὰ quæ altius penetrant, quàm phœnigmi, & carnem teneriorem colliquant, insitumque calorem dissolvunt, superioribus acriora erunt crassiorisq; substantiæ, sed nō absolutè crassæ, ut auripigmentum, arsenicum, & alia, quæ qualitate quoq; occulta naturæ nostræ contraria sunt. Quintò ἐσχαρωτικὰ, quæ altissimè penetrāt ad ferri candentis similitudinem, cutim ita exurunt, ut crustas inducant, ac etiam dura callosaque corpora absumunt, & ea quibus inhærent, stipitis ritu infixa, excruciant, absolute crassæ substantiæ erunt, omniumq; pyroticorum mordacissima, ut calx viva, cum lixivio saponis, præcipitatum, & similia: quibus potissimum utimur in cauteriis potentialibus. Atque hæ sunt distinctiones pyroticorum. Verùm cum singula medicamenta πυρωτικὰ, pro natura corporū quibus admoventur, & temporis mora aut brevitate, dissimiles effectus producant; fit ut idem nunc vesicans, nunc σηπτικὸν, nunc ἐσχαρωτικὸν dicatur: nam καθαιρετικὰ aut vesicantia mollioribus corporibus admota, aut longo tempore, idem faciunt, quod σηπτικὰ aut ἐσχαρωτικὰ durioribus corporibus, aut brevi tempore: Imò sæpè quæ in durioribus corporibus sunt vesicantia, in mollioribus sunt escharotica: Similiter quæ in mollioribus sunt καθαιρετικὰ, in durioribus sunt ἐπουλωτικά.

ἐσχαρωτικά.

ἐπουλωτικά. Sunt autem ἐπουλωτικὰ, quæ repleti ulceris summam carnem desiccant & indurant, in callum sive cicatricem cuti similimam: nam cutis est quasi in callum indurata caro, eique similis cicatrix. Ejusmodi medicamenta necessariò sicca sunt, substantiæ crassæ, ut plurimum vi adstringente prædita,

ſine evidente calore & frigore, ac etiam ſine morſu, ut humores tenues in ſuperficie abſumant, ipſamque contrahant & condenſent, ut lapis hæmatites, tutia præp. ceruſſa, &c. Verùm inter ἐπυλωτικὰ numerantur multa, quæ ſine evidenti adſtrictione deſiccant, ut cornu cervi uſtum, corallia, ceruſſa: alia, quæ cum morſu deſiccant, & durioribus corporibus tantum conveniunt, ut alumen, æs uſtum, & alia quæ cathereticis quoq; annumerantur.

Inter ἐπυλωτικὰ, σαρκωτικὰ & ἐμπλαστικὰ, mediæ quodammodo naturæ eſſe videntur κολλητικὰ, id eſt, glutinantia quæ labia cruenti vulneris adducta uniunt, deſiccant enim cum adſtrictione, ſine omni morſu & evidenti calore, ac ſubſtantiæ nonnihil craſſæ terrenæque ſunt, cum quadam tenacitate, qualis in plantagine, conſolida, ſanicula, verbena & ſimilibus apparet. *Glutinantia.*

DE TERTIIS ET QUARTIS FACULTATIBUS MEDICAMENTORUM.

Caput VII.

Conſequens nunc eſt ut in ſpecie primum de tertiis, deinde de quartis medicamentorum facultatibus agamus, initio facto à diureticis. Διουρητικὰ id eſt urinas moventia propriè non ſunt, quæ obſtructiones in viis urinæ ab humore craſſo, aut calculo aperiunt, à quibus violenter detinetur, nec quæ vias illas tantum leniunt, ſed quæ ſerum ita præparant, ut copioſè facileque à renibus attrahatur & educatur. Talia extenuandi vi prædita ſunt, calida, ſicca, cum partium *Διουρητικά.*

tenuitate. Verùm quæ perfectè diuretica ſunt, non ſolùm ſanguinem extenuant, ſed etiam fundunt, ac tenue ſeroſumque ſecernunt, craſſo in ſe coeunte, non aliter quàm coagulum in lacte: Quod verò ſeroſum in ſanguine ſegregatum eſt, renes ad ſe naturaliter trahunt. Ac proinde urinas ejusmodi non ſolum movent, ſed etiam faciunt, & tota ad renes penetrant; cujus generis ſunt daucus, ſeſeli & ſimilia. Nihilominus diureticis annumerantur, quæ extenuant, non ita vehementer ut ſanguinē fundant, ſed ut ſerum tantum ad vias urinæ moveant. Movent autem alia vehementer, alia moderatè: vehementer, quæ cum evidenti calore extenuant & detergunt, ut ſem. calida: moderatè, quæ cum calore temperato, ut quatuor ſem. frigida, quæ ita dicuntur collata cum ſeminibus calidis, & non quia manifeſtè refrigerant. Annumerantur etiam diureticis nonnulla, quæ vias urinæ leniunt, ut glycyrrhiza, althæa & ſimilia: Præterea quæ fervorem in ſanguine contemperant, ſed ea minus propriè diuretica ſunt.

Calculos diſſolventia et comminuentia. Quæ validè urinas movent, & ſimul renes ac vaſa diuretica expurgant, calculos & arenas diſſolvunt & expurgant; verùm non propriè: nam diſſolvitur lapis vel occultâ naturæ proprietate, qualis eſt in ſanguine hircino, vel manifeſta qualitate. Oritur autem lapis ex materia terrea, viſcido humore coagulata, à calore exſiccante & indurante. Quæ hoc modo concreſcunt, nec vehementer calidis, nec frigidis propriè reſolvuntur, ſed à moderatè calidis, vi extenuandi incidendiq; præditis, non ſine naturali aut adſciticia humiditate: cujus generis ſunt aſparagus, rad. eryngii, graminis, oxymel compoſ. & ſimilia. Verùm præter hæc, nonnulla magis ex accidente calculos diſſolvunt; vel quia aſperitate ſuâ conterendo & abradendo ſuperficiem, non parum minu-

minuunt, ut vitrum combustum; vel quia nimiâ caliditate parvam in lapide glutinositatem absumunt, & quasi in pulverem reducunt, ut cantharides, & alia quæ urinas vehementer movent.

Diureticis cognata sunt menses moventia. Sistuntur autem menses ob tres causas potissimum: 1. Ob imbecillitatem facultatis expultricis: 2. Ob vitium sanguinis, quia paucus, crassus, viscosus. 3. Propter obstructionem venarum in matrice, aut quia sanguis avertitur à matrice. Propriè autem, quæ obstructiones matricis aperiunt, & abstergunt, & sanguinem ad uterum deducunt, menses moventia dicuntur: minus propriè, quæ facultatem expultricem roborant, aut vitia sanguinis emendant. Aperientia illa & abstergentia, quæ menses movent, valida esse debent, non prorsus tenuis substantiæ, quorum vires brevi tempore facileque resolvuntur, sed nonnihil crassæ, ne citò virtus dissolvatur, & longè penetrent. Proinde vehementer calida erunt, cum evidente siccitate, sed minore quàm in diureticis: cujus generis efficacissima sunt, quæ amaritudinem aliquam acrimoniâ permixtam habent, ut sabina, aristoloch. pulegium, myrrha. *Menses moventia.*

Quæ menses movent, similitudinem cum iis habere videntur, quæ lac & semen promovent; calefaciunt enim omnia: & ut menses moventia sanguinem ad uterum, ita lac promoventia ad mammas, & semen excitantia ad vasa spermatica movent. Differunt tamen plurimùm: nam lac & semen moventia minus sicca sunt, nec vehementer calida, ut menses moventia: deinde non carent aliquâ humiditate; qualis vis est in anetho & fœniculo viridi ad lac gignendum; in eruca ad semen excitandum. Verùm aliud est lac & semen gignere, aliud provocare, & materiam ad mammas vel testes derivare: Generatio enim fit ex optimis alimentis aut medi- *Lac & semen promoventia &c.*

 camen-

camentis temperatis, ſimilibus naturæ humanæ: verùm excitant ſemen, aut ad teſtes deducunt, ac ad expulſionem ſeminis impellunt, quæ ſemen ſpiritu copioſo replent, & materiâ craſsâ ac humore viſcido prædita ſunt, cum caliditate, ut ſcincus, eruca, &c. Igitur quæ vehementer refrigerant, ſemenque cogunt & incraſſant, ut nymphæa, lactuca: Item quæ validè diſſecant, ut ruta, agnus caſtus, &c. vim ſupprimendi ſeminis habent.

Bechica. Βηχικὰ autem, quæ contenta in pectore & pulmonibus apta reddũt, ut tuſſi facilè expurgari queant, duplicia ſunt, quemadmodum humores: nam humores contenti in pectore, qui ægrè tuſſi expurgantur, vel craſſi & viſcidi ſunt, vel tenues & ſubtiles. Proinde bechica alia extenuant & incidunt, ſed ſine vehementi calore, ut hyſſopus; alia contemperant, modicè incraſſant & leniunt, ut amygdala, nuces pineæ, ſem. malvæ, tragacantha, &c. Præterea

Errina. ἔρρινα, quæ ſuperfluam pituitam circa meninges & cerebrum per nares expurgant: & ἀποφλεγματισμοὶ, qui per palatum; aliquando occultâ qualitate agunt, plerumque manifeſta, ſcilicet acri, nitroſâ, incidendo, abſtergendo.

Corroborantia partes. Poſtremò viſceribus omnibus manifeſtâ qualitate conveniunt, quæ robur membri conſervant, ſive adſtringendo corroborant, inprimis ventriculo, deinde jecori & cordi. Verùm hepatica cum adſtrictione aut aperiunt, ſanguinemque purificant, ut agrimonia, intybi genera, &c. aut fervorem ſanguinis & bilis flavæ reſtinguũt ut hepatica, ſantala. Splenetica hepaticis ſimilia ſunt, ſed magis aperiunt & incidunt, ut capparis, ſcolopendrium, &c. aut bilem retorridam refrenant, ut bugloſſa, ſuccus pomorum dulc. Cardiaca verò ſubſtantiam cordis modica tantum adſtrictione corroborant, & vel virtutem

tutem spiritusq; gratâ adstrictione congregant, ut corallia, ebur, rosæ, margaritæ: vel grato odore prædita sunt, ut moschus, ambra: vel spiritus fragrantiâ suâ reficiunt, ut aqua cinnammomi, vinum aromaticum: vel tetros malignosque vapores refrenant, ut viola, succus citri & pomorum dulc. vel peculiari substantiæ proprietate confortant, & venenum à corde expellunt, ut lap. bezoar, theriaca & similia. Cephalica alia peculiari substantiæ proprietate cerebro nervisque conferunt, non pauca manifestâ qualitate: vel quia phlegma expurgant; vel modicâ adstrictione cum exsiccatione corroborant, & vapores arcent aut discutiunt; vel quia odoris quadam suavitate spiritus animales reficiunt: eadem in cæteris ratio.

Quartæ facultates

Quartæ medicamentorum facultates à temperamento non promanant, nec à materia perfusa qualitatibus primis, sed immediatè à tota substantia, & forma substantiali, quæ Galeno qualitates à toto temperamento interdum vocantur. Agunt hæ non evidenti modo ut superiores, sed occultâ ratione, extrinsecus vel intrinsecus, in bonum aut in malum, dupliciter; vel per motum aliquem localem, vel per transmutationem sive alterationem aliquam. Per motum aliquem localem tripliciter: vel retinendo reprimendovè ea, quæ præter naturam moventur, in parte aliqua sistunt, vel expellendo, vel attrahendo è corpore noxia educunt. Nam retinendo Sardonius lapis ventri deligatus, ætites brachio, peculiari proprietate conceptum retinent, fimus porcinus fluxum sanguinis narium sistit, &c. Deinde expellendo movent, quæ substantiæ quadam dissimilitudine & cõtrarietate à se aliquid propellunt. Attrahunt verò, quæ substantiæ similitudine alliciunt sive ad se movent, veluti alexiteria quædam, ut lapis bezoar & similia, dissimilitudine sub-

stantiæ

ſtantiæ venenum è corpore expellunt, corallina vermes. At nonnulla, quæ totius ſubſtantiæ ſimilitudine iis conveniunt, non aliter ferè alliciunt, quàm magnes ferrum, ut dictamus & radix arundinis tela & ſpicula. Deinde venenata non pauca, ut ſcorpius, vipera, mus araneus, ſuis propriis venenis ſuccurrũt: nam diſſecta & ſuis morſibus admota proprium venenum attrahunt, & ſic demorſos curant.

καθαρτικά.

Similiter nonnulla certos determinatos humores educunt, aut ſaltem naturam ad eorum expulſionem irritant; quæ καθαρτικὰ, electivè purgantia dicuntur, & ab iis diſtinguuntur, quæ manifeſtâ qualitate lubricando, abluendo, extergendo, comprimendo, quicquid obvium eſt evacuãt Nam quæ electivè purgant, id eſt, certum determinatumque humorem educunt, aut ex determinata corporis parte, ea omnia peculiari ſubſtantiæ proprietate agunt, & nõ mediantibus evidentibus qualitatibus: licet negari nequeat, qualitates primas, præcipuè verò calorem, actionem illam plurimum juvare. Evacuant autem peculiari proprietate unum humorem determinatum potiſſimum, ut rhabarbarũ, ſcammonium, aloë, bilem: agaricus, turbith, colocynthis, pituitam: epithymus fol. ſenæ, helleborus, melancholiam: ſoldanella, iris, elaterium, aquas. Deinde alia evacuant ex quacunque parte corporis, alia ex peculiari potiſſimum: veluti rhabarbarum ab hepate magis, aloë ab inteſtinis & ventriculo, agaricus & colocynt. à capite, hermodactili ab articulis potentius trahunt. Huc referuntur errhina, apophlegmatiſmi, &c. quatenus occulta qualitate agunt. Præterea purgant alia magis per ſuperiora ut aſarũ, helleborus albus: alia per inferiora, ut ſcammon. Cætera de differentiis medicamentorum purgantium alio loco latius proponemus. Poſtremò

per

per transmutationem aut alterationem aliquam, occultâ substantiæ proprietate agunt medicamenta triplicia. 1. Deleteria sive venena. 2. Antidota quæ venenis medentur, nimirum alexipharmaca & alexiteria. 3. Quæ peculiari substãtiæ proprietate certas partes humani corporis respiciunt, easque afficiunt.

Venena.

Venena autem medicamentis & alimentis, ut superius dictum est, opponuntur, & potissimum cor fontem caloris nativi oppugnant, ipsamq; substantiam caloris corrumpunt. Verùm non omnia venena unius generis sunt, nec unó modo agunt, ut suprà dictum est: alia enim manifestâ qualitate interimunt, alia solius substantiæ proprietate: Manifesta autem illa qualitas est calida, frigida aut sicca, nunquam propriè humida. Nam calida corrodendo, ut lepus marinus, vel inflammando, ut euphorbium, vel putrefaciendo corrumpendoq; ut sublimatum, interimunt. Deinde frigida vel congelando cor cum spiritu & sanguine, ut opium, vel obstruendo vias spirituum ut gypsum, plumbum ustum: Sicca vel depascendo humidum, ut calx viva, vel erodendo ut arsenicum, mortem afferunt. Adduntur his quædam validissimè purgantia, quatenus violenter & cum gravissimis symptomatib⁹ evacuant, ut helleborus alb. colocynthis, &c. Verùm ex his omnibus plurima cum manifesta qualitate occultã quandam naturæ contrarietatem habent. At non tam manifestâ qualitate, quàm totius substantiæ contrarietate calorem nativum corrumpũt, & cor fontem caloris lædunt, ictus scorpii, viperæ, phalangii, napellus & similia, quæ venena à tota substantia potissimum dicuntur.

ἀλεξιφάρμακα.

Præterea venenis contraria sunt alexipharmaca sive alexiteria propriè dicta, quæ vel venenum proliciunt, de quibus suprà, vel contrarietate sub-

ſtantiæ ſuæ vires ejus frangunt, obtundunt, planeque immutant,& cor confortant: ſub quo genere continentur theriaca, mithridatium, ſemen citri, lapis bezoar & alia plura, quæ & alterant, & venenum à corde expellunt. Verùm venena quæ evidenti calore potiſſimum interimunt, contrariis alexipharmacis alterantur & curantur, ut calida frigidis, ſicca humidis,&c.

Appropriata.

Tertio, quæ peculiari proprietate certas humani corporis partes reſpiciunt easque transmutant, alia totius ſubſtantiæ familiaritate juvant, alia totius contrarietate lædunt. Totius autem familiaritate ſive quadam συμπαθείᾳ, ſalvia capiti, pulmo vulpis pulmonibus, ſmaragdus & os de corde cervi, cordi,&c. conferunt. Proinde ſub hoc genere comprehenduntur omnia cephalica, cardiaca, ſtomachica, hepatica,&c. quatenus familiaritate ſubſtantiæ agunt: Item quæ certis morbis conveniunt, ut pæonia, viſcus quercinus, cranium hominis, epilepſiæ: ſtercus canis, anginæ: cinis leporis, ſanguis hirci, calculo: cerebrum leporis, tremori: Verùm totius ſubſtantiæ contrarietate ſive ἀντιπαθείᾳ, cantharides veſicam, lepus marinus pulmones exulcerat, argentum vivum dentibus & nervis infenſum eſt, &c. Hactenus de medicamentorum facultatibus.



DE

DE MODO INDAGANDI ET EXPLORANDI VIRES medicamentorum, deque differentia medicamentorum respectu materiæ.

Caput VIII.

Fundamẽta medicinæ duo, & duplex modus indagandi vires medicamentorum.

HIS determinatis, superest nunc, ut rationem & modum investigandi singulorum medicamentorũ vires proponamus. Medicamentorũ autem omnium noticiam, facultatumque cognitionem, duobus artis medicæ fundamentis consequimur: ratione nimirũ & experientiâ; licet alia solâ experientia, ut facultates à tota substantia, alia experientiâ cum ratione deprehendantur, ut primæ & secundæ facultates. Verùm sine experimento nullius medicamenti vires rite cognoscuntur: Sæpè enim dictat ratio cui non adstipulatur experimentum, quemadmodum sæpè experimentum demonstrat, cujus nulla ratio reddi potest; igitur quantum fieri queat ratio cum experientia conjungenda est. Verùm quæ ratione inventa sunt, si experimentum consentiat probanda, sin dissentiat semper rejicienda: at eorum, quæ experientiâ inventa sunt, si ratio reddi queat, semper præferenda, si nequeat non omnino rejicienda. Nam cum medicina circa singularia occupata sit, magis errant, qui rationi sine experientia, quàm experientiæ sine ratione nituntur.

Modus indagandi per ratiocinationẽ.

Nos primùm de modo indagandi & probandi medicamenta per ratiocinationem, deinde per experientiam dicemus. Oritur autem cognitio de medicamentorum viribus, per ratiocinationem, ex primarum qualitatum manifestis affectibus.

Pro-

Promanant autem à primis qualitatibus in generatione mixti duplices effectus: alii priores, alii posteriores. Priores sunt vel meræ passiones mixtorum, nimirum congelatio, condensatio, resolutio, emollitio, &c. vel passivæ qualitates, de quibus suprà, ut combustibile, incombustibile; durabile, indurabile, &c. Posteriores verò sunt objecta sensuum, scilicet colores, odores, sapores, durities, mollities, quæ termini sunt passionum, & mixtionem consequuntur. His addit Averrh. considerationem loci, regionis, temporis, & naturalium operationum. Ex his omnibus sumitur conjectura aliqua de temperamento medicamenti: Nam primùm ex modo cõgelationis, inspissationis, resolutionis, &c. Quæ dissolvuntur frigore, coagulantur sive concrescunt calore, & contra: verùm quædam coagulantur à frigore, quæ prius inspissata fuerunt calore; quædam non; quædam ab utroque inspissantur. Quæ autem à calore tantum concrescunt, ut sal, calida siccaque putantur, nisi terrestris planè sint substantiæ, ut ferrum aliaque nonnulla metalla, quæ frigida siccaque judicantur. Quod à frigore tantum concrescit, sine actione caloris, frigidum humidumque est, ut de argento vivo sentit Averrhoes. Quæ à frigore coagulantur, si prius à calore inspissata fuerint, temperata videntur, nisi planè terrestris sint substantiæ, vel aqueæ, aut aëreæ: si terrestris substantiæ, frigida, sicca erunt; si aqueæ vel aëreæ, calida. De cæteris lege Auerrh. Colliget 5. & Avicen. Verùm hæc aliaque similia indicia non solùm obscura minusque manifesta sunt, sed etiam incerta, quemadmodũ & illa quæ sumuntur à passivis qualitatibus, sive à potentia & impotentia: nam quæ facilè ignem concipiunt, promteque incalescunt, calidiora semper putantur; cùm inter ea, quæ similes habent qualitates facilis sit transitus.

At

At hæc regula plærumq; fallit, ut cæteræ, nisi idem sit agens, & subjecta corpora eodem modo se habeant, iisdemque potentiis prædita sint. Deinde multa extra corpus nostrum facilè ignem concipiunt, ut arida ligna, sicci calami, &c. quæ suâ naturâ corpus nostrum non calefaciunt. Præterea ad objecta sensuum quod attinet, cum in omni colorum genere calida, frigida, humida, sicca reperiantur, solo visu ex coloribus, de medicamenti temperamento nihil certi colligere licet, multò minus ex auditu, cum parum referat in viribus indagandis, an medicamenta sonora an insonora sint: Nec ex asperitate, levitate, duritie, &c. nam plurima tàm dura, quàm mollia; aspera quàm levia, &c. oppositarum qualitatum sunt, & diversimodè corpora nostra afficiunt. Præterea nec ex odoribus, nisi propter sapores, cum in homine olfactus obtusissimus sit, ut nihil penè olfaciat, sed cum sensu doloris aut voluptatis: deinde quod plurima medicamenta odore omni careant, ac ex tàm fœtidis, quàm benè odoratis multa diversas plane vires habeant. Nec etiam ex regione, loco & tempore, aut ex naturalibus quibusdam operationibus, ut ortu, incremento, fructificatione, &c. ut *Averrh.* 5. *Collig. cap.* 30. proponit. Nihilominus ex his omnibus de temperamentis medicamentorum aliquam interdum conjecturam facimus, sed ea incerta & dubia est.

De saporibus. Igitur gustui potissimum confidere oportet ex saporibus, cum gustus tactus quidam sit, & sapores viribus primarum tactilium qualitatum gustum moveant, & naturam secundarũ qualitatum æmulentur, licet magis particulares sint. Est autem sapor, ut alibi diximus, qualitas orta ex sicco terreo diluto aqueo humore, actione caloris in mixto, determinante formâ substantiali. Nam materia saporis in mixtis est, pars terrestris sicca sapidaque, delu-

ta & transcolata humore aqueo. Proinde distinguuntur sapores pro varia mixtione humidi cum sicco, per diversam actionem caloris. Unde alii calidi ut acris, amarus, salsus: alii frigidi ut acidus, acerbus, austerus: alii temperati ut pinguis, insipidus, dulcis. Verùm insipidus propriè sapor non est, sed privatione saporis in mixtis intelligitur. Nam octo tantum sunt sapores, licet sub dulci quidam pinguem comprehendant, nonnulli acerbum ab austero genere non differre, sed tantum gradu putent. Deinde ex tribus, tam calidis quàm frigidis, & temperatis, prior semper tenuioris substantiæ est, secundus ejus respectu crassioris, tertius utriusque comparatione tantùm mediocris, & non semper respectu corporis temperati: ita acris sapor tenuis substantiæ est; amarus terrenæ & crassæ non simpliciter, nec ut acerbus, sed ad cineris similitudinem; salsus utriusq; comparatione mediocris, &c. In dignoscendis medicamentorũ facultatibus ex his saporibus, decet medicum præexercitatũ esse in sensu gustus, & uniuscujusq; gustus proprietatem exactè tenere, deinde causas saporum & vires medicamentorum ex saporibus indagare: verùm oportet ante omnia naturalem saporem cujusque medicamenti ab adscititio distinguere, item simplices sapores à compositis.

Acerbus & Austerus. Ac primùm, ut à frigidis incipiamus: adstringens sapor, qui linguam constringit & coarctat, communiter duos sub se comprehendit: Primò acerbum qualis in galla immatura percipitur, quæ linguam vehementer contrahit, & contrahendo exasperat. Secundò austerum qualis in cydoneis, qui linguam moderatè contrahit. Causa utriusque est, dominium sicci terrei, à calore parum attenuati, & humido non satis permixti. Verùm austerus sapor fit ex sicco magis attenuato, meliusque permixto aqueo

CAP. VIII.

queo humore, quàm acerbus. Resolvitur enim acerbitas teste Aëtio tripliciter: vel calefactione, vel humectatione potissimum, vel utraque simul. Si calefactione resolvatur acerbum, humidius mollius que non evadit, & tamen dulcedinem quandam contrahit, ut in castaneis. Si humectatione sine evidenti calore, sensim mollius redditur: sed si illa humiditas magis tenuis & aërea fuerit, acidum, si magis crassa & aquea, austerum efficitur: aquosa enim humiditas omnis saporis vim hebetat. Unde plerique austerum ab acerbo non genere, sed gradu tantum differre putant. Sin acerbum humectetur, & simul evidenter calefiat, cum magis aërea humiditate, pinguedinem; cum magis aquea, dulcedinem acquirit. Quare quæ parum aut nihil calidi vel humidi admittunt, acerba permanent. Ex quibus colligitur acerba crassa prorsusque terrenæ substantiæ esse, & naturæ magis frigidæ, siccæ, & adstringentis, quàm austera: proinde vehementius contrahere, constipare, vias claudere, fluxiones sistere, reprimere, &c. at austera magis in usum ciborũ venire, roburque partibus conciliare. Deinde utraque ab acidis differre, quod hæc in superficiem magis agant, acida longius penetrent, minusque refrigerent.

Acidus. Acidus autem sapor, qualis in oxalide percipitur, qui linguam sine sensu caloris altè facileque penetrat, ac in terram effusus ipsam fermentat; oritur ex sicco terreo permixto copioso tenui humido, à calore attenuante, sed non perfectè elaborante, quia citius calor deficit aut exhalat, quàm terminum assequatur. Quare simpliciter acida, cum tenuitate substantiæ, refrigerant, desiccant, sed non vehementer ut acerba, nec eousque ut interficiant: non enim substantiæ subtilis forêt, si extremè frigida essent. Unde nullũ venenum frigidũ acidi saporis est.

 Igitur

Igitur acida incidunt, attenuant, aperiunt non violenter ut amara, humorũ ferociam contemperant, crassos ventriculi humores extenuando subducunt, purum ventriculum sistunt sine evidenti adstrictione, foras repellunt & reprimunt. At quæ simpliciter acida non sunt, sed cum aciditate permixtam habent vel acrimoniam, ut acetum; vel dulcedinem, ut cerasa nonnulla, uvæ maturescentes, &c. non necessariò frigida sunt, ut infra apparebit.

Dulcis & pinguis.

Medii sapores sunt dulcis, qualis in saccharo percipitur, qui cum manifesta jucunditate gustum oblinit & replet, ad nullum excessum trahendo: & pinguis, qualis in oleo maturo, qui linguam cum lentore oblinit, & idem in gustu efficit quod dulcis, sed sine manifesta jucunditate. Oritur uterque in mixtis à calore proportionato, ut cæteri sapores ab inproportionato. Nam quæ dulcia aut pinguia redduntur, ut fructus, prius ob defectum caloris acerba plærumque sunt, deinde austera vel acida, hinc à calore proportionato perficiente & concoquente, dulcia vel pinguia evadunt: at si calor modum illum excedat, amara vel acria redduntur, ut in melle & vino apparet. Quare sapor dulcis & pinguis omnium temperatissimi sunt, ab optima concoctione & determinatione humidi cum sicco: ac ob id naturæ humanæ familiarissimi, & alimentis maximè idonei. Verùm sapor dulcis fit ex sicco terreo, permixto humido magis aqueo: pinguis permixto humido magis aëreo. Quare pinguia tenuioris, dulcia crassioris nonnihil substantiæ erunt. Utraque moderatè calida, sine evidenti siccitate & humiditate: unde maturant & leniunt, item emolliunt, relaxant, attenuant, &c Sed pinguia magis quàm dulcia. At dulcia pro dulcedinis modo, calorem magis evidentem habent: unde ex vehementer dulcibus nullum propriè frigidum.

Præte-

Præterea acris ſapor, qualis in pipere & cæpis deprehenditur, eſt, qui guſtui oblatus, linguam cum vehementi calore penetrat, inflammat & mordet. Oritur in generatione mixti ex ſicco terreo permixto ſufficienti humido, à calore igneo attenuante, & ita elaborante, ut effervefcat pars tàm humida quàm ſicca. Quare naturæ calidæ ſiccæque eſt, cum ſubſtantiæ tenuitate. Unde acria medicamenta ſi non vehementer calida, rarefaciunt, attenuant, diſcutiunt, &c. ſi vehementiſſimè calida, inflammant, colliquant, &c. ſi aliquid craſſæ ſubſtantiæ admixtum ſit, abradunt, veſicas movent, putrefaciunt, &c. Differt autem acris ſapor ab amaro, primò forti calore & ſubſtantiæ tenuitate, deinde quod acribus permixta ſit humiditas, & quod in uſum ciborum non rarò veniant, aut condimenti rationem habeant: quod perfectè amaris non contingit, quæ ſquallida & ſicca ſunt, veluti fuligo ex aduſtione, ac nullum animal nutriunt. *Acris.*

Nam amarus ſapor (qualis in felle & colocynthide) eſt, qui linguam detergit, & cum graviſſima moleſtia abradendo exaſperat, & contrarium planè in guſtu efficit ei, quod dulcis. Generatur à vehementi calore humidum totum ferè exhauriente, & ſiccum terreum adurente. Igitur calidus, ſiccus erit, & ſubſtantiæ terreſtris, ad cineris aut fuliginis ſimilitudinem: verùm non planè craſſæ ſubſtantiæ, ſed multò tenuioris quàm acerbus, & craſſioris quàm acris: unde minus penetrat, rareſacit, diſcutit quàm acris; at dum penetrat materiam craſſam, quicquid obvium eſt, violentius ſecum rapit. Quare amara incidunt, abradunt, detergunt, meatus aperiunt, ac immodico uſu exaſperant & exulcerant, inprimis quæ vehementer calida: nam amara quo minus calida ſiccaque ſunt, minus incidunt, detergunt, expurgant, &c. Omne autem perfectè ama- *Amarus.*

rum, aut quatenus amarum, calidum eſt: licet multa evidenter frigida nobis amara videantur, quia ex contrariis partibus conflata ſunt: in quibus minima amari portio efficacior eſt magnâ alterius ſaporis; cum amarus ſapor omnium ſit ingratiſſimus, & cum graviſſima moleſtia facilimè guſtum afficiat.

Salſus. Salſus ſapor amaro propinquus eſt, uterque enim linguam abſtergit, ſed ſalſus magis eluendo, quàm abradendo. Deinde uterque calidus, ſiccus, & ſubſtantiæ craſſioris, ſed amarus à calore magis præaſſante, & diu multumq; humidum exſiccante: quare ſi ſalſum diu multumq; calefeceris, amarum efficies. Generatur enim ſalſus ſapor ex ſicco terreo, permixto copioſo humido aqueo, à calore aſſante, verùm non prorſus humidum depaſcente, ſed cum ſicco cogente. Proinde ſubſtantiæ non omnino terreſtris erit, nec prorſus aqueæ, ſed mixtæ, atque ita mediæ: licet revera magis craſſæ, quàm tenuis ſubſtantiæ ſit, cum valida ſiccitate, & non vehementi calore. Unde ſalſa vehementer exſiccant, abſorbent, liquant, ſitim excitant: deinde incidunt, abſtergunt, abradunt, &c. minus tamen quàm amara.

Inſipidus ſive aqueus. Tandem ſapor ille, qui inſipidus aut aqueus à nonnullis dicitur, qualis in aqua ſimplici & cucurbita aliquo modo percipitur, propriè ſapor non eſt, ſed privatione ſaporis intelligitur: licet plæraq; inſipida dicantur, quæ obſcurum tantùm ſaporem habent, leviterque dulcia aut pinguia ſunt: nam quæ cibis apta ſunt, dulcedinem aliquam, etſi obſcuram, admixtam habent: quare pauca planè inſipida ſunt. Oritur autem inſipidum, non ut ſapor, ex ſicco terreo transcolato per humorem aqueum, verùm ex materia craſſa, non plane transcolata, ſed potius perfuſa humore aqueo, ſine evidenti calore. Quare inſipida aliquo modo temperata videntur, & dul-

dulcibus cognata, sed frigidiora crassiorisque substantiæ, & plærumque cum lentore: qualia suâ naturâ exasperata leniunt, & si magis siccam nacta fuerint compagem, emplastica sunt, & meatus obducunt, infarciunt, obstruunt, &c. Hæc est natura simplicium saporum, & ratio dignoscendi ex sinceris saporibus vires medicamentorum. Verùm cum omnia ferè medicamenta diversas partes habeant, puri syncerique sapores raró admodum in medicamentis erunt, sed diversi mixtique: qui omnes gustum secundum suam naturam afficiunt, licet à sapore prædominante, qui maximè obvius est, & vehementissimè gustum movet, medicamentum denominationem suscipiat, ut in absinthio. Mixti sapores mixtæ sunt naturæ, & mixtas vires designant: veluti dulcis sapor, si acri commisceatur, ut in melle, magis calefacit, longiusque penetrat quàm dulce, meliusque abluit & abstergit: similiter acidus, si acri commisceatur, ut in aceto, minus refrigerat, sed longius penetrat, &c. Eadem est ratio in cæteris. Nihilominus cum in pugnantium facultatum mixtione, sapor qui gustui vehementior apparet, vehementiorem operationem non habeat (nonnulla enim evidenter amara sunt, quæ vehementer refrigerant, ut opium: aliqua gustui austera videntur, quæ assumpta calefaciunt, expurgant, ut squama æris) in dijudicandis medicamentorum viribus gustui confidere nimium non oportet, sed ea, quæ ratione ex saporibus cæterisque sensuum evidentibus inventa sunt, experimento semper confirmare: non enim in hoc falli potes, & ut suprà diximus, optimum est singulorum vires ab exacto experimento invenire. Attamen priusquã experimẽti vim cognoscas, de primis secundisq; qualitatib⁹ multũ gustus judicat; cui attestatur paululũ odor, &c. de occultis verò facultatibus nihil plane, sed sola experientia.

Modus indagandi per experientiam.

Experimentum autem hîc intelligo nõ fortuitum, ſed voluntarium aut imitatorium. Verùm experimenti certitudo non ſtatim ex uno ſucceſſu probanda, ſed multa ſimul obſervanda: oritur enim experimentum ex manifeſtis medicamenti effectibus. In effectu autem producendo tria conſiderantur: 1. Efficiens, id eſt, medicamentum quod explorare debemus. 2. Subjectum corpus, ſive patiens in quo exploramus. 3. Modus tempusque agendi. Medicamentũ autem quod explorare debemus, primùm omni qualitate aliena, ſive adſcititia aut accidentaria liberum eſſe debet, & ſuâ inſitâ tantùm facultate agere. Deinde ad agendum idoneas ſufficientesque vires habere, nimirum morbo ſemper oppoſitas, ſed lapſui morboſo gradibus, ſi fieri queat, æquales.

Tria obſervanda ſunt in indagandis virib. medicamentorum per experientiam.

1 Medicamentum.

Subjectum corpus ſit, humanum potiſſimum, ad quod propriè medicamentum refertur, & à quo præcipuum judicandæ facultatis experimentũ ſumitur: nam quam vim in homine, eandem in alio animali non neceſſariò ſortitur, licet in aliis interdum experimentum fiat. Corpus autem humanum in quo experimur, aliud ſanum, aliud ægrum: Et ſanum, aliud temperatum, aliud intemperatum: Ægrum aliud ſimplici, aliud compoſita intemperie laborat. Experimur autem medicamentum in humano corpore duplicis rei gratia: Primò ut ſciamus ipſam facultatem tantum, vel facultatem & facultatis gradum, an calefaciat, vel refrigeret, & quo gradu: non autem an illi corpori proſit, vel obſit. Deinde experimur gratia ſanitatis in illo individuo, an lædat, vel juvet. Si experimur tantùm ut facultatem medicamenti in genere cognoſcamus, an calefaciat aut refrigeret, &c. experimentum faciendum erit, non ſolùm in temperatis aut intemperatis, ſed etiam in ægris, ſimplici non compoſitâ intemperie laborantibus. Sin ut facultatem, & facultatis gradum,

2. Subiectum corpus in quo exploramus vim medicamenti.

dum, an primo, secundo aut tertio gradu; in corporibus tantùm temperatis experimentum faciendum: nam ex alteratione, facultatem: ex quantitate alterationis sive recessus à temperato, gradum facultatis perfectè deprehendimus. Verùm cum Medici sit, sanitatem propositam habere, & sine omni vel cum minimo periculo agere, experimentum potissimum fieri debet in corpore ægro, affecto simplici non composito morbo. Nam experimentum eorum, quæ gustui acida sunt, an refrigerent, in sanis magis periculosum est, quàm in ægris, simplici intemperie frigidâ laborantibus, & composito aliquo morbo. Si enim quis laboraverit febri, cum obstructione jecoris, an acetosa, aut cichoreum refrigeret, experiri non possumus: quia si febris curetur, dubium adhuc erit, an quia caliditate suâ incidendo abstergendoque obstructiones aperiat, id est causam febris tollat; an quia frigiditate suâ calorem non naturalem, aut fervorem bilis restinguat.

Tandem in explorandis viribus medicamentorum, observandus est modus tempusque agendi. Non enim omnia uno eodemque modo semper agunt, sed nonnulla aliter initiò quando applicantur, deinde aliter. Si medicamentum à principio ad finem uno eodemque semper modo agat, id est, calefaciat vel refrigeret, &c. certum experimentum erit, per se & vi insitâ agere, ac propriè calidum aut frigidum esse. Sin initio uno modo, deinde alio modo agat, experimentum dubium erit; & incertum utra actio sit per se, id est, vi insitâ & immediatè; utra ex accidente, scilicet aliena vi aut mediante alio effectu. Nam duobus his modis agit aliquid ex accidente: veluti aqua calida admota corpori, primùm aliena adscititia qualitate calefacit, deinde insitâ vi refrigerat: at aqua frigida liberaliter affusa *3. Tempus & modus.*

æſtate, juveni laboranti tetano, primum vi inſitâ refrigerat, deinde ex accidente, quia calorem intrò coërcet, calefacit. Debet autem medicamentum, ut ſuprà diximus, omni alienâ & adſcititiâ qualitate carere: Nihilominus ſi medicamentum aliena qualitate affectum ſi, actuque præditum, ut aqua calida, prima actio eſt accidentaria, ſecunda propria: ſin ab omni aliena qualitate liberum ſit, prima actio ſemper per ſe, ſecunda per accidens erit & prioris interventu, & tum remoto medicamento aliqua actio remanet.

Paracelſi ratio inveniendi vires per Signaturas rerũ.

Præterea ad explorandas & indagandas vires medicamentorum, Paracelſus novam quandam Phyſiognomiam & Chiromantiam excogitavit; & ex Signaturis rerum, occultas vires inveniendas eſſe putavit: Nam (authore Paracelſo *lib. de Signaturis rerum nat. & libro de Perſicaria*,) natura omnia ſignavit & latentes vires certis ſignis expreſſit, nobiſque manifeſtavit: Signaturæ autem aliæ externæ ſunt ut forma, figura, lineamenta & ſimilia: Aliæ internæ ſpagirica & artificioſa præparatione introductæ; veluti quæ partis ſimilitudinem habent, ei potiſſimum conferunt, ut hepatica hepati, eufraſia oculis: halicacabum veſicæ; pulmones vulpis pulmonibus, &c. Item lapidoſa & quæ lapidoſum quid proferunt, ut ſaxifragia calculo: herbæ perforatæ, ut Hypericon vulneribus, &c. Hæc ratio contemnenda non videtur, licet univerſalis non ſit, nec in omnibus locum habeat, præcipuè in ſignaturis externis. Quid per internas ſibi velit inter ipſos chymicos adhuc controvertitur. Hactenus de facultatibus, reſtat ut de materia medicamentorum agamus.

Differẽtiæ medicamentorũ

Medicamentum omne reſpectu materiæ, aut ſimplex, aut compoſitum eſt. Simplex comparatione ad compoſitum dicitur, & utrumq; variis modis:

nam

nam pleraque medicamenta, licet sensibus simplicia appareant, substantiâ tamen suâ dissimilaria & composita sunt: deinde multa arte composita sunt, quæ tamen simplicia à medicis dicuntur, ut syrupus acetosus simpl., oxymel simpl. Verùm hoc loco simplex medicamentum id vocamus tantùm, quod secundum naturam suam syncerum est, aut suâ naturâ tale, ab arte nihil alieni permixtum habens. Contra compositum, quod suâ naturâ syncerum non est, sed arte ex diversis commixtum. Simplicium materia, *teste Galeno 6. de Simpl. med. fac. cap. 1. & 1. de Comp. med. per gen. c. 1.* sumitur ex vegetabilibus, mineralibus, & animalibus. *respectu materiæ.* *Simplex* *Compositũ* *Materia simpliciũ triplex.*

Sub vegetalibus continentur omnes stirpes sive plantæ, nimirum arbores, frutices, & herbæ; earumque partes, ut sunt radices, rami, ligna, cortices, stipites, surculi, folia, flores, semina, fructus, succi, liquores, gummi, resinæ, olea, &c. Sub mineralibus continentur hoc loco non solùm fossilia, sed etiam aquæ thermales, & omnia mixta inanimata, contenta terra & aquis. Fossilia autem secundum Agricolam alia simplicia, alia composita sunt. Simplicia iterum quadruplicia: 1. Terræ insigniores, ut bolus armenus, terra sigillata, Lemnia, Samia, &c. 2. Lapides, ut omnia saxorum, marmorum & gemmarum genera: item quæ speciali nomine lapides dicuntur, ut magnes, ætites, hæmatites, &c. 3. Succi concreti, ut omnia salium, aluminum, atramentorum & bituminum genera, &c. Huc referuntur, quæ à Chymicis spiritus dicuntur, quia in igne volatilia sunt, ut sulphur, argentum vivum, arsenicum, &c. 4. Metalla, propriè dicta, numero sex, quæ majora mineralia vocãtur: item metallorum recrementa, ut lithargyrum, scoria, pompholyx, &c. Composita autem fossilia, varia sunt, prout duo aut plura horũ in unũ corpus *1. Vegetabilia eorumq; species.* *2. Mineralia. Aquæ thermales.* *Fossilia.* *Terra.* *Lapides.* *Succi concreti.* *Spiritus.* *Metalla.* *Composita fossilia*

con-

concrescunt: unde lapides compositi, alii terris permisti sunt, alii succosi, ut gagates, lapides aluminosi, salsi, &c. non pauci metallici, in quorum numero sunt marchasitæ, ut antimonium, bismutum, lap. pyrites &c His omnibus adduntur, quæ ex metallicis arte composita sunt, ut sublimatum, præcipitatum, cerussa, minium, cinnabaris factitia, &c.

3. Animalia eorumque partes.

Tertiò simplicium medicamentorum materia sumitur ex animalibus vel totis, ut sunt lumbrici, cantharides, cancri, hirundines, &c. vel ex partibus, aut excrementis animalium, veluti pinguedines, adipes, medullæ: item ossa humana, coagulum, cor & cerebrum leporis, caro & lapides cancrorum, cornu & sanguis cervi, tunicæ ventriculorum gallinæ, &c. item lac, ova, mel, cera, fel, urina, stercus caprinum, &c.

Observanda in singulis simplicibus.

Horum omnium singulorumque vires, viriumque gradus, quantùm fieri queat, medico cognoscendæ & indagandæ erunt: observatis iis, quæ simplicium vires augent minuuntque: qualia sunt regio, tellus, cultura & situs loci ubi proveniunt, item tempus collectionis & ætas, tandem præparatio. Nam locus & regio calida, sicca, calidiora acrioraque semper producit. Deinde plantæ plantarumque partes meliores tum putantur, quando succo maturo probeque concocto turgentes sunt. Verùm alio tempore ipsæ plantæ, alio flores, alio semina perfecta sunt. Deinde alia ratio in plantis adhuc virentibus, alia in siccis aridisque est. Præterea plurimum potest præparatio medicamenti, ut suo loco apparebit.

Dosis medicamentorum.

Dosis autem sive quantitas cujusque medicamenti, in humano corpore mediæ ætatis & constitutionis, ex facultatis ipsius ordine sive vehementia deprehenditur. Quæ enim pari ordine sunt, eademque vehementiâ agunt, pari mensura sive dosi statu-

ſtatuuntur: quæ diſpari modo agunt, diſpari doſi. Verùm in alterantibus potiſſimum, pro magnitudine ſituque partis affectæ, doſis augenda minuendaque erit, ut ſupra dictum eſt, & latius infra dicem⁹. Simplicia medicamenta ubi per ſe ſatisfaciunt operibus efficiendis, nullum peculiare artificium requirunt. Verùm quia per ſe plerumque minus idonea ſunt, ut id præſtent, quod intentio medica requirit, ars aliqua φαρμακοποιητικὴ neceſſaria videtur: quæ conſiſtit vel in debita præparatione, vel in legitima ſimplicium compoſitione, vel in utraq;.

DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORUM, EIUSQUE CAUSIS.

CAPUT IX.

Quemadmodum artificis eſt, ut ſcopum ſuum conſequatur, de inſtrumentis & materiis operationum ſuarum deliberare: ita medici, ut ſanitatem reſtituat, prima cura eſſe debet, idoneas auxiliorum materias, nimirum medicamenta, non ſolùm ſimplicia, ſed etiam compoſita, in promptu habere, eorumque omnium vires intelligere. De medicamentis, medicamentorum facultatibus, deque ſimplicium medicamentorum differentiis, dictum eſt. Quia autem medicamenta ſimplicia per ſe, ſine ulla artis ope, minus idonea plerumque ſunt, ut id præſtent, quod methodus curativa præſcribit: ars aliqua neceſſaria videtur, quæ, ut alibi dictum eſt, vel apta ſimplicium præparatione, vel compoſitione, vel utraque continetur. Ipſa autem ars per ſe, licet nullas peculiares vires conferat (nam vis omnis à natura inſita eſt) tamen, dum ſimplicia ritè præparat,

aut convenienter permiſcet, formasque idoneas attribuit: multa aliena & inutilia removentur, noxia corriguntur, acria contemperantur, debilia acuuntur, & plurium permixtione nova, aut recondita vis emergit. Quibus omnibus medicamentum morbo, parti affectæ, & ægro prorſus redditur idoneum. Nam ſcopus artis φαρμακοποιητικῆς eſt, medicamentum idoneum efficere, ut id præſtet, quod indicatio curativa poſtulat, idque citò tutò & jucunde. Cùm autem artificioſa ſimplicium compoſitio ſine omni præparatione non fiat, & præparatio compoſitioni ſerviat: primùm de compoſitione, ſive permixtione ſimplicium medicamentorum, deinde de præparatione in genere dicemus. Ac primùm, compoſitum medicamentum in relatione ad ſimplex dicitur, &, ut ſuperius dictum eſt, id compoſitum vocatur, quod non natura ſua tale, ſed arte ex pluribus ſimplicibus ortum. Quare medicamentum componere, erit plura ſimplicia in unam aliquam formam reducere, gratia ſanitatis reſtituendæ, aut conſervandæ, nimirum ut inſtrumenta idonea habeamus, ad id præſtandum, quod indicatio requirit. Ubi igitur nullum ſimplex aptum reperitur ad id perficiendum, quod neceſſe eſt: compoſitio aliqua neceſſaria videtur.

Tres cauſæ compoſitionum medicamentorũ.

Non reperitur triplici ratione potiſſimum. Cùm enim medicamentum in relatione ad corpus humanum dicatur, & id propriè medicamentum ſit, quod morbum è corpore depellit: ſcopus & neceſſitas omnis compoſitionis dependebit, aut ab ipſo affectu, ejusque cauſa & ſymptomatibus: aut ab ipſa parte affecta, cui curatio debetur: aut ab ipſo medicamento, quo curatio perficitur.

Prima cauſa com

Omnium autem maximè neceſſaria componendi cauſa, eſt morborum diverſitas, item cauſarum

rum, & symptomatum urgentium. Nam quilibet affectus, teste Galeno 1. Methodi, pro sua natura remedium indicat: simplex affectus, remedium simplex, simplici facultate præditum: compositus affectus, remedium compositum, aut natura, aut arte, tale. Complicantur primùm morbi, qui diversa, aut contraria, exigunt remedia, vel in una parte, ut ulcus cum inflammatione; obstructio jecoris cum intemperie calida: vel in diversis, ut hydrops cum febre: calida jecoris affectio cum calculo. Deinde, aliud interdum morbus, aliud morbi causa indicat, ut febris à pituita putrescente & obstructione visceris. Similiter, aliud morbus, aliud symptoma urgens, ut inflammatio in principio cum vehemente dolore: Præterea quæ à diversis, aut contrariis, oriuntur causis, diversa, aut contraria, exigunt remedia. Cùm igitur natura simplicia non progignat, quæ omnibus his indicationibus satisfaciant, & sigillatim unumquemque affectum, affectusque causam, depellant: necesse erit medico, ex pluribus simplicibus diversa, aut contraria, facultate præditis, idoneum medicamentum componere.

positionis res præter naturam in corpore.

Secundò ipsa pars affecta, ægrique natura, & constitutio, componendorum medicamentorum occasionem præbent. Considerantur verò in parte affecta, ut alibi dictum est. quinque, dignitas, actionisque necessitas: situs connexioque: temperamentum, conformatio, & sensus. Nam primùm ventriculo, jecore, aut alia principe parte laborante; nunquam utimur solis relaxantibus, ne robur visceris dissolvatur, sed astringentia permiscemus, aut quæ facultate substantiæ corroborant, ut monet Galenus 13. *Methodi medendi*. Robur enim partis principis semper tuendum est similibus appropriatis, licet affectus contraria exigat.

Secunda causa compositionis natura ægri partisque affectæ.

In parte quinq; cōsiderātur.

1. Actionis dignitas.

2. Situs partis. Deinde vis medicamenti ad partem in profundo, aut remoto loco sitam, non facilè deducitur, nisi admixto aliquo, quod tenuitate, aut peculiari proprietate eò penetret, aut quasi vehiculum sit: alioqui in longo itinere, magnoque intervallo, de virtutis robore multum perit. Quare Galenus in inflammationibus & doloribus capitis, acetum oleo rosaceo, & similibus admiscet, quòd aliàs sua natura doloribus noxium est: Et in affectibus pulmonum, bolo armenio, & similibus astringentibus mannam, tragacantham, succum glycyrrhizæ, permiscet, ut vis eorum ad pulmones transeat. Similiter frangentibus calculum, cantharides: medicamentis cardiacis, buglossum, crocum: cephalicis, betonicam: epaticis, agrimoniam, cichorium: spleneticis, scolopendriam, &c. quæ ad partem affectam cætera dirigunt, & simul peculiari facultate confortant. Sub situ continetur connexio partis cum aliis. Ob consensum autem ventriculi cum corde, aut cerebro: à validè refrigerantibus temperamus, & medicamentis stomachicis admiscemus, quæ peculiari proprietate partes illas respiciunt.

3. Temperamentū. Præterea, cum actione partis concurrit temperamentum à quo primùm actio. Temperamentum autem conservatione semper indiget: igitur ubi cum temperamento morbus plurimùm pugnat, ut si cerebrum Erysipelate laboret, non solùm vehementioribus indiget, sed etiam quæ partis temperamentum, & robur tuentur, & conservant, præcipuè si pars princeps sit. Eadem ratio est, ubi curatio temperamento contraria est, veluti si jecur obstructione laboret, quia substantiæ porosæ est, & dissolutioni idoneum; validè extenuantia, & dissolventia non sustinet, sed extenuantibus dissolventibusque, necessariò corroborantia, & astringentia, miscenda erunt.

Quartò

Quartò, conformatio partis, quæ medicamenti formam, modumq; utendi præscribit: componendorum medicamentorum occasionem aliquam exhibet. Propter formam enim idoneam, multa miscemus, ut infra apparebit. Deinde propter cavitates & meatus partis affectæ, addimus, quæ per patentes vias ducunt: ut si malum sit in cava epatis parte, purgantia; si in gibba, diuretica, epaticis miscemus. Tandem, cùm pars acuti sensus validis remediis tentanda non sit, ne vires dolore dissolvantur, aut partes in consensum trahantur: remedia congruentia erunt contemperanda, & si acria validaq; ea; miscenda, quæ acrimoniam obtundunt, & partis robur confirmant.

4. Conformatio.

5. Sensus partis.

Quæ est ratio partis affectæ: Eadem ipsius ægri. In ægro autem considerantur potissimùm, ætas, sexus, consuetudo, vitæ genus, temperamentum, naturæ proprietas, quæ omnia medicamentorum compositionem interdum variant. Vires enim integræ, ætas consistens, validiora semper sustinent, & consuetudo deteriora sæpè minùs infesta reddit, & propter peculiarem ἰδιοσυγκρασίαν alia aliis magis accommodata sunt, & alia fortiora facilè, alii leviora ægrè sustinent. Quæ omnia intentionem medici variant, & compositionis causam præbent.

Natura ægri.

Tertia causa compositionis, est in ipsis medicamentis, quòd nullum tale simplex reperiatur, quale cupimus, & necessitas exigit. Non reperitur potissimùm, vel ob minus idoneam substantiam, vel non debitam qualitatem, vel non justam quantitatem, vel minus convenientem agendi modum. His addimus duas alias necessitates, scilicet formam, ut & medicamenta πολύχρηστα habemus.

Tertia causa cõpositionis est in medicamentis.

Substantia autem medicamenti varia est, variumq; apparatum, & permixtionem, requirit. Nam liqui-

1. Ratione substantia

medicamenti. liquidis ſicca miſcemus, ne diffluant; & ſiccis liquida, ut faciliùs penetrent: craſſis, viſcidiſq;, attenuantia, incidentia, ut acetum: aſpera lævigamus, & viſcidis miſcemus, ut metallica in affectibus oculorum. Medicamentis tenuioris ſubſtantiæ, & facilè reſolubilis, ut oleo cinamomi, carui, &c. aliquid craſſioris, viſcidioriſq;, addimus, ne vis facilè evaneſcat. Medicamenta, quæ facilè putreſcunt, & corrumpuntur, ſaccharo, melle, aceto, ſale, aut ſimilibus conſervantibus, condiuntur.

2. Ratione qualitatis medicamenti. Deinde, minus apta medicamenti ſimplicis qualitas, inter præcipuas componendorum medicamentorum cauſas numeratur. Qualitas autem, ſive vis, medicamenti ſimplicis aliquando intentioni neceſſaria eſt, ſed affectui non proportionata, &, vel nimis remiſſa, vel intenſa, vel cum malignitate aliqua conjuncta, vel parti affectæ non appropriata. Aliquando facultas aliqua medicamenti intentioni neceſſaria non eſt, ſed ſupervacanea, & aliena. Nam debiliora, aut ignaviora vehementioris, aut acrioris permixtione, intenduntur, & excitantur, ut medicamenta primo gradu calida, permixtis calidis ſecundo, aut tertio gradu. Vis purgans pilularum intenditur additis granis aliquot diagridii: vis purgandi in turbith, aut Agarico, excitatur, & agendi celeritatem acquirit, addito gingibere, aut ſale gemmæ: vis Rhabarbari, addita ſpica, &c. Deinde validiora, intenſioraq; medicamenta, permixtione medicamenti, vel contrariæ facultatis, vel ejuſdem, ſed debilioris, contemperantur, ita in confectione Aromatici Garyophyllati calor intenſus garyophyllorum, piperis, galangæ contemperatur, non ſolùm permixtione roſarum, ſandali, trochiſcorum diarhodon, quæ frigida ſunt: ſed etiam glycyrrhiza &c. Nam remiſſum remittit intenſum, & intenſum intendit remiſſum.

missum. Ad eundem modum, ubi purgantium violentiam metuimus; validioribus ignava interdum miscemus, ut scammonio mannam, Helleboro folia sænæ, Epithymum, &c. Aliquando violentiam purgantium tantum contemperamus contrariis, ut Scammonii, tragacantha & malo cydonio &c. Ut enim quorum vis in crassa materia hæret, qualia sunt turbith, agaricus, rhabarbarum, acrioris extenuantis permixtione extimulantur: ita acriora, & vehementiora, ut Scammonium, colocynthis, crassioris viscidiorisq; permixtione contemperantur. Tertiò, quod maligna qualitate præditum est, benignioris permixtione obtunditur, aut contrariis contemperatur, aut mitigatur, ut opii malignitas addito croco, castoreo &c. colocynthidis, addito oleo amygdalarum, tragacantha: Ellebori malignitas, qua ventriculum afficit, addito aniso, dauco, &c. Quartò, si parti affectæ medicamentum appropriatum non sit, adduntur dirigentia, de quibus supra. Quintò, si medicamentum supervacanea, non necessaria qualitate, sit præditum, ut si sola humectatio intentioni nostræ necessaria sit, & detur medicamentum frigidum humidum: tum debita permixtione calidi humidi frigiditatem illam supervacaneã temperabimus, & intentioni nostræ satisfaciemus. Præterea sapor, odor, interdum calor injucundus, assumptionem mendicamẽti impedit, vomitũ, anxietatesq; aliquãdo inducit: Proinde medicamentorum insuavitas vino, aqua cinamomi, aromatibus, &c. corrigenda: Pro odoris jucunditate graveolentibus, cinamomum: gariophyll. amom. anis. addimus. Item moschum, aquam rosar. quæ odoris fragrantia spiritus reficiunt, & animum exhilarant: coloris verò causa unguentis cerussa miscetur, ut albescant, & pilulæ, boli, aut electuaria, foliis auri integuntur.

3. Ratione quantitatis. Tertiò, propter quantitatem non debitam, interdum compositio necessaria videtur, sed rarius, & potissimum, ubi justi medicamenti necessarii quantitas deficit, qui defectus alio simplici, ejusdem facultatis, suppleri debet, veluti, si opus sit binis drachmis Agarici, & ℈ ii deficiant, suppletur, addita quantitate proportionata alterius phlegmagogi, ut turbith.

4. Propter modum agendi. Quartò, modus agendi medicamentorum, ubi intentioni nostræ non satisfacit, compositionis occasionem præbet. Intentio enim est, ut nunc citò, nunc tardè agat: nunc facilè penetret, nunc subsistat, aut non descendat, &c. Quorum omnium ratione aliquid plærumq; miscemus. Ita agarico, ut citò ad fundum ventriculi descendat, sal gemmæ, & ne ad fundum ventriculi moveatur, semen raphani: Rhabarbaro in dysentericis, ut tardè agat, pulverem myrobalanorum: Emplastris & unguentis lienis, aliisq;, acetum addimus, ut vis facilè penetret.

5. Ratione formæ. Quinta causa compositionis in medicamentis est, ut formam eam consequantur, quæ maximè ex usu nobis futura sit. Formæ autem multiplex utilitas. Nam non solùm alii hac, alii illa forma magis delectantur: sed etiam aliæ atq; aliæ formæ, aliis atq; aliis affectibus, partibusq; affectis, & operationibus, magis accommodatæ sunt, pilulæ enim magis à capite, potiones à ventriculo, viciniSq; partibus, trahunt. Propter formam autem varia miscemus, ut propter formam Emplastri, pulveribus ceram, oleum, resinam; propter Electuarii, speciebus syrupos, aliaq; liquida; propter syrupi, succis, & decoctis, mel, saccharum, &c. Cum forma conjungi poterunt medicamenta conservantia.

Postremus compositionis scopus est, ut medicamen-

camenta πολύχρηστα semper in promptu habeamus, qualia sunt Theriaca, Diacatholicon,&c. quæ variis usibus serviunt,& intentioni nostræ promptè satisfaciunt. Hæ sunt præcipuæ causæ componendorum medicamentorum. Consequens est, ut viam, modumq; componendi, & proportionem componentium proponamus. *6. Propter varias cōpositorum vires.*

DE MODO COMPOSITIONIS, ET DIFFERENTIIS Compositorum Medicamentorum.

Caput X.

Modus componendi medicamenta requirit, ut præcognoscamus: 1. morbi speciem & magnitudinem, conditionem ægri, partisq; affectæ. Deinde, ut naturam ipsorum simplicium, ex quibus fit compositio gratia curationis, nimirum singulorum simplicium facultates, facultatumq; gradus, & doses. Morbi autem speciem, & magnitudinem, ex suis signis, & causis indagare oportet; ut iis remedium contrarium inveniatur, de quibus Galenus *in libris Pathogiæ, & Methodi medendi.* Natura ægri, partisque affectæ, ex physiologia cognoscitur. Simplicium facultates, facultatumq; gradus; ex Dioscoride, & libris Galeni de *Simplic. facult.* aliisq; probatis autoribus. His præcognitis, non difficile erit, modum rationemq; componendi, & quomodo singula ad compositionem concurrant, definire, & determinare. *Modus cōponendi medicamenta quæ requirat.*

Concurrunt autem simplicia in compositione non uno, eodemq; modo, nec iisdem viribus, sed *Partes in compositi-*

one medicamentorum.

quemadmodum in organis humani corporis, nimirum in oculo, una pars præcipua est humor crystallinus, radix, & domicilium, facultatis videndi: cæteræ partes tantum inserviunt, & in unius actionis famulatũ conspirãt, vel quia sine illis nõ fit actio, vel quia tutiùs, faciliusq́;, vel quia meliùs: Ita in compositione medicamentorum una pars principalis est radix, & domicilium curationis, quæ per similitudinem basis dicitur. Ut enim in ædificio, basis est columen, sive fundamentum, cui totum ædificium superstruitur: ita in compositis medicamentis, basis est pars illa præcipua, quàm cæteræ omnes spectant, profligando morbo accommodatissima. Accommodatissima autem putatur, si morbo planè æqualis, id est, qualitatem, & quantitatem, sive gradum idoneum habeat. Qualitas autem medicamenti idonea ex morbi specie: quantitas agendi, sive gradus, ex morbi magnitudine, & natura partis affectæ, æstimatur.

De basi, basisq́. differentiis & qualitate.

Quemadmodum autem affectus, alius simplex, alius compositus: ita basis, quæ affectui correspondere debet, alia simplex, alia composia est. Verùm simplex, & composita basis, diversis modis dicitur. Nam uno modo simplex basis est, quæ unum usum præstat, licet ex pluribus simplicibus, ejusdem facultatis, composita sit, ut in Elect: Diatrionpipereon. Deinde alio modo, quæ uno simplici medicamento constat, ut Aloë in Hiera picra. Ita basis composita erit, vel quæ plures usus præstat, vel quæ ex pluribus simplicibus composita est. Verùm quæ ex pluribus simplicibus, eadem facultate præditis, composita est, pro simplici habetur, quia uni intentioni tantum satisfacit. Quæ verò ex pluribus, diversa, aut contraria facultate præditis, compositæ sunt, bases compositæ potissimum vocantur, quod varios, discrepantesq́; usus præstent, ex quibus

fiunt

fiunt medicamenta πολύχρηστα, quæ diversas operationes habent. A basi plærumq; tota compositio denominatur,& ex basi facultas, facultatisq; gradus, & Dosis totius compositi æstimatur, cùm in curationibus ipsa basis morbo, aut causæ morbificæ, semper opposita sit. Nam facultas ipsius basis, ex affectus specie; magnitudo verò, ex magnitudine ipsius affectus indicatur, ut dictum est. Proinde magnus morbus, magna validaq; remedia, parvus debilia requirit. Tamen variant basin alia quàm plurima, ut morborum tempora, & symptomata urgentia, deinde natura partis affectæ, ut supra dictum est, & constitutio ægri, sub qua continentur vires, ætas, sexus, consuetudo &c. præterea aër ambiens, aliæq; circumstantiæ. Nam alia basis in principio, non apparentibus signis concoctionis, alia in incremento, & statu, convenit, alia tempore exacerbationis, alia remissionis. Deinde pars affecta ignobilis, densa, in profundo sita, aut sensus hebetioris, validiorem basin & remedia indicat. Eodem modo vires ægri robustæ, ætas consistens, consuetudo, vitæ genus laboriosum &c. item aër ambiens, ubi cum morbo conspirat. His contraria debilem basin exigunt. Præterea ob ἰδιοσυγκρασίαν, sive peculiarem naturæ proprietatem, alii validissima medicamenta & alimenta facilè sustinent, alii levissimis etiam facilè afficiuntur; alii his, alii illis, magis delectantur.

De cæteris partibus compositionē ingredientibus.

Variatur etiam basis pro qualitate, & quantitate, cæterorum componentium, quæ basi inserviunt, vel ratione morbi, & causarum morbificarum, vel partis affectæ. Nam si morbum, causasq; morbificas respicias: basis aliquando morbo accommodata planè est, aliquando non, & inæqualis. Inæqualis autem, quia vel nimis remissa, vel nimis

mis intensa, vel maligna, vel aliena sive non necessaria qualitate prædita. Remissa dicitur, quæ debilis, ignava, tarda, in crassiori minusq; efficaci materia fixa. Nimis intensa contra, quæ vim validam & vehementem habet, celeriter & cum vehementia agit, acri & efficaci materia prædita est. Maligna dicitur, quæ cum noxa partis alicujus agit, pravaque symptomata inducit, ut folia senæ ventris tormina; helleborus, suffocationem, anxietates: Aloë hæmorrhoides aperit. Aliena sive non necessaria qualitate prædita est, quæ intentioni nostræ non satisfacit, ut in Rhabarbaro qualitas astringens, ubi intentio tantum est bilem purgare. Huc referuntur calor, sapor, odor ingratus.

Basin corrigentia.

Medici autem est in compositione medicamentorum omnem inæqualitatem tollere, & medicamentum morbo, partiq; affectæ, prorsus accommodatum reddere. Nam si vis ipsius basis ignava, debilis, tarda sit, aut in materia minus efficaci: extimulantibus & acuentibus corrigitur. Sub acuentibus continentur corroborantia, quæ virtutem medicamenti tenuis substantiæ in unum cogunt, augent, & quasi concentrant, ita camomeli vis augetur, & diutius conservatur, addito modico aluminis, aut alterius astringentis: Vis in materia crassæ essentiæ excitatur, additis extenuantibus. Si basis sit nimis vehemens, violenta, acuta, corrigitur refrenantibus. Si maligna, aut aliena qualitate prædita; admixtis contrariis contemperantibus benignioris naturæ. Sub his continentur, quæ calorem, odorem, & saporem jucundum conciliant. Appropriata verò parti affectæ redditur basis directivis, seu dirigentibus. Sub dirigentibus autem comprehendi poterunt, non solùm quæ familiaritate substantiæ parti conveniunt, sed etiam quæ vias ductusq; aperiunt; humores præparant, & concoquunt.

2. Dirigentia.

Hæc

Hæc omnia, ut meliùs componantur & agant: alia nonnulla requirunt, quæ corrigentia & dirigentia basi affigunt, vel quæ formam idoneam toti composito attribuunt, ut pro internis medicamentis, liquores, syrupi, decocta, mucilagines, pro externis, oleum, cera, &c. Conservantur autem medicamenta, vel idonea præparatione, ut alibi dicemus, vel aliorum permixtione, nimirum saccharo, melle, sale, & aceto, &c. ut supra dictum est. In compositis autem plærumq; quæ basi affigunt, formasq; attribuunt, totam compositionem conservant. Igitur in compositis præter basin tria potissimùm considerantur, corrigentia, dirigentia, & conservantia. Quorum proportio in compositione Medico observanda erit. Modus componendi partim ratione, partim ἐγχειρίᾳ usuq; constat. Ratio autem experientiam dirigit. Nam nemo verum componendi modum intelligit, nisi qui methodo curare potest. Methodo curare, est per indicationes medium invenire unicuiq; morbo accommodatum, & contrarium, ut dictum est. *3. Conservantia.*

De proportione basis simplicis aut composita.

Vis medicamenti judicatur ex basi, cui in compositione cætera serviunt: igitur de basi, basisque proportione in compositis, sive ea simplex, sive composita fuerit, primùm dicemus: deinde de cæteris compositionem ingredientibus, eorumq; ad basin proportione. Nam ex debita simplicium proportione tota compositionis ratio dependet. Dosis autem, sive determinata quantitas basis, dependet ex ipsius facultatis vehementia. Nam si basis sit robusta, ut scammonium, aut opium, de ea minorem quantitatem in compositione sumimus: si debilis, ut cassia, rosa, majorem; Si mediocris, ut agaricus, lac. a, mediam. Nihilominus variatur dosis sive quantitas pro natura ægri, magnitudine, sensu, situ,

 & di-

& dignitate partis affectæ, item actionis celeritate, aut tarditate. Nam vires robustæ integræque; pars magna, ignobilis, sensus hebetioris in profundo sita, majorem dosin exigit, quemadmodum ubi actionis celeritate indigemus. Verùm purgantia tantam quantitatis, sive dosis variationem, id est, incrementum & decrementum non ferunt, quantam medicamenta alterantia.

De compositione medicamentorũ secundum qualitates primas.

Composita autem basis, pro componentium ratione, multis modis variatur. Commiscentur autem medicamenta secundum qualitates primas, secundas, tertias aut quartas. Secundum primas autem quando in uno simplici non datur gradus, quem cupimus, sed vel remissior, vel intensior, ut si opus sit medicamento calido secundo gradu, & nullum detur simplex tale, sed vel calidum, aut frigidum gradu primo, & calidum in tertio gradu, dubitatur, non solùm ex quibus componi debeat calidum secundo gradu: sed etiam de dosi singulorum. Nam de proportione ordinum, sive graduum in alterantibus non consentiunt medici.

Opiniones medicorũ de gradibus eorumq; partibus.

Primùm autem opinatur Alchindus Arabs, temperatum medicamentum habere æquales partes caloris & frigoris, sed calidum in primo, duplum caloris temperati; calidum in secundo, duplum gradus primi; in tertio, duplum secundi; in quarto, duplum tertii, proinde calidum in quarto gradu quadruplam habebit rationem respectu secundi; octuplam, ratione primi, sedecuplam, ratione temperati; eadem ratio est in cæteris qualitatibus primis. Verùm hic modus physicis rationibus accommodatus non est, sed errat, quòd minimum augmentũ præsupponat duplum semper esse. Deinde ex hac ratione sequeretur, gradus inæquales partes habere, majores secundum gradum, quàm primùm,

primum, adhuc majores tertium, maximas quartũ. Item medicamentum tertii gradus lethale esse. Meliùs igitur constituuntur gradus alterantium ex affectibus sensui evidentibus, ut partes sive gradus æquales constituantur, & æqua omnium partium distantia, ita medicamentum temperatum æquales partes caloris & frigoris, humiditatis & siccitatis habebit. Nimirum si summus gradus sit quatuor partium in temperatis, erunt duæ partes caloris, totidem frigoris. Si duodecim, sex caloris totidem frigoris. In intemperatis verò, tantum unius contrarii semper corrumpi debet, quantum alterius generatur. Proinde calidum in primo gradu dicitur, quia uno gradu vincit temperatum: in secundo, quia duobus: in tertio, tribus: in quarto, quatuor. Ut igitur intelligatur in quolibet gradu, quot partes utriusque contrarii sint, nimirum calidi, aut frigidi: primò à tota graduum latitudine, scilicet quatuor, auferatur numerus appellationis propositi gradus. Deinde dimidium relicti numeri addatur numero dati gradus & prodeunt partes qualitatis prædominantes, alterum relicti dimidium, erit quantitas partis alterius contrarii in mixto, ita calidum in primo gradu partes $2\frac{1}{2}$ caloris, $1\frac{1}{2}$. frigoris habet. Calidum in 2. gradu tres partes caloris, unam frigoris. Calidum in tertio gradu partes caloris $3\frac{1}{2}$, frigoris $\frac{1}{2}$: in quarto gradu omnes quatuor partes caloris, nullam frigoris. Quæ est ratio in gradibus: eadem etiam in singulorum graduum mansionibus, ita calidum in prima mansione primi gradus habet partes $2\frac{1}{6}$. caloris, frigoris $1\frac{5}{6}$. in secunda mansione secundi gradus partes caloris $2\frac{5}{6}$, frigoris $1\frac{1}{8}$ &c. Nam ut in compositorum, ita in simplicium partibus intensum intendit remissum, & remissum remittit intensum ad medium utriusq;

Ratio numerandi partes cuiusq; gradus aut mansionis in quolibet simplici.

utriusq; proinde gradus in semisses, mansiones in sextantes graduum, dividuntur. Ex hac ratione non difficile erit determinare proportionem simplicium in compositis, & qualitatem, qualitatisque gradum. Componuntur autem simplicia plura vel ejusdem facultatis, vel contrariæ, item vel ejusdem gradus vel diversi. Quando plura unius & ejusdem facultatis, & gradus, componuntur, necesse est & compositum ejusdem tam facultatis, quàm gradus esse. Verum ubi componuntur plura ejusdem facultatis, sed gradus diversi, ut piper calidum in tertio gradu, & spica calida in primo gradu, remissum remittit intensum, & intensum intendit remissum ad medium utriusq;, oriturq; compositum in secundo gradu calidum. Quando verò plura miscentur contrariæ facultatis, si gradus ejusdem, ut rosa, & spica, oritur compositum temperatum. Sin gradus diversi, ut rosa & piper, compositum reducitur ad medium utriusq;, scilicet ad calidum in primo gradu. Eadem est ratio in mansionibus. Nam calidum in prima mansione primi gradus, reducit frigidum in tertia mansione tertii gradus, ad frigidum in prima mansione secundi, at calidum in tertia mansione primi, idem reducit ad primum gradum perfectum. Verùm in his quantitas omnium componentium æqualis esse debet, si inæqualis, pro suo augmento, aut decremento cujusq;, qualitas ejusdem in composito augetur, & minuitur. Nam magna vis quantitatis in compositis est, verùm non tanta, ut duplicata aut quadruplicata quantitate medicamenti, duplicetur aut quadruplicetur facultas, deq; suo gradu aucta dosi, medicamentum recedat, ut Montanus voluit. Nam quantitas medicamenti aucta, actionem quidem intendit, sed ad certum usq; gradum à natura præfixum, quia quantitas aucta diuturniorem actionem habet, minoremq; resi-

Ratio cognoscendi gradus & mansiones compositorum.

stenti-

stentiam. Propter resistentiam enim fit, ut idem nunc intensiùs, nunc remissiùs agat, veluti piperis, aut cardamomi magna quantitas diutiùs, aut violentiùs alterat, & licet aliquando interficiat, non tamen ultra tertium gradum agit, sed interficit, quatenus habitum partium corporis diu multumq; alterat. Verùm si minuatur dosis medicamenti simplicis; minuitur quoq; à contrario actio ad minimum propè, veluti drachma una rosarum, drachmam unam piperis reducit ad primum gradum caloris, sed drachmæ duæ rosarum, drachmam unam piperis ad medium ferè primi gradus caloris $1\frac{5}{2}$. Contra drachmæ duæ piperis, drachmam unam rosarum ad medium tertii gradus caloris reducunt, tres drachmæ piperis, ad tertiam mansionem secundi gradus. Verùm maxima piperis quantitas totam compositionem ultra tertium gradum deducere nequit. De his lege *9. cap. libri 9. controvers. medicar. Valesii.*

Quomodo agant simplicia in mixtis.

Observandum autem inprimis est, hanc rationem tantum locum habere in compositis ante ullam fermentationem, quàm diu vires simplicium integræ adhuc sunt. Nam medicamentorum compositio, vera mixtio non est, nec ipsa simplicia, quæ in potentia tantùm sunt, & actum à corpore nostro recipiunt, in compositis agunt, aut patiuntur, nec à se invicem contemperantur, nisi accedat fermentatio, quæ nihil aliud propriè est, quàm per mutuam alterationem unio, qua pristinæ singulorum vires integræ non permanent. Nam theriaca recens aliis viribus, quàm vetus, prædita est.

Fermentatio quid?

Igitur ante fermentationem singula simplicia in compositis, ubi à calore nostro tantum excitata fuerint, & in particulas comminuta, secundum proprias vires agunt, non solùm in corpus nostrum, sed etiam, dum à calore nostro dividuntur, in se

mutuò

mutuò. Atq; ita actione sua se invicem refrangunt, oriturq; ex proportione majoris & minoris æqualitatis, actio. Quare nulla facultate discretrice indigent partes humani corporis, ut voluit Avicenna, quæ singula illa in compositis secernat, & ad proprios usus referat. Agunt enim singula secundum suas vires, in actum deducta. Post fermentationem autem nova & occulta vis emergit. Oritur autem fermentatio ex mutua simplicium alteratione, ab igne, vapore, aëre, putrefactione & similibus. Medici officium est, non solùm medicamentorum vires viriumq; gradus dignoscere, sed etiam mixturarum rationes, quid, quale, aut quantum oriatur, ac omnium fermentationum vires modosq; inter quos excellunt chymicorum digestiones, circulationes &c. quibus non solùm aliena & inutilia separantur, sed etiam vires discrepantes consociantur & uniuntur.

Vis fermētationis.

Quæ est ratio in primis qualitatibus: eadem quoque in secundis, tertiisque. Verùm cùm secundæ, tertiæque viribus primarum tantum agant: necesse est contemperatis simplicium primis qualitatibus, in compositis secundas, & tertias una similiq; ratione alterari, nimirum assumpta; in corpore secundum vires proprias, singula simplicia agere propter actionem primarum qualitatum; ex quibus resultant secundæ tertiæq; : quod si ejusdem sint facultatis, ut rosa, & galla astringentis, apium & semen melonis diureticæ; intensum intendere remissum, & remissum remittere intensum: sin diversæ facultatis, veluti unum emplasticum, alterum epouloticum, pro modo mixtionis, & ratione primarum qualitatum novam plerumque secundam, aut tertiam, qualitatum oriri. Nam ex debita mixtione emplastici cum epoulotico, aut detergente, oritur sarcoticum: ex sarcotici cum astringente, glutinans: ex astringentis cum validè siccante, epoulo-

Ratio miscendi simplicium secundum qualitates secundas aut tertias.

epouloticum &c. Proinde tota compositionis ratio medicamentorum secundum qualitates secundas, tertiasq;, dependet à compositione, & affectibus, primarum. Purgantia medicamenta, alia manifesta qualitate quemcunq; humorem evacuant, lubricando, abluendo, & detergendo aut comprimendo: alia occulta substantiæ qualitate peculiarem humorem evacuant: Deinde alia remissè & leniter purgant: alia vehementer aut citò, alia mediocriter. Antequam autem hæc omnia componantur, singulorum vires & doses cognoscendæ erunt. Dosis longa experientia deprehenditur; facultates, ut alibi dictum est.

Compositio purgantium.

Miscentur autem purgantia variis modis, primùm ὁμοιότροπα, similia similbus, nimirum lenientia lenientibus: aut mediocria mediocribus: aut vehementia vehementibus, secundò dissimilia dissimilibus, ut lenientia mediocribus, aut vehementibus: mediocria vehementibus. Quando similia similibus miscentur, & alterum alterius actionem promovet: totius compositi quantitas nunquam excedat justam eorum dosin, tantùm enim de cujusq; dosi detrahendum est quantum reliquorum quantitate suppletur: Verùm rationem habere oportet facultatis, quæ nobis maximè necessaria est, veluti si maximè necessaria sit facultas bilem purgans, & misceatur rhabarbarum cum agarico, compositi quantitas non excedat drachmas duas, quæ utriusque dosis est, verùm major pars in composito sit rhabarbari, minor sit agarici. Quando componuntur purgantia, quorum unum alterius actionem impedit, ut cassia cum hiera, aut pulvere myrobalanorum, semper augenda erit compositi dosis. Quando lenientia mediocribus, aut validis miscẽtur, utriusq; ea dosis sit quæ separatim. Ubi valida mediocribus, ut vires mediocrium

acuant,

acuant, mediocrium dosis sit usitata, vehementium multò minor, in granis aut semiscrupulis tantum; sin pari ratione purgare debeant, augeatur mediocrium quantitas supra partis debitæ proportionem.

Observãda in mixtione medicamentorũ secundum qualitates occultas.

Verùm in his omnibus cautio adhibenda est, ut perpendamus, quæ manifesta, quæ occulta, vi agant. Nam tutiùs multò est plura miscere, quæ manifesta, quàm quæ occulta, qualitate agunt. Vis enim compositi, ex simplicibus manifesta qualitate præditis, sensibus est evidens, & ratione dijudicatur: at ex simplicibus occulta facultate præditis, occulta, sensibusq; obscura est, & non ratione, sed sola experientia, comprobatur. Nam in qualitatibus manifestis evidens est, contraria se mutuò contemperare, remissum remittere intensum, intensum intendere remissum, ad medium utriusq;. In occultis qualitatibus talis ratio non datur. Nam compertum est, nonnulla simplicia similes effectus edere, quæ tamen in compositis repugnant, & tacitis quibusdam viribus dissident. Quare ea simplicia occultis viribus prædita potissimùm permiscenda, quæ longo usu deprehenduntur consentire; nec temerè nova composita excogitanda, sed vetera comperta novis incompertis semper præferenda.

Proportio basis.

Cum autem in omni compositione, basis, si non quantitas, vis saltem summa esse debeat: cum basi nunquam miscenda erunt, vehementiora majori dosi. Proportio autem basis, & cæterorum ingredientium, ex basis vehementia, & debilitate æstimatur, habita ratione morbi, partisq; affectæ. Nam si basis vehemens, ut scammonium, opium, &c. de ea minorem quantitatem sumimus, si debilis, multò majorem quam cæterorum. Deinde ubi basis una simplexq; est, plus in compositione requiritur; ubi ex diversis composita, singulorum minus. Præterea quæ partem affectam simul alterãt,

& cor-

& corroborant, aut longè penetrare, & in profundum agere debent, aut quorum vis citò facileque dissolvitur: majori quantitate semper sumuntur: Contra minore; ubi partem affectam tantum alterant, aut in superficiem tantum agunt, aut quorum vis tardè difficulterq; dissolvitur. Eodem modo & illius, quod facultate aliena, & non necessaria præditum sit, aut quod nullum in contrario oppositum habeat.

Corrigentia autem quæ augent, vel minuunt, facultatem basis, in minori quantitate semper esse debent. Communiter autem basis proportio ad minuentia, & acuentia tripla nonnullis putatur: Verùm variatur hæc proportio pro natura basis, & ipsorum corrigentium. Nam alia magis, alia minus, vires basis augent, minuuntq;. Deinde variatur proportio pro varia intentione medici, ut in compositione Hieræ picræ, proportio aloës ad cætera corrigentia, quemadmodum testatur *Galenus* 7. *Methodi.* *Et* 4. *de Sanitate tuenda.* *Proportio corrigentium.*

Quæ malignitatem basis occulta naturæ proprietate corrigunt, ut plurimum æquali quantitate assumuntur: quæ verò qualitatibus manifestis non necessaria, aut supervacanea corrigunt, qualia potissimùm oppositis viribus constant, æquali, aut majori. Dirigentia sequuntur rationem basis. Quò enim basis debilior est, ejusq; quantitas major, eò quantitas dirigentium minor sit, adeò, ut sæpe octupla, aut decupla, sit basis ad dirigentia. Contra quo basis vehementior, ejusq; dosis minor, ut Scammonium, Colocynthis: dirigentium quantitas major esse debet, nimirum quantitati basis æqualis, aut paulò major, quemadmodum est stœchas in pilulis cochicis, quæ ob id cephalicæ vocantur. Nam vis medicamenti dirigentis valida non est, & in exigua dosi ad partē affectā aliorū vires medicamentorū deducere nequit. *Proportio dirigentium.*

Proportio corrigentium.

Tandem quæ conſervationis, formæ, & ſuavitatis gratia compoſitis permiſcentur, baſin nec nimia quantitate planè obtundere, nec aliena qualitate pervertere debent, ſed qualitate ſua aut vires baſis juvare, ut mel in ſyrupis, electuariis, aliiſq; compoſitis calidis, extenuantibus, & abſtergentibus: aut viribus baſis nihil, aut quàm minimum reſiſtere, ut Saccharum in ſyrupis, Julepis, aliiſq; compoſitis frigidis: Cera & oleum in unguentis, & Emplaſtris. Quantitas autem nunc cæteris æqualis nunc major, nunc minor, prout baſis fortior, aut debilior. Quæ conſiſtentiam compoſiti variant in diſpari forma; diſpari proportione ſumuntur. Verùm hæc aliaq; omnia neceſſaria, & perpetua lege definita non ſunt, ſed pro intentione prudentis medici diſcrepāt, ut in ſingulis penè compoſitionib⁹ apparet, ubi plurimum artificioſa compoſitionis ratio & ἐνχειρεία poteſt, pharmacopœis notiſſima. Proinde proportionem conſervantium medici plærumq; pharmacopœorum judicio permittunt. Totius compoſiti ex omnibus partibus facultas, ante fermentationem; ex ſupra dictis regulis, poſt fermentationem, experientia, & uſu, deprehenditur. Doſis verò ex baſi potiſſimum, & iis, quæ baſis vim augent. Cùm autem finis compoſitionis ſit, remedium invenire morbo, parti affectæ, & ægro accommodatum; accommodatum autem non eſt, niſi quod idoneam formam habet, proinde in compoſitis forma primùm conſideranda erit, deinde uſus.

Diviſio medicamētorū compoſitorum. 1. Ratione formæ.

Utriuſq; ratione dividūtur compoſita. Nā primò forma medicamenti, aut ſolida, id eſt, ſicca, dura, craſſa eſt: aut liquida: aut mediocris conſiſtentiæ.

Igitur compoſita alia ſolida erunt, alia liquida, alia mediocria. Solida autem vocantur quæ ſicca, ut pulveres: vel dura, aut craſſa, ut paſtilli, catapotia;

Ele-

Electuaria solida, Emplastra, glandes, &c. Liquida, quæ humidam fluxilemq; substantiam habent, ut aquæ destil: decocta, infusa, syrupi, olea, &c. Mediæ consistentiæ sunt, quæ medio modo se habent, ut eclegmata, Elect. mollia, quæ communiter opiata dicuntur, linimenta, &c. Verùm quæ consistentiam mediam habent interdum solidis annumerantur.

Deinde, quia composita formam usui accommodatam habere debent, pro modo utendi distinguuntur communiter in interna, & externa. Interna autem medicamenta vocantur, quæ intra corpus assumuntur aut ingeruntur. Externa verò, quæ extrinsecus corpori admoventur. *2. Ratione usus.*

Internorum medicamentorum plura sunt genera, quorum alia assumuntur, sive devorantur: alia injiciuntur, sive ingeruntur. Assumuntur, sive devorantur tragemata, trochisci sive pastilli, catapotia, boli, condita simplicia, & composita, Eclegmata, Electuaria liquida, & solida, nimirum confectiones aromaticæ, catarticæ, opiatæ aut antipharmacæ, antidoti, sub quibus omnibus continẽtur tabulæ, pantalea, pastæ, morselli, orbiculi, adduntur apozemata, diluta, potiones, syrupi, julepi, Emulsiones, succi, sapæ, &c. Item olea destillata, tincturæ, magisteria, extractiones, sales, aliæque chymicorum medicamentorum formæ. Ingeruntur verò, sive injiciuntur, clysteres, gargarismi, errhina, apophlegmatismi, glandes sive suppositoria, pessi, & similia, quorum nonnulla magis sunt facultatum, quàm formarum nomina. *Internorũ medicamentorũ formæ.*

Externæ medicamentorum formæ sunt olea, unguenta, linimenta, cerata, empl: cataplas. sive malagmata, fomenta sicca & humida, insessus, balnea, Epithemata, Embroche, sacculi, pulveres inspergendi, sapones, suffitus &c. *Externorũ formæ.*

addunt aliqui cauteria aliaq; quæ magis ſunt facultatum nomina. Verùm ex his omnibus nonnulla ſunt, quæ & apponuntur & injiciuntur, ut olea, decocta, emulſiones & ſimilia.

Compoſita medic. unde nomen ſortiantur.

Diſtinguuntur compoſita non ſolùm à forma, ſed etiam ab effectibus, & à parte affecta. Nam ab effectibus alia purgantia, alia diuretica &c. A parte verò cui deſtinantur, aut ab uſu variè diſtinguuntur, & denominantur, unde quæ auribus injiciuntur, ὠτεγχύτα; quæ oculis, collyria; quæ utero, μετρεγχύτα; quæ naribus, Errhina; quæ pituitam per os purgant, apophlegmatiſmi nominantur. Eodem modo alia cephalica, cardiaca, &c. dicuntur, quia cum facultate formam talem habent, qualem figura partis requirit. Verùm cùm non eadem forma omnia purgantia, vel cephalica præſcribantur: ſatius erit à forma compoſitiones & dividere & denominare. In genere quidem omne compoſitum nomen habet à forma: ſed in ſpecie ſingula à baſi potiſſimùm. ut theriaca à theriis, ſive viperis, dialacca, à lacca, &c. Aliquando tamen ab aliis compluribus compoſita denominantur, & vel ab aliis ingredientibus, ut Elect. Diaphœniconis à dactylis: vel ab uſu, ut Elect. Diacatholicon, Lætificans: vel à parte cui conveniunt, ut pilulæ artheticæ, ſtomachicum laxativum, vel à præſtantia, ut Hiera, Benedicta laxat. loch. ſanum, &c. vel ab inventore, ut Mithridatium, Philonium, confectio Hamech: vel à loco, ut Syrupus Bizantinus: vel à colore, ut emplaſtrum citrinum, unguentum album, De ſingulis compoſitorum formis peculiari tractatu, Deo favente, dicemus. Debita componendi ratio, ut ſupra dictum eſt, requirit aptam omnium & ſingulorum præparationem. Conſiſtit autem præparatio medicamenti partim in inutilibus, aut non neceſ-

necessariis, removendis, partim in qualitatibus corrigendis, partim ut usui melius serviant, & cum aliis componantur.

DE PRÆPARATIONE MEDICAMENTORUM.

Caput XI.

Præparatio alia simplicium tantum sine mixtione, alia in mixtione, aut propter mixtionem. Utraq; præsupponit omniũ simplicium, quæ præparanda sunt, exactã cognitionem, item effectuũ, omniumq; operationũ naturalium. Verùm præter hæc præparatio compositorum exigit, ut non solùm proportionem omnium facultatum & effectuum cognoscamus, sed etiam, si fieri queat, omnes mixturarum rationes, quid, quantum, & quale oriatur, si hoc cum illo conjungatur, item fermentationum vires, ut supra dictum est. *De præparatione medicamentorũ.*

Modi præparationum alii communes, & usitati sunt, alii chymici. Illi numero definiti non sunt, verùm præcipui existimantur infusio sive maceratio, elixatio, assatio, ustio, calcinatio, liquatio, dissolutio, tritura sive pulverisatio, & lævigatio. Adduntur his expressio, percolatio, despumatio, putrefactio, extractio, humectatio, exiccatio, sectio, &c. *Communes præparationes.*

Chymicæ præparationes magis efficaces sunt, magisq; laboriosæ & ingeniosæ. Perficiuntur enim instrumento caloris, artificiosa manuum operatione sive ἐγχειρία, in eum finem, ut per artificiosam quandam transmutationem portio substantiæ medicamentosa vi prædita à terrena fæce, omnibusque impuris & alienis separetur, viresq; melius consocientur. Absolvuntur enim omnes operationes spa- *Chymicæ operationes.*

gyricæ quadam transſmutatione vi caloris potiſſimum, aliquando frigoris.

Caloris in operationib. chymicis quatuor gradus.

Caloris autem in operationibus quatuor ſtatuuntur gradus: quorum primus eſt in vapore balnei, cui correſpondet calor in fimo equino: Secundus in cineribus: tertius in arena aut ſcobe ferri: quartus in aperto igne, cui correſpondent aquæ corroſivæ: Deinde quilibet gradus pro intenſione & remiſſione ſuas partes habet.

Operationum chymicarum 7. gradus.

Tranſmutationum ſive operationum modi complures ſunt, à Paracelſ. *lib. de Tranſmutat. rerum natural.* ſeptem enumerantur.

1. Gradus calcinatio

Primus gradus tranſmutationis Calcinatio communi nomine à Paracelſo dicitur, tranſmutatio ſcilicet ſubſtantiæ in calcis aut cineris formam per ſummum caloris gradum. Differt autem Calx & Cinis, quia in cinere plus ſiccitatis eſt, quàm in calce; & calx metallorum in metallum reduci poteſt, Cinis verò non. Ex cineribus cum aqua fiunt lixivia, unde eliciuntur ſales. Sub calcinatione continetur calcinatio ſimpliciter dicta: deinde Reverberatio, quæ eſt calcinatio in furno reverberii: Tertiò Cementatio calcinatio metalli per cementũ, quando metalla illita aqua corroſiva vel ſtrata pulvere corroſivo reverberatione in calcem tranſmutantur. Quartò Præcipitatio, nimirum calcinatio per reſolutionem in aqua corroſiva: his additur Amalgamatio calcinatio per mixtionem Mercurii vivi in unam maſſam cum metallo.

Reverberatio. *Cementatio.* *Præcipitatio.* *Amalgatio.*

2. Gradus ſublimatio.

Secundus gradus tranſmutationis eſt Sublimatio, quæ à nonnullis latè ſumitur pro omni vaporum in ſublime elevatione. Vapores autem alii ſicci ſunt, qui in aquam nõ reſolvuntur, ſed in materiam ſiccam ſolidam adhærentem operculo aut lateribus vaſis; alii humidi, qui frigiditate poſtea in aquam convertuntur. Elevatio autem vaporum ſiccorum

corum adhærentium operculo aut lateribus vasorum sublimatio propriè dicitur: at elevatio vaporum humidorum, qui postea in liquorem resolvuntur, Destillatio vocatur. Nam sublimatio propriè dicta est segregatio partis spiritualis & volatilis, à corpore concrescentis in lateribus aut operculo vasis: Per sublimationem in mineralibus aliena multa separantur, variæq; virtutes eliciuntur.

Verùm quia multa calcinantur & sublimantur, quæ postea solutione quadam indigent, tertius gradus à Paracelso statuitur Solutio, nimirum substantiæ solidæ in fluidam aut liquidam mutatio. Perficitur ista mutatio aliquando per separationem partis crassioris; propriè verò sine ulla separatione vi caloris & frigoris. Nam quæ coagulantur calore, ut sales, calcinata & sublimata omnia, ea solvuntur frigore in aquam aut oleum. Contra quæ coagulantur frigore, ut pinguia, solvuntur calore. *3. Gradus solutio.*

Huc referri poterit fusio, liquefactio, item in mineralibus & metallis Ceratio, quæ à Gebro definitur mollificatio ad liquefactionem rei duræ, aut succi non fusilis, quæ per iteratas sublimationes imprimis perficitur. Destillatio partes liquidas separat, quæ separatio, ut perfectè fieri queat, requiritur prius quædam materiæ præparatio, maturatio sive putrefactio, quæ à Paracelso quartus gradus statuitur. *Ceratio.*

Est autem putrefactio in genere resolutio aliqua corporis mixti vi caloris humidi in vase idoneo, ut partes discrepantes, aut purum ab impuro melius separari omiaq; contemperari & corrigi queant. *4. Gradus Putrefactio.*

Sub hac continetur primum putrefactio proprie dicta, quæ fit in fimo equino: deinde simplex Digestio, à calore tepido materiæ humidæ aut infusæ *Digestio.*

ſive maceratæ cum idoneo menſtruo ut aqua vitæ &c. in vaſe diligenter clauſo ex infuſione fiunt Tincturæ & magiſteria, atq; hinc poſt menſtrui evaporationem Extracta. Tertio Circulatio digeſtio in pellicano aut vaſe ad id conſtructo, ut continuò vapores ſurſum aſcendentes in aquam concreſcant, iterumq; defluant: quare circulatio mixta videtur actio ex digeſtione & deſtillatione.

Circulatio.

Fermentatio.

Per digeſtiones oriuntur fermentationes nimirum virium conſociationes in medicamentis, unde multæ novæ virtutes emergunt. Verùm differt iſta fermentatio ab illa, quæ fit interdum per commixtionem fermenti propriè dicti materiam penetrantis ut melius digeri & reſolvi queat; aut per admixtionem proprii ſalis in extractis, cujus vi tota maſſa effervеſcit, parteſque omnes melius conſociantur.

5. Gradus deſtillatio.

Filtratio.

Poſt materiæ præparationem ſequitur Quintus gradus Deſtillatio, materiæ liquidæ à corpore ſegregatio; Segregatur autem pars liquida duobus modis, uno ſine igne per clepſydram aut filtrum, quæ Filtratio dicitur: alio per certum caloris gradum in vaſe idoneo pro materiæ quæ deſtillatur tenuitate & craſſitie. Quo enim materia tenuior fuerit, eò remiſſiorem caloris gradum exigit, quo craſſior denſiorq; vehementiorem, ſemper autem ſubtilior eſt deſtillatio, quæ fit per remiſſiorem caloris gradum. Per deſtillationem eliciuntur è medicamentis aquæ, ſpiritus, olea, &c. verùm alio atque alio modo & forma, pro materiæ ratione & illius, quod deſtillatione elicitur; in quem uſum multæ inſtrumentorum & vaſorum formæ excogitatæ ſunt.

Triplex deſtillatio. Per aſcenſum.

Formæ autem & modi deſtillationum tres primario ſunt, triplexq; deſtillatio. Una per alembicum ſive per aſcenſum vaporum directè aſcenden-

tium

tium in cucurbita erecta cum alembico: altera ad latus per retortam: tertia per descensum accenso igne supra caput vasis in imo pertusi alteriq; impositi. Sub destillatione continetur: 1. Rectificatio nimirum liquoris destillati nondum satis perfecti in puriorem substantiam aut præstantiorem naturam reductio per repetitam liquorum destillationem: Deinde Imbibitio affusio liquoris destillati fæcibus aut capiti mortuo. Tertio Cohobatio, id est, post imbibitionem & digestionem nova quædam destillatio sive destillationis repetitio: per cohobationem destillando multa figuntur & exaltantur, multæq; arcanæ virtutes ex mineralibus potissimum eliciuntur. Fixio autem juxta Geberum est rei fugientis ignem ad ipsum conveniens aptatio. Figuntur autem metalla imperfecta per calcinationem: spiritus ut Arsenicum, sulphur & argentum vivum per sublimationis repetitionem. Vitriolum & sales per cohobationem. Ad destillationem referri quoq; poterit Exhalatio, nimirum evaporatio liquoris in aperto vase.

Per descensum. Ad latus. Rectificatio.

Imbibitio. Cohobatio.

Sextus gradus operationum solutioni opponitur Coagulatio, quæ est rei fluidæ in solidam formam transmutatio Reducitur autem fluidum in solidam formam interdum separatione sive exhalatione partis liquidioris: propriè verò sine ulla partis separatione vi caloris & frigoris. Nam quæ solvuntur frigore, coagulantur calore & contra. Huc referri poterit fixio, coadunatio, &c.

6. Gradus Coagulatio.

Ultimus gradus Paracels. est Tinctura non illa vulgaris per menstrui affusionem & digestionem, sed supremus omnium operationum gradus, cui cæteræ subserviunt, unde elicitur tinctura illa, qua tinguntur & perficiuntur metalla & humana corpora, cujus usus primarius putatur in transmutationibus metallorum: Atq; hi sunt in ge-

7. Gradus Tinctura.

nere operationum & transmutationum chymicarum modi. Verùm Paracelsus *in Archidoxis*, in præparationibus medicamentorum tres primarias operationes ponit, nimirum Calcinationem, Sublimationem & Destillationem, ad quas cæteræ referuntur, aut quibus subserviunt. Per has medicamenta præparantur variæque medicamentorum formæ eliciuntur; ut Liquores, Spiritus, Olea Destillata, & Balsami, Tincturæ, Magisteria, Extracta, Essentiæ, Sales, Flores, &c. Verùm quæ Specifica Elixeria, & Arcana, communiter vocantur, magis sunt facultatum quàm formarum nomina. De his omnibus præparationibus, deq; singulis compositionibus alibi DEO volente latius agemus.

QVID PURGATIO, QVA RATIONE ET QVIBUS perficitur.

CAPUT XII.

CUm Medicina (Hippocrati *lib. de Flatib.*) adjectio, subtractioq; sit: Adjectio quidem deficientium, subtractio verò redundantium; & Medici officium, ut sanitatem amissam restituat, præsentem conservet, quod deest in corpore humano supplere, quod redundat, subtrahere (Nam causæ, quarum consideratio in curatione locum potissimum habet, ad inanitionem, vel repletionem reduci poterunt.) Igitur in curationibus requiritur, ut Medicus Instrumenta illa cognoscat, quibus omnis defectus suppleatur, & redundantia detrahatur. Impletur autem id, quod exhaustum est in corpore, reficientibus & nutrientibus, de quibus hoc loco non dicemus: Detrahitur redundantia evacuantibus.

Verùm

Verùm cum redundantiæ non una ſit ratio: (nam alia in toto corpore, omnibus tribus corporis regionibus continetur, alia in una regione potiſſimum aut unius regionis parte, ùt in Liene, Jecore, Cerebro, &c. item alia humorũ qualitate nocentiũ, quæ Cacochymia: alia quantitate lædentium, quæ plethora propriè dicitur:) non erit omnium una evacuationis forma, nec ratio. Prima autem regio corporis, quæ à gula ad medias Jecoris partes extenditur, & ſentina corporis dicitur: præter fæces, omnis generis excrementitios humores ſuſcipit & gignit; unde ex crudis corruptis, aliiſq; vitioſis humoribus cacochymia. Deinde ſecunda regio, quæ à medio Jecoris ad tenues ſingularum partium venas pertingit, peculiariter plethora infeſtatur, ſimulq; in ea varia cacochymia gignitur, pituitoſa, bilioſa, melancholica, ſeroſa, cum, aut ſine putredine, &c. Tertia regio, quæ propagines venarum, totumq; corporis habitum comprehendit, ea vitia potiſſimum ſuſcipit, quæ à majoribus venis derivantur.

Redundantiæ ſpecies.

Redundantia autem in vaſis humorum quantitate nocentium phlebotomiâ: qualitate nocentium Catharticis evacuatur. Redundantia verò humorum extra vaſa in habitu corporis, ſudoribus & inſenſibili perſpiratu. Atq; hæ univerſales evacuationes vocantur, quia non ab unâ aliquâ peculiari parte materiam vitioſam ſubtrahunt: at quæ ab unâ aliquâ parte evacuant, ut à capite Errhina, à pectore Bechica, à viis urinæ Diuretica, &c Particularia purgantia propriè nominantur. Nos hoc loco non de omni evacuatione, ſed de ea potiſſimum, quæ eſt humorum qualitate nocentium, & κάθαρσις ſi purgatio propriè dicitur, agemus. Nam vocabulum purgationis interdum latè ſumitur pro omni evacuatione humorum, ſive ea ſpon-

Evacuationis ſpecies univerſales & particulares.

ea ſponte fiat, ſive ope medicamentorum, vomitum aut alvi dejectiones moventium. Verùm cum *Gal. comm. 2. Aph. 1. & 17. Aph. 2.* κάθαρσιν propriè definimus evacuationem humoris qualitate peccantis, factam à natura ope & efficaciâ pharmaci cathartici, adminiſtrati à medico in eũ finẽ, ut ſanitas præſens cõſervetur, aut amiſſa reſtituatur. Nam propriè purgare eſt, per ſuperiora & inferiora medicamento evacuare: licet in anguſtiſſimâ ſignificatione κατ᾽ ἐξοχὴν purgare dicatur, per inferiora tantùm educere.

Quid purgatio.

Quæ conſiderãtur in purgatione.

In purgatione propriè dictâ duo potiſſimum conſiderantur: primùm id quod expurgatur, aut expurgari debet, & ipſam purgationem potiſſimum indicat: nimirum humor qualitate peccans, ſive Cacochymia, quæ multiplex & varia eſt, ut jam diximus. Indicat enim Cacochymia purgationem, ſi vires ferant, conſtitutio corporis, aër ambiens, cæteraq; conſentiant: Deinde in purgatione conſideratur id, quod expurgat. Expurgat quidem natura ſive facultas expultrix corporis non per ſe ſola, ſed vi & efficacia medicamenti humorem moventis & facultatẽ concitantis, ut aut per ſuperiora vomitu, aut per inferiora dejectione ſuperflua expellat. Talia medicamenta duplicia ſunt: quædam enim manifeſta qualitate quemvis obvium humorem evacuant, nimirum ὑπακτικὰ, quæ quadruplicia ſunt lubricantia, abluentia, detergentia & comprimentia, de quibus ſupra *in cap. 6. huius libri* dictum eſt, alia quæ unum certum determinatum humorem educunt, & propriè καθαρτικὰ appellantur, & interdum per excellentiam, communi nomine pharmaca, unde φαρμακεύειν *22. Aph. 1.* idem ſignificat, quod electivè purgare, ſeu unum peculiarem humorem educere. Nam medicamenta, quæ cathar-

cathartica vocantur, primùm ſubſtantiæ peculiari quadam proprietate in certos determinatos humores agunt, eoſq; ſeparant & eliciunt, deinde facultate & manifeſta & occulta naturam ad eos expellendos irritant. Expultrix autem vis vaſorum irritata, partim à pharmaco, partim ab humoribus vi pharmaci ſecretis aut concitatis eos in ventrem detrudit, & per inferiora aut ſuperiora expellit. Quare cathartica per ſe tantum humores non trahunt & evacuant, ſed vi facultatis expultricis caloriſque nativi, aut quia certos humores determinant & eliciunt, & ad eos expellendos naturam ſtimulant. Proxima igitur cauſa purgationis per inferiora & ſuperiora non tam penes pharmacum eſt, quàm facultatem expultricem, quatenus à pharmaco dirigitur & concitatur, ac peculiares humores vi pharmaci concitatos & ſecretos extra corpus exigit & propellit. Quod ſi purgatio tantum fieret, quia pharmaca humores determinatos ad ſe trahunt: Unguenta & Cataplaſmata umbilico impoſita ventrem non moverent, ſed ad ſe verſus ſuperficiem movendo potius ſiſterent. Præterea experientiâ conſtat multis alvum turbari, dum validè purgantia manibus verſant: nonnullis, dum tantum olfaciunt; quod alia relatione non accidit, quàm quod pharmaca naturam ad expulſionem excitent. Igitur natura purgat, impulſa & directa à medicamento purgante. Verum ante quàm impellatur, boni Medici erit, inclinationem naturæ ſpectare, & pharmacis ad expulſionem nunquam violenter cogere, ſed ſi propenſa ſit, & ad expulſionem inſurgat, juvare: Si pigra, excitare, rectaq; ratione ſubvenire; ſemperq; ubi natura ſe ducem præſtat, ſub ſignis naturæ contra morbum pugnare, nihil temerè, nihilq; negligenter facere.

Quæ omnia ut ritè fiant, totam de purgandi ratione

Partes doctrinæ de purgandi ratione.

ratione doctrinam tribus comprehendemus. 1. erit de ipsis medicamentis, quibus perficitur purgatio: 2. De modo utendi, sive de methodo purgandi: 3. De accidentibus purgationem consequentibus, sive de iis, quæ facienda sunt assumpto pharmaco. In legitimâ methodo purgandi quinq; observanda veniunt: Primum an & quibus purgatio cōveniat: Secundo quæ & qualia purgare oporteat: Tertiò, quantum quousq; & quoties: Quartò, quo tempore potissimum: Quintò, per quas vias sive loca. In his quoq; consistit legitimus medicamentorum purgantium usus: nam his intentionibus purgantia accommodare decet.

Purgantium facultates.

Ac ut ab ipsis purgantibus initiū faciamus, evacuant pharmaca, alia manifestâ qualitate quemcunq; humorem, lubricando, abluendo, extergendo, aut comprimēdo: alia peculiarem humorē, aut ex peculiari parte. Et licet pharmaca teste *Gal. 5. Simpl. c. 16.* caliditatis ratione humorē plærumq; attrahāt: tamē hunc aut illū humorē familiarē eligere, non á qualitate manifestâ provenit, sed ab occultâ aliquâ proprietate, ut Aphrodisiensis voluit: sive à specificâ formâ, aut totius substantiæ proprietate, ut Paulus *lib. 7. cap. 4.* Gal. *3. Meth. cap. 6* quæ illi innascitur à virtute cœlesti, ut sentit Mesue: vel à proprietate, quæ est inter pharmacum & humorem ob qualitatum convenientiam, aut substantiæ similitudinem, *ut Hipp. de naturâ humanâ*, *Gal. 3. de Simpl. cap. 24.* ac proinde solâ experientiâ cognoscuntur, *ut de Facult. medic.* dictum est. Nihilominus quæ cum illâ substantiæ similitudine & proprietate evidentiorem calorem habent, plerumque determinatum humorem vehementius expurgant. Quod si pharmaca manifestâ qualitate tantum agerent, aut cucurbitæ ritu humorem promiscuè attraherent: primùm tenuiores & ad

fluxio-

fluxionem aptiores, deinde crassiores educerent. At experientâ constat, nonnulla non tenues, sed crassiores evacuare, nonnulla tenues tantum, relictis crassioribus. Igitur actio illa erit non ab evidentibus qualitatibus, sed à substantiæ certâ proprietate, cujus vi pharmacum humorem appropriatum præ cæteris educit, nisi proprio frustretur. Nam tum demum pro proprio quemvis obvium, & ad fluendum paratissimum aggreditur, & naturam ad eum expellendum stimulat.

Differẽtiæ purgantiũ medicamẽtorum.

Deinde evacuant singula penè pharmaca unum humorem potissimum: aliquando duos, raro plures, nunquam omnes: nisi natura à violentiâ & effrenatâ vi purgantis ita proritetur, aut tam languida sit, ut nec violentiam pharmaci coërcere, nec impetum humorum fluentium cohibere queat; tum non solum determinatum humorem, sed etiam reliquos educit: verùm primùm tenuiores & ad fluxionem aptiores, dein crassiores, omnium ultimò sanguinem naturæ thesaurum. Ac proinde hæ immodicæ purgationes, quia utilia cum inutilibus educunt, viresque dejiciunt, ὑπερκαθάρσεις Græc. dicuntur, de quibus latius suo loco.

Quatuor consideranda in pharmaco

In pharmacis, quæ occultâ substantiæ proprietate evacuant: 4. potissimum considerantur. 1 quem humorem proprium evacuare debeant. 2. per quas vias. 3. à qua parte potissimum. 4. quo modo; Ab his omnibus distinguuntur purgantia. Nam humores quatuor purgandi sunt, nimirum, bilis utraq;, pituita & serum. Proinde medicamenta electivè purgantia quadruplicia erunt: Cholagoga, Melanagoga, Phlegmagoga, Hydragoga. Secundò alia per superiora vomitu, alia per inferiora dejectione evacuant. Tertiò alia à ventre magis, alia à Jecore, Splene, Cerebro &c. Quartò alia blandè, leniterq; alvũ subducunt, alia validè, alia medio modo se habẽt.

1.
2.
3.
4.

Benignè

Purgātia singulos humores blande, modice, & valide

Benignè, leniterq; bilem evacuant per inferiora, manna, tamarindi, cassia, infusio & succus rosarum, myrobolani citrini &c. Modicè, aloë, Rhabarbarum: validè, Scammonium. Melancholiam blandè evacuant, Epithymus, thymus, polypodium myrobalani Indi &c. Validius, folia senæ: validissimè, helleborus niger, lapis armenius, lazuli, &c. Pituitam crassiorem leviter evacuat: Carthamus, polypodium, myrobalani Chebuli &c. Validius, agaricus, turbith, hermodactylus: Validissimè, colocynthis, Euphorbium, &c. Aquosos, serososque humores leniter purgant, Ebulus, Sambucus, &c. Validius, Iridis succus, Soldonella &c. Validissimè elaterium, mezereon, lathyris, &c.

Vomitoria.

Deinde vomitum leniter provocant, aqua hordei, syrupus acetosus, hydromel, oxymel, ficus recentes &c. validius, succus raphani, decoctum radic. betonicæ, raphani, seminis atriplicis, anethi. Item pulvis asari, radix peponis: validissimè, gratiola, helleborus albus, antimonium.

Purgātia à determinatis partibus.

Quanquam autem validè purgantia justâ dosi exhibita, magna vi è distantioribus locis superflua expurgare soleant, benigna è propinquis locis leniter alvum subducant, mediocria medio modo se habeant: Tamen substantiæ proprietate, agaricus & colocynthis potentius à capite trahunt; Aloë à ventre; Rhabarbarum à Jecore; Cassia à pectore; folia senæ à Liene; hermodactyli ab articulis &c. Validissimè purgantia ob malignitatem, quia naturam plurimùm conturbant, gravissimaq; symptomata inducere soleant, simpliciter data, aut non ritè correcta, aut non debitè præparata: vel prorsus vitanda, vel diligenti ratione utenda; ne, ut scribit *Plin. lib. 29. hist. natural. cap. 1.* animas negociari, & experimenta per mortes agere dicamur.

Leniten-

CAP. XII.

Lenientia verò, benigneq; purgantia, (quia alvum resistentem leviter subducunt,) communia excrementa evacuant, cætera quæ in venis sunt, magis præparant, à veteribus præparantibus magis annumerantur, quàm illis purgantibus, quæ materiam morbificam perfectè evacuant. Maligna, valideque purgantia permistione benigniorum obtunduntur & corriguntur: Purgantia ignava & imbecilla acrioris permixtione excitantur. Verùm de his omnibus, deq; medicamentorum præparationibus superiùs egimus.

Quomodo utendum purgãtib. valide, blande & mediocriter.

Ex his aliisq; simplicibus purgantibus compo sita fiunt, variæq; compositorum formæ; quarum omnium non est una ratio. Alia enim purgantia composita interna dicuntur, quæ per os assumuntur aut per anum immittuntur: alia externa, quæ corpori extrinsecus admoventur. Communiter autem purgationes fiunt medicamentis in debitâ formâ assumptis, aut per anum immissis. Quæ autem per os assumuntur, triplicia potissimum sunt; Alia liquida, ut potiones ex purgantium decoctis, Infusis, syrupis, electuariis, pulveribus & similibus: Alia solida, duraq; sunt, ut pilulæ, item electuaria solida: Alia mollia, ut boli purgantes. Per anum verò immittuntur, ut facultatem expultricem stimulent, humores purgent, Clysteres & glandes. Verùm si æger nequeat his uti, aut renuat, cogimur aliquâ ratione supplere per linimenta, aut malagmata ventri imposita: ut sunt Epithemata, & unguenta Aëtii *lib. 1. Serm. 3. cap. 135.* Item per poma Rhasis, ex Scammonio, aloë, myrrhâ, diu manibus agitata, donec incalescant; per odoramenta ex validè purgantibus & similia. Cum autem nihil temerè medico agendum sit, primùm longâ experientiâ vires omnes medic. simpl. & compositorum cognoscere oportet. Tutius enim utimur usitatis, &

Formæ purgantium medicamentorum.

expertis à peritissimis Medicis, quàm inexpertis: licet novitas & varietas multos delectet. Laudant nonnulli medicamentis simplicioribus uti: aliqui vernaculis & propriis cujusq; regionis potius, quàm exteris: nisi extera plurimum fuerint experientiâ comprobata. Tantum in genere de medicamentis, quibus perficitur purgatio. De quantitate medicamenti infrà dicemus.

Purgationis differentia.

Ex jam dictis manifestum est, quod purgatio alia lenientibus perficiatur, alia electivé purgantibus, quæ determinatum humorem evacuat. Purgatio autem determinati humoris est, alia perfecta plenavé, quâ tota materia morbifica simul evacuatur: alia imperfecta & paulatina, qua tota non simul educitur. Sub hac continetur primò purgatio minorativa, quâ materia morbi minor tantum redditur, quod plerumq; in initiis morborum fieri solet: Deinde purgatio, quæ per ἐπίκρασιν dicitur, quâ id, quod vitiosum est, paulatim evacuatur, & pro eo quod salubre est, reponitur. Verùm hæc composita operatio est, ex evacuatione, quæ paulatim fit, & refectione sive nutritione, ut latius in progressu dicere.

QVÆ NATURÆ PURGATIONES FERANT, ET QVOS humores purgare oporteat.

CAPUT XIII.

An & quibus purgatio conveniat?


Onsequens nunc est, ut ipsam purgandi methodum eo, quo diximus, ordine proponamus. Ac primùm purgari debent corpora cacochymica, nimirum, quæ pravis succis sive humoribus qualitate peccantibus redun-

redundant: potissimum, si humores tam copiosi aut vitiosi sint, ut à natura facilè superari, aut in utiliorē substantiam converti nequeant. Proinde purgatio propriè sanis non convenit, sed neutris, aut ægris, in quib⁹ pravorum succorū redundantia. Nam purgātia, præcipuè validiora assumpta, cum pravos humores in corpore nō reperiāt, sanos conturbant, sanāq; carnē colliquāt, variaq; symptomata inducūt, ut testatur Hipp. & Gal. *36. Aph. 2.* Lenientia, benigneq; purgantia, quæ alvū leniter subducunt, & humores nullo modo cōturbāt, hîc excipim⁹, & ubi cū veteribus de purgatione materiæ morbificæ loquimur, præparātib⁹ magis annumeram⁹: Hæc .n. ritè administrata omnibus convenire poterunt, ut alvum resistentem subducant, communiaq; excrementa evacuent, & simul materiam morbificam præparent.

Quando purgandū vel non purgandum? Purganda quidem sunt corpora cacochymica, si actu morbo laborent, ut corpora ægra: aut futurum metuant, ut neutra. Verùm non semper, sed primùm si vires ferant, corporis constitutio, aër ambiens, cæteraq; permittant. Deinde purgare non decet, ubi aliis & levioribus curare licet. Tertiò, ubi natura per se sufficit, ad morbificam causam depellendam, aut ubi natura se ducem non præstat. Quartò, si humor ad purgationem planè ineptus & inidoneus sit.

Indicationes purgativa. Nam in purgatione, prima indicatio semper sumitur à causâ morbificâ, id est, humore peccante, qui suâ natura evacuationem desiderat: Secunda à viribus ægri, quatenus evacuationem illam permittunt aut impediunt. Per se enim vires conservationem semper indicant. Accedit tertiò partis affectæ conditio: item aër ambiens, sub quo tempus anni, regio & constitutio cœli continentur. Cum causâ morbificâ conjunguntur ipse morbus & symptomata urgentia. Vires demonstrat;

ætas, sexus, temperamentum, naturæ proprietas, habitus corporis, consuetudo, & similia. Partis affectæ consideratio dependet ex ipsius temperamento, usu, figurâ, situ & sensu.

Observāda in purgationib⁹. 1. Morbus. Hæc omnia Medico consideranda veniunt, simulq; in ægris observanda erunt, qualis morbus, an acutus, vel diurnus, an cum alio morbo, ut febri, conjunctus. Deinde ex quâ materiâ, an quietâ vel furenti: an crudâ aut concoctâ. Si cruda, an concoctio sit expectanda, an sola præparatio, an sine his evacuatio aliqua molienda. Item quamdiu æger laborârit: tandem quæ naturæ proprietas, an validis medicamentis apti & assueti sint. Hæc aliaq; Medicum diligenter expendere oportet, ne nobis usu veniat, quod in nonnullis reprehendit Hippocr. *lib. de Articulis:* qui exhibito pharmaco, velut manu suâ ægros jugularunt. Unde idem Hipp. bonum, inquit, medicamentum aliquando est, nullum medicamentum adhibere. Quare nil temerè, nil negligenter medico agendum est, sed singulis consideratis, ubi expedit, evacuare oportet: ubi non expedit, naturæ potius relinquere, aut aliâ ratione naturæ subvenire.

2. Ætas. Ac primùm, ut ab iis incipiamus, quæ vires demonstrant: ætas media omnium optima purgationes sustinet: pessimè ætas senilis & Infantia, ob virium debilitatem. Proinde pueris & senibus purgantia exhibere non convenit: nisi vires constent, & magna necessitas exigat, sive magnus morbus ex cacochymiâ urgeat; à validis omninò abstinendum. Nam validè purgantia, rara puerorum corpora dissolvunt & colliquant: debilia senum corpora, ob boni sanguinis & spirituum defectum prosternunt. Nihilominus senibus multò validiora conveniunt, quàm pueris. Deinde pueri, quod insitam sibi à naturâ quasi per poros cutis evacua-

tionem habeant, non levem pravorum ſuccorum copiam ſine ullâ aliâ evacuatione diſcutiunt. Verùm in magnâ pravorum ſuccorum redundantiâ ſi puer adhuc lactans ſit, purgari Hipp. *teſte 6. Epid.* poterit, Carthartico nutrici exhibito, quod lac purgantium vires contrahat: verùm nutrici ſanæ validum pharmacum exhibere non decet, ſed dilutum Rhabarbari, foliorum Senæ &c. At ipſi puero, ſi alvus non reſpondeat, manna, mel roſarum &c. tutò propinari poterunt: grandioribus dilutum Rhabarbari, ſyrupus diaſereos, & ſimilia.

Deinde viri plerumq; purgationibus magis idonei ſunt, validioraq; purgantia ferunt, quàm mulieres: licet contrarium interdum accidat. Mulieribus menſtruorum fluxu laborantibus purgatio non convenit. Virginibus, & viduis caſtis, ob ſeminis retentionem & uteri ſuffocationem, valida purgantia exhibere non oportet: quia uterus acribus facilè irritatur. Prætereà mulieres utero gerentes purgationes difficulter ferunt: Nihilominus in acutis morbis, ſi materia turgeat, ut præcipit Hippoc. 1. *Aph. 4.* prægnantes quadrimeſtres uſq; ad ſeptimum menſem purgabis; ſed has parcius, ne violentiâ fœtus ligamenta rumpantur. Fœtus verò minores & grandiores vitare oportet. Nam primis menſibus ligamenta tenera ſunt, facileque ab externis cauſis diſrumpuntur: poſtremis verò menſibus pondus ipſius fœtus majus eſt. Purgationes exhibemus prægnantibus, in morbis acutis, periculo urgente, & humoribus turgentibus, ut majus malum evitemus. Nam ſi mater ex acuto morbo evaſerit, ſpes aliqua ſalutis erit ipſius fœtus: ſi mater pereat, ambo perire neceſſe eſt. Tentare igitur debet Medicus, ut ambo liberentur: ſed ſi fieri nequeat, ut mater ſaltem. *3. Sexus.*

4. Temperamentũ & habit⁹ corporis. Temperamentum & constitutio corporis purgationes prohibent, vel permittunt. Nam temperamentum & constitutio media purgationibus maximè oportuna est: Corpora verò sicca, frigida, macilenta, laxa, rara, mollia, aut nimis obæsa purgationes ægrius ferunt; contrà robusta, carnosa, laboribus assueta &c. Proinde in his præceptum Aëtii *lib* 1. *Serm* 3. *cap.* 23. observandum erit: scilicet utendum purgantibus in his, in quibus vires validæ sunt, & voluntas prompta est, & qui stomachum robustum habent, & multam inutilem materiam in corpore colligunt. At pingues & graciles ad purgationem inepti sunt. Insuper, qui multo sanguine abundant, qui assiduò animo linquuntur, & ægrè revocantur, & qui ex levissimâ occasione citò vomunt: pueri item, ac senes, & mulieres, quibus menstrua validè fluunt: & qui valdè purum habent corpus, & qui certam habent victus rationem, & quibus alvus est naturâ adstricta, & qui dysenteriâ, cœliacâ passione facilè corripiuntur, omnes hi ad purgationem inepti sunt.

5. Idiosyncrasia & cõsuetudo Additur Temperamento ἰδιοσυγκρασία, & consuetudo. Nam ob peculiarem substantiæ proprietatem nonnulli valida purgantia facilè sustinent, alii levibus multum offenduntur: alii his, alii illis magis delectantur. Consuetudo verò purgandi, validè purgantia minus infesta reddit; Ideò eos validioribus purgare non oportet, qui purgationibus assueti non sunt: nisi naturâ robusti fuerint.

6. Aëris & temporum constitutio. Insuper constitutio aëris, temporis, & regionis temperata, (primò tempus vernum, deinde autumnale, item Zona temperata &c.) purgationibus maximè accomodata est: Deinde aër calidus, humidus. Nam aëris aut regionis cõstitutio frigida,

hyema-

hyemalis, borea, humores nimium cogit, corpus condensat: Calida verò humores commovet, & ad cutem evocat, viresq; corporis exhaurit. Proinde sub cane & ante canem difficiles sunt purgationes. Eadem est ratio in febribus ardentibus, si materia non turgeat, & similibus, ut infra dicemus.

Validè purgantia, teste Hipp. *lib. de Hellebori usu*, non conveniunt decoloratis, siticulosis, flatuosis, siccum tussientibus, raucedine laborantibus, & hæmorrhagiâ: qui præcordia distenta habent &c. Item iis, qui prava victus ratione utuntur. Sed de his aliisq; in progressu dicemus. Tandem in morbis symptomata urgentia vires debilitantia, ut vehemens dolor, vigiliæ, morsus circa orificium ventriculi &c. purgationes prohibent. *7. Morbi & symptomata urgentia.*

Secundò, Cacochymia, sive humor qualitate peccans, qui evacuationem indicat, est bilis utraque, pituita, & serum. Hi humores pluribus modis redundãt, variasq; affectiones inducunt. Redundat autem vel unus humor, vel duo, vel plures, semperq; speciei humoris aptanda est species purgationis; & humor redundans sive simplex, sive compositus, appropriato medicamento expurgandus erit: biliosus cholagogis, pituitosus phlegmagogis &c. Deinde humor vitiosus, si ratione qualitatis consideretur, vel est crudus, vel concoctus: item consistentiæ tenuis, crassæ, mediæ. Præterea quietus, impactus, aut furens, turgidus & mobilis. Semper autem tam in purgationibus, quam in spontaneis evacuationibus, si, qualia oportet, purgentur, conferunt, & facilè ferunt: sin minus, difficulter. Nam (ut Hipp. 2. *Aph. 4.*) in purgationibus talia è corpore educere, qualia sponte prodeunt, utile est: quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet. Facilè autem purgantur humores cocti, deinde turgidi, consistentiæ tenuis, *Quis humor sit purgand⁹ & qualis.*

aut mediocris: difficulter humores crudi, quieti, aut impacti, crassi & viscidi.

Norma in omnibus purgationibus. Igitur præcipit Hipp. *22. Aph. 1.* quæ concocta sunt, medicamento purgare, non autem cruda, nec per initia: nisi materia turgeat, quod perrarò accidere solet. Si verò in morbis acutis materia turgeat, ut monet Hipp. *10. Aph. 4.* eodem die purgare convenit. Tardare in talibus, malum est: ne vires dissolvantur, & humor, qui suopte impetu huc illuc movetur, in partem principem tandem irruat, & mortem repentinam inducat. Deinde crassi & viscosi humores, licet concocti, pharmaco non cedunt, sed sibi, aliisq; vias præcludunt; similiter humores impacti. Igitur crudus humor primùm omnium concoquendus erit: deinde, si ad expulsionem minimè idoneus, (nimirum crassus aut viscidus,) præparandus, ut facilius & commodius expellatur.

Præparatio humorum duplex. Quare in morbis duplex præparatio humorum ante purgationem locum habet: una propter concoctionem, quando humores medicamentis disponuntur, ut promptius & facilius à naturâ concoquantur, quæ maturatio humorum dicitur: Altera est propter purgationem, quando humores evacuationi apti redduntur, quæ præparatio simpliciter vocatur. Verùm ut hæc omnia intelligantur, primùm determinare oportet, qualis sit illa cruditas in morbis, cujus concoctio expectanda erit: deinde quomodo perficiatur.

Cruditas quot modis sumatur. Crudus autem humor variis modis dicitur. Nam, qui à calore nativo ad mediocritatem perductus non est, ut pituita, præcipuè verò vitrea, crudus humor dicitur: Item alimentum inconfectum in ventriculo, Jecore, & venis, crudum vocatur. Deinde, quæ concoctionis mediocritatem prætergressa sunt, ut bilis flava, & atra: Item excrementa

alvi &

alvi & veſicæ, cruda interdum dicuntur; ſed minus propriè. Præterea redundantia humorum frigidorum, calidorum, craſſorum, tenuium &c. cruda quoq; dicitur. Verùm talis cruditas hoc loco propriè non conſideratur, nec talium crudorum humorum concoctio ſemper expectanda erit in morbis: ſed præmiſſa, ſi opus fuerit, præparatione, citra concoctionem purgare poterunt; cum eorum vitia concoctione non emendentur; ut vitreæ pituitæ in colicâ, ſeroſi humoris in hydrope, pravorum ſuccorum redundantia in ventriculo, & primis venis. Præterea concoctio, quæ in morbis expectari ſolet, non eſt humorum propter nutritionem; ſed ut natura humoribus dominetur, & inutilia ab utilibus ſecernat.

Cruditas in morbis. Propriè verò cruditas, quæ hoc loco juxta Hipp. & Gal. conſideranda venit, eſt humorum putrefactio, aut corruptio in venis potiſſimum: dum ſc. humores ſibi diſſimiles in ſubſtantiâ & qualitatibus, reducuntur ad eam ſimilitudinem ferè, ut in tumoribus præter naturam. Nam concoctio, aſſimilatio quædam eſt, & ſiccum cum humido unit: Contrà cruditas, diſſimilitudo. *Qua concoctionem poſtulat.* Deinde in concoctione natura dominatur materiæ, & cauſa concoctionis eſt robor naturæ, & caloris nativi: ac teſte Galeno ipſa concoctio eſt, quæ putredinem ceſſare facit, manente ſubſtantiâ. Per concoctionem enim ipſa natura ea quæ putreſcunt, aut in utiliorem ſubſtantiam convertit, aut utilia ab inutilibus ſeparat, & tandem è corpore expellit. At in cruditate & corruptione non dominatur natura, aut nativus calor; ſed externus, cum debilitate innati caloris, qui inutilia utilibus confundit, & humidum à ſuo nativo ſicco ſeparat. Igitur in ejuſmodi morbis, in quibus humores putreſcunt, aut corrumpuntur in vaſis, & natura eis non dominatur, pur-

gare non convenit in initio, ſed concoctionem expectare, quæ inutilia ab utilibus ſeparat. Poſt concoctionem verò, quicquid putrefacti, aut noxii humoris in vaſis eſt, qui criſi non evacuatur, pharmaco utiliter expurgari ſolet. Nam materia jam corrupta & putrefacta, quæ ad utiliorem naturam reduci nequit, ſtatim, ſi fieri poſſit, evacuari debet: cum humores perfectè putridi nulla concoctione emendari queant, ſed tantùm putreſcentes. Putreſcentes autem multis utilibus permixti ſunt, & concoctio utilia ab inutilibus ſeparat, totumq; illud, quod ab utilibus ſeparari poteſt, excrementum facit & aut per ſe, aut adjuta medicamento facilè & commodè expellit. Quare non ſine causâ præcipit Gal. humores illos, in quibus accenſa eſt putredo, primùm concoquere, deinde evacuare. Fit quidem concoctio à naturâ adminiculo caloris nativi: Verùm ſi natura debilis ſit, & calor non proportionatus, Medici erit, certis inſtrumentis illi opem ferre.

Præparatio propter concoctionem.

Opem autem fert, dum vel impedimenta tollit, ipſoſq; humores ad concoctionem præparat: vel dum vires naturæ reficit, & calorem nativum auget. Ac primùm perficitur concoctio, dum natura vincit & aſſimilat materiam, quæ renitebatur & diſſimilis erat. Cum autem diſſimilitudinis & repugnantiæ non una ſit ratio, unicum remedii genus non erit, ſed ipſos humores ad concoctionem idoneos reddit, ſive præparat. Nam repugnat humor qualitate, aut modo ſubſtantiæ non naturali: ſcil. intemperie, craſſitie, viſciditate, &c. aliquando nimiâ ſuâ quantitate, nonnunquam ſi impactus fuerit. Unde Hippoc. 6. *Epid.* 2. concoctionem fieri dicit per contraria; & concoctionem juvare nunc calida, nunc frigida; nunc ſicca, nunc humida, nunc extenuantia,

nunc incrassantia; nunc quietem, nunc inediam, aliaq; complura. Intemperies autem omnis, humorum concoctionem impediens, ad naturalem temperiem contrariis revocatur: scil. calida frigidis &c. tenuia incrassantibus, crassities attenuantibus &c. impacta, obstructiones aperientibus. Crassa autem extenuamus, & viscida incidimus, sumptâ indicatione ab operibus naturæ: licet juxta Aristot. quæ concoquuntur, seipsis crassiora reddantur. Nam natura, dum difficilia concoquit, prius crassa comminuit, attenuat, & fundit, quàm in convenientem substantiam convertat; ut in nutritione apparet. Attenuata enim facilius calori nostro cedunt. Unde Gal. 4. *de Sanit. tuend.* Oportet, inquit, primò humores incidere & attenuare, deinde concoquere.

Præparantia singulis humorib. accõmodata, gratia cõcoctionis.

Pituitosus autem, crassus, frigidusq; humor concoctioni aptus redditur calefacientibus, extenuantibus, incidentibus: ut Syr. de betonicâ, capill. Ven., hyssopi &c. Melancholici humores, humectantibus, modiceq; calefacientibus: Syr. de pomis, borraginis &c. Biliosi acresq; humores, refrigerantibus, humectantibus, (ut Syr. violarum, nymphææ, granatorum dulcium &c.) ad motus effrenes compescendos; ut contemperati, facilius à naturâ vincantur. Idem malignitas contemperanda Syr. acetosit. citri, limonum, &c. Obstructiones; aperientibus; humoresque impacti attenuantibus, pro naturâ humorum. Nihilominus validè irritantibus, & extenuantibus utendum nõ erit, quæ humorum concoctionem perturbant Verùm ubi tanta est humorum copia, ut eam natura facilè superare nequeat, sed vires premat, & eventilationem caloris nativi impediat: ante omnia, propter eventilationẽ caloris nativi, (quæ cõcoctioni potissimum servit,) utile est, statim in initiis morbo-

morborum illam materiæ copiam venæ ſectione, aut leni purgatione imminuere; ut reliquam materiæ partem natura facilius vincat. Vires autem & nativum calorem augemus in concoctione alimentis potiſſimùm : aliquando medicamentis, quæ ſpiritus reficiunt. In tumoribus, pro maturitate utimur quidem emplaſtris, quæ calorem nativum perſpirare non ſinunt : ſed hæc ratio, ubi humores in vaſis continentur, locum non habet, nec etiam purgationibus ſervit. Concoctos humores purgare oportet, non crudos, nec initio : niſi turgeant.

Turgere quid propriè?

Turgere autem dicuntur non ſolum humores, qui huc illuc in corpore inordinato motu feruntur, & dolores, anxietates & ſimilia excitant : ſed etiam ipſa natura propriè, quando fervet deſiderio expellendi id, quod noxium eſt. Igitur quando natura excitata, excretiones appetit, tum evacuare convenit & non tardare, ut diximus : licet ipſa materia cruda ſit. Verùm cum perſpicuum ſit, multis humoribus purgationem convenire, quibus nulla concoctio : Item ad purgationem non ſufficere, humores concoctos, & à naturâ ſuperatos eſſe; niſi facilè cedant, & ipſa corpora purgationibus idonea ſint. Proinde, ubi idonea non ſunt, præparatio neceſſaria videtur propter evacuationem.

Præparatio propter concoctionem, & evacuationem quomodo differant.

Sed differt hæc præparatio à priori, quæ concoctionis gratiâ fit. Nam quæ concoquuntur, ut diximus, quietem magis requirunt, & ante concoctionem commovenda aut turbanda non ſunt. At præparatio hæc non ſolum ipſos humores commovet, ſed etiam facultatem expultricem ante debitum tempus ad expulſionem irritat, & ipſam concoctionem conturbat. Quare cum priori confundi non debet. Nam, quo tempore natura concoctioni intenta eſt, ei ſervire oportet, non irritare & commovere : peracta verò concoctione, quod redun-

redundat; expulsioni aptum reddere. Igitur, quæ ad expulsionem requiruntur, magis expultricem facultatem irritant: quæ verò ad concoctionem, sive maturationem, magis facultati assimilatrici serviunt.

Præparātia corpora & humores ad purgationem.

Præcipit Hipp. corpora si quis purgare voluerit, fluida facere. Fluida autem redduntur, quando humores ad expulsionem idonei & prompti sunt: deinde viæ, per quas purgantur, liberæ & patentes. Humores autem ad fluxionem idonei sunt tenues, calidi, turgentes & mobiles: Inepti verò sunt crassi, viscidi, impacti &c. Viæ præcipuæ sunt, ventriculus, intestina & venæ. Nam si intestina duris fœcibus, aut humoribus crassis offarcta fuerint, aut venæ obstructæ: purgatio, & humoris fluxio prohibetur.

Præparātia singulis humoribus accommodata, purgationis gratia.

Quare præparatio propter purgationem requirit primùm, ut viæ liberæ & patentes reddantur: clysteribus, jusculis emollientibus, & similibus, alvum subducentibus: osculaq; venarum aperiantur. Deinde, si materia crassa sit, extenuantibus attenuetur: Si viscida, incidentibus dissecetur, pro naturâ & qualitate humoris peccantis.

Ut si pituita: decocto hyssopi, origani, pulegii, betonicæ, centaurij minoris, quinq; radic. aperientium &c. cum oxymelite, Syr. betonicæ, &c. Si melancholia: decocto radic. capparorum, tamarisci, thymi, cuscutæ, polypodij, fumariæ, buglossæ, cum syr. scolopendriæ, fumariæ, &c. Si bilis crassa: decocto cichorii, endiviæ, radic. acetosæ, graminis, 4. sem. frigidorum &c. cum syr. de cichoreo, acetosa. &c. Tenues verò humores, qui facile cedunt, fluuntq;, talem apparatum non requirunt; licet ea, quæ ex pectore tussi evacuantur, non tenuem, sed mediocrem consistentiam requirant. Nam in purgationibus his nullus renixus,

nullâve

nullavé craſſities requiritur: ſed quantò tenuior, tantò facilius cedit, & educitur. Cum autem purgationis nō unica ſit ratio, nec unica via per quam, ſed alia per alvum, alia per ſuperiora: non erit per omnia una præparandi ratio. Nam in purgationibus per alvum requiritur, ut inteſtina, primæque venæ pateant, ut jam diximus: at in vomitu à valido medicamento, præter humorum attenuationem convenit, (teſte Hipp. *43. Aph. 4.*) prius corpora relaxare fomentis, inunctione, balneis dulcibus, pleniori cibo & quiete, ut humores facilius fluant. Verùm dū vomitū movemus, iis uti convenit, quæ leviter irritant, humores fundunt, levioreſque reddunt & ad ſuperiores ventriculi partes eliciunt.

DE DOSI SIVE QVANTITATE MEDICAMENTI PURgantis, & quoties purgandum.

CAPUT XIV.

Quantitas & doſis medicamenti purgãtis.



Vantitas ſive doſis medicamenti purgantis non facilè determinatur: (nam alij vehementius, alii parcius eâdem quantitate ejuſdem medicamenti purgantur:) Deinde quantum humoris, quouſq; & quoties purgandum ſit, exactè ſciri nequit. Nihilominus artificioſa quadam conjectura aliquo modo deprehenditur, & ſimul quantitas medicamenti ad quantitatem humoris peccantis: habitâ ratione virium ipſius ægri; deinde naturæ & ſitus humoris peccantis, interdū aëris ambientis.

Genus quidem medicamenti ex humoris ſpecie æſtimatur, ut diximus: at quàm validum eſſe debeat, non tam ex naturâ, quàm ex ſitu humoris

peccan-

CAP. XIV.

Vnde cognoſcatur genus, vis & quantitas medicamẽti.

peccantis. Nam, ut dictum eſt, benigna medicamenta à primâ regione corporis; mediocria à mediâ regione; validiſſima à tertiâ evacuant. Verùm quâ doſi ſive quantitaie offerri debeãt, ex viribus ægri potiſſimùm colligitur. Proinde Medici unicuiq; ferè purganti triplices doſes aſſignant, comparatione facta ad vires: nimirum, robuſtis, maximam; debilioribus, minimam; medio modo ſe habentibus, mediam: ac quantitatem determinatam purgantis medicamenti intra amplitudinem minimæ & maximæ comprehendunt plerumq;. Infantes puerosq; hîc excipimus, quibus ne minima quidem doſis uſitata debetur.

Doſis ſingulorum purgantium.

Doſis cholagogon.

Utplurimùm lenientia blandeq; evacuantia unciarum pondere exhibentur; mediocriter purgantia, drachmarum; validiſſimè granorum: veluti Manna ab ℥ j. ferè ad ℥ iij. (ut Syr. roſatus ſolutivus) in juſculo pulli, vel prunorum exhibita bilem blande ſubducit, alvumq; lenit, ac infantibus etiam duarum drachmarum pondere, grandioribus ℥ ß. datur. Pulpa caſſiæ fiſtulæ correcta cum ſemine aniſi, aut aliis, quæ flat⁹ diſcutiũt, ab ℥ j. ad ℥ ij. alvum emollit, bilem retorridã ſubducit, ardores renum & veſicæ, pectoriſq; affect⁹ lenit. Eadẽ verè doſis eſt pulpæ tamarindorũ, quæ bilis fervorem contemperat, vomitumq; ſiſtit. Cortices myrobalani citrini, ac cæterorum ferè omnium præparati oleo amygdalarum dulc: in ſubſtantia ad ℥ ß. lentè tantùm purgant, & poſt ſe aſtrictionem relinquunt; in diluto aut decocto cũ ſero lactis, aqua fumariæ &c. ad ʒ x. dantur. Rhabarbari correcti ſpica, cinamomo, aut ſchænantho doſis in ſubſtantia eſt, à ʒ j. ad ʒ ij. in infuſo à ʒ j ß. ad ʒ iij. concoctionem non ſuſtinet; infunditur aut aquæ endiviæ cum modico vini; aut decocto endiviæ

cicho-

cichorei, tamarindorum, &c. dilutum bilem magis tenuem; ſubſtantia magis craſſam ſubducit,& aſtrictionem poſt ſe relinquit, & peculiariter jecur expurgāt & confortat, ejuſq; obſtructiones aperit. Aloë Zocoterina, deinde hepatica ℥ ſ. pondere feces quidem evacuat, ſed bilem ab ʒj. ad ʒiiſ. illota acrimoniam obtinet, venas vellicat, hæmorrhoides aperit, ac proindè calidis ſiccis naturis, pueris prægnantibus, ſanguinem rejicientibus non convenit; lavatur ſucco roſarum &c. Ignavia ejus corrigitur attenuantibus, ut in hiera picra Gal. cujus doſis eſt à ʒ j. ad ʒiij. qualis ferè eſt pil. alephang. Aſſairet de tribus. Scammonium bilioſos humores confertim citoq; ex remotis partibus evacuat, cum vehementi corporis & humorum perturbatione; quare per ſe non datur, ſed præparatum veluti in diagridio à g. 6. ad g. 12. in Elect. diaprinus ſol. de pſyllio. de ſucco roſarum, quarum doſis uſitata eſt ℥ ſ: ſimiliter ut pilul. aurearum, ſine quibus drach. 1. Additur etiam purgantibus ignavioribus diagridium ut vim eorũ acuat & acceleret.

Melanagoga eorumq; doſes. Secundò epithymus in ſubſtantia ad drach. 5. in diluto drach. 1. datur, longam concoctionem non fert, corrigitur floribus violarum bugloſſ. ac adustos humores blandè ſubducit. Folia ſenæ humores primùm melancholicos, deinde pituitoſos crudoſq; è liene, hypochondriis, ac etiam remotioribus partibus evacuant, ſanguinẽ mundificant, ſed ventriculo gravia ſunt torminaq; nonnullis excitãt, corriguntur Zinzibere, ſem. aniſi &c. veluti in pulvere ſenæ Montagnanæ, &c. ac in ſubſtantia exhibentur à drach. 1. ad drach. 15. Helleborus uterq; validè atram bilem pituitamq; craſſam à remotis partibus detrahit, ac proinde melancholiæ, febribus quartanis, elephantiaſi, epilepſiæ convenit. Verùm albus

maligna

maligna qualitate præditus est, & per superna violentissimè cum periculo suffocationis evacuat; ac proinde in substantia non datur, sed interdum valdè robustis in diluto ex radicula aut vino aromatico ad drach. j. ferè. Hellebori nigri radix multò minori periculo exhibetur præparata aceto sem. dauci &c in substantia ferè ad drach. j. in diluto aut decocto appropriato ad drach. ij. Lapis Armenius illotus drachmæ unius ferè pondere, lotus aqua buglosf. & vino ad drach. ij. melancholicos humores subducit, sanguinem mundificat, tetros vapores à corde avertit; Idem efficacius multò sed minori quantitate præstat lapis lazuli; Melanagogon ex his compositorum, ut pilularum indarum, de lapide lazuli & Armenio, Dosis est ad ℈ iiij. in elect. diasena ad unc. j. confect. Hamech ad drach. v.

Tertiò ex phlegmagogis primum est, sem. carthami ejusq; pulpa, quæ correcta cum galanga &c. datur eadem quantitate ferè qua cassia extracta, sæpè cum rad. polypodii in decocto veteris galli. Terebinthina à drach. iij. ad drach. vij. pituitā à iecore, renibus, viisq; urinariis expurgat. Agaricus correctus zinzibere aut sale gemmæ in substantia datur à drach. j. ad drach. ij. in diluto aut decocto à drach. jß. ad drach. 2ß. pituitam deinde crassam bilem non solum ex ventriculo primisque venis, sed etiam à capite, pectore & articulis evacuat. Eadem ferè dosi in substantia datur mechoacana cum modico cinamomi, aut galangæ, ut pituitam tenuem, serosos, biliososq; humores subducat: In decocto tamen vis ejus ferè evanescit. Turbith album gummosum correctum Zinzibere, pipere longo &c. paulo minore dosi quam agaricus evacuat, præcipuè pituitam crassam, lentam ex remotioribus partibus. Idem quoq; præstat hermodactylus albus correctus gariophillis, sem. cimini. Nam

Phlegmagoga, eorumq; doses.

peculiariter ab articulis ducit pari ferè pondere, ut turbith, ſed lente niſi validiorum commixtione exſtimuletur, ut in diacaryocoſtino & pilulis de hermodactilis. Validior aliquantò vis eſt, gummi, Sagapeni, opopanacis &c. licet acriori ſtimulo indigeant, ut in pilulis Meſuæ. Colocynthidis pulpa à remotis partibus craſſam pituitam aquamque citrinam validiſſimè ducit, & robuſtis, morbo diuturno laborantibus tantum convenit, præparata ut in Trochiſcis Alhandel, quorum doſis eſt à ℈ j. ad drach. ß. ignavioribus quoq; phlegmagogis permiſcetur ut eorum vim acuat. Compoſita, in quibus præpollet vis horum phlegmagogorum, ſunt primùm pil. maſtichinæ, de aloe lota, hieræ cum agarico, &c. quæ à drach. j. ultra ij. exhibentur, deinde pilulæ cochicæ, de agarico, de hermodactilis ad drach. j ß. tertiò fœtidæ, de opopanaco, de ſagapeno parũ ultra drach. j. Præterea El. benedictæ laxat: datur ℥ ß. paulo minore quantitate, hiera diacolocint. Verùm Elect. indũ diaphænicõ, diacarthamũ, diaturbith ad drach. vj, aliquando ad drach. vij.

Hydragoga. Ad aquas evacuandas, radicis vel corticis mediani ſambuci aut ebuli ſuccus, unciæ unius pondere in decocto paſſularum ac cinamomi datur aut pulveris granorũ drach. j. vel corticis, mediã drach. ij. Idem benignius præſtat fol. ſoldanellæ drach. j. aut diluti unc. ß. ac mechoacana, ſed horũ ut aliorum quoq; vis decoctione perit. Validiùs aquas citrinas primùm, deinde pituitã purgat pul. rad. Iridis purpurei à drach. j. ad drach. ij. aut ſuccus ab unc. ß. ad unc. j. in decocto paſſularum ſpicæ & cinamomi. Ex iis quæ vehementiſſimè aquas ſurſum deorſumq; evacuant, eſt cucumeris aſinini radix & ſuccus, qui elateriũ dicitur. Doſis radicis eſt à gr. xv. ad drach. ß. ſucci poſt ſextum menſem primum à ℈ ß. ad ℈ j.

Eodem

Eodem ferè pondere Cortic. Esulæ, laureola, ac thymelea aceto & stomachicis præparata, primũ aquosos humores, deinde pituitã crassam evacuãt, ut in pilulis de mezereo. Euphorbium omniũ violentissimum, calidissimumq; post primũ annum præparatum, oleo amygdalarũ dulc. succo endiviæ, citri &c. à gr. v. ad scrup. ß. vehementissimè primũ aquas, deinde crassos lentos humores ab extremis partib⁹ educit; in quem usum quoq; serviunt pil. Mesuæ de euphorbio pondere scrup. j. aut drach. ß. non dissimili vi ferè pollent gr. lathyridis & ricini: Hæc sursum deorsumq; summo cum periculo evacuant.

Vomitum provocant nonnulla evidenti qualitate, ut pinguia, quæ os ventriculi relaxãt, deinde acria, quæ stimulãt, ut raphan⁹, sem. urticæ, erucæ, staphisagriæ, cæparũ, atriplicis, radix betonicæ &c. tertiò, quæ levitate sursum feruntur ut agaricus tritus in oxymelite, aut mulsa ad scrup. iiij. cũ decocto sem. anethi, atriplicis, rad. betonicæ & similibus: ac quæ flatus movent, ut mel crudum &c. peculiariter per superiora purgant succus radicis raphani ad unc. ij. vel seminis ejusdem drach. iij. triti in hydromelite, aut oxymelite cum aqua hordei. Idem vehementius præstat pul. radicum peponis, aut juli juglandium, aut sem. urticæ; aut radicum asari à drach. ß. ad drach. j. in infuso ad drach. iij. ferè; pari quoque pondere exhibetur, medulla balani mirepsicæ exiccata aut pul. gratiolæ cum cinamomo &c decoctione horum omnium vis ferè evanescit. Violentissimè per superiora purgant Helleborus albus, ut diximus, nec minori ferè periculo vitrum & regul⁹ Antimonii, ac Mercurius præcipitatus, nisi dextrè præparentur, corriganturq; ; dantur hæc plærumq; à g. ij. ad g. iiij. aut v. Composita purgantia polychrosta ex simplicibus intelliguntur & æstimãtur, veluti Elect. diacatholicon & Elect. lenitivũ datur unc. j. Elescof.

Vomitoria.

drach. ℈j. hieræ logadii ferè ad unc. ß. pil. aggregativæ ad drach. ʒß. eademq; in cæteris ratio est.

De usu extractorum.

Per extractiones spagyricas qualitas venenata nostræ naturæ inimica malignorum vehementiumq; pharmacorum corrigitur, sed ipsa vis cathartica una minuitur, & benignorum nonnullorum ferè exolvitur. Quare requiritur non solum in singulorum pharmacorum extractis præparandis diligens exercitatio, sed etiam in viribus, dosiq; eorum invenienda & exploranda, certa experientia. Constat enim nec extractum Hellebori nigri Quercitani nec Rhabarbari scrupuli unius pondere humores appropriatos expurgare, nisi diagridii, Extracti scammonii, aut alterius validioris permixtione adulterentur, vel exstimulentur. Deinde extractum scammonii pari pondere, quo diagridium, clementius multo, & ex minus remotis locis bilem evacuare. Præterea ex Rhabarbari semiuncia plus extracti ferè elici posse, quàm ex uncia integra mechoacanæ, aut hermodactylorum, vel sesquiuncia agarici, cum tamen extractum Rhabarbari minori dosi, quam ullum cæterorum alvum subducat, sed de his latius alibi, Deo volente, dicetur. In usu horum omnium medicamentorum quantitatem & dosin determinare oportet in comparatione ad vires, & quantitatem augere vel minuere pro ratione virium. Cognoscuntur autem vires, ut diximus, ex ætate, sexu, temperamento, corporis constitutione consuetudine & cæteris. Augetur quoq; & minuitur dosis pro ratione aëris ambientis, de quibus omnibus suprà dictum est: Item pro conditione humoris peccantis. Nam tenues fluxilesq; humores levi medicamento facilè cedunt: Contrà, crassi, viscosi aut impacti vix majori & validiori. Tandem pro modo purgationis. Purgatio enim plena, copiosa aut ex remotis locis, majori validiorique phar-

pharmaco indiget: contrà purgatio, quæ per vices fit. Semper autem nimis parva, aut magna purgantium quantitas vitanda erit. Nam nimis parva quantitas non solùm parùm, aut nihil evacuat: sed etiam humores plerumq; perturbat, ventris tormina, anxietates, aliaq; Symptomata inducit. At multò graviora mala excitat vehemens medicamentum nimis magna quantitate. Nam non solum appropriatum humorem copiosè educit, sed etiam cum vehementi perturbatione alios quoq; humores; primùm tenuiores, dein crassiores, tandem sanguinem; unde anxietates, animi deliquia, convulsiones incurabiles, aliaq; perniciosissima symptomata. Proinde in hoc casu observandum erit, quod monet Hipp. *lib. 1. de locis in Homine*: pharmaca fortia naturâ, in morbis debilioribus, danda non esse: sed fortibus natura, fortia: debilibus, non fortia. Deinde, ut jam diximus, artificiosâ conjecturâ quantitas cujusq; pharmaci definienda erit: tandem æstimandum, quantum, quoties & quousq; evacuandum.

Quantū purgandū & quoties.

Ipsa autem purgatio ex copiâ & multitudine eorum, quæ evacuantur, judicari non debet, ut monet Hipp. *23. Aph. 1.* sed si ea, quæ oportet, evacuentur, & æger facilè ferat; quæ duo signa sunt bonæ purgationis. Nihilominus magna pravorum humorum redundantia majores evacuationes indicat, si vires ferant, cæteraq; consentiant. Purgationes autem aliæ unâ vice totam materiam educunt, quæ plenæ, perfectæve dicuntur: aliæ pluribus vicibus per partes, ut suprà dictum est. Medicamentum plenam purgationem faciens, sine summâ consideratione exhiberi non debet, & tantum ubi vires ferunt, & natura seipsam ducem præstat: nimirum in morbis, humoribus jam concoctis potissimum, aut turgentibus. Tum enim naturam

adminiculantem habemus, & minori negotio noxia evacuamus.

Quando paulatim aut copiosè evacuandum.

Evacuatur quidem materia cocta unâ vice, si vires facilè ferant: sed præcipuè, si tota simul sit, aut parata ad expulsionem; alioqui paulatim pluribus vicibus, initio facto à levioribus, præmissis præparantibus, si necessitas exigit. Sumitur enim indicatio in purgationib9, quæ paulatim fieri debent, à naturâ ipsius humoris peccantis; à situ ejusdem: à conditione partis affectæ; & à viribus ægri. Nam sæpè tota materia morbifica simul non est, nec eodem modo in toto corpore, omnibusq; vasis, sed in varias partes distributa; una ventriculo contenta, quæ vomitu evacuatur: alia in Intestinis, quæ clysteribus: quædam in venis, quæ potione: aliqua in capite, quæ pilulis facilius educitur. Deinde non rarò una pars materiæ cocta, alia cruda: una tenuis, alia crassa vel viscida: una quieta, altera turgida & in motu. Quæ omnia nec uno tempore, nec unâ vice evacuari debent: sed materia concocta, tenuis aut turgida, fluxioni idonea, prius semper expurganda, idq; unâ vice, si vires ferant: alioqui melius est in partes dividere & purgationem iterare. Verùm si materia cruda sit, concoquenda erit: crassa, extenuanda &c. deinde per intervalla evacuanda. Unde ob qualitatem humoris, præcipit Gal. in quartanis & quotidianis febribus purgationes sæpiùs iterare. Et Hipp. *1. de Morbis*, in spleneticis & melancholicis sæpè modicum exhibere, quod multum educit: At in acutis, *24. Aph. 1.* rarò purgare & id facere, diligenti adhibito judicio. Deinde modum purgandi variat conditio partis affectæ. Nam pars communis, & acuti sensus, copiosas & subitas evacuationes non sustinet. Similiter quæ à ventre longè dissita est, aut cum ventre per angustas tenuesq; vias communionem habet, confertim evacuari nequit,

sed

ſed paulatim, & per vices : ut in morbis pectoris,& articulorum. Item pars, quæ ob debilitatem continuò nova excrementa generat, crebras evacuationes deſiderat. Virium autem conſideratio prima, & præcipua in omni curatione eſſe debet : nam vires,& modum purgandi, & vim purgantis medicamenti non rarò præſcribunt. Et licet humoris natura,copia,& ſitus validùm purgans requirat : tamen, ſi vires debiles ſint, cogimur benigniora, & per vices exhibere. Eadem ratio locum habet in ſenibus, in pueris & prægnantibus, in iis , qui ſtomachum debilem habent,& lævi occaſione animo deficiunt, & ſimilibus ut ſuprà. Igitur ſi vires ſatis robuſtæ non ſint, ſive cachochymia ſit multa , ſive pauca, nunquam confertim , ſed ſenſim & per partes evacuanda erit ; maximè, ſi in ventriculo , aut primis venis non ſit, ſed diffuſa per totum corpus, quod in cachexiâ evenit. Deinde,qui pravâ utuntur victus ratione,& pauco fruuntur bono ſucco, multiſq; ſcatent vitioſis humoribꝰ : ſi affatim validis purgentur, ſtatim exſolvuntur, ut teſtatur Hipp. *36. Aph. 2.*

Tales ergò per ἐπίκρασιν paulatim evacuare convenit , & pro eo , quod ſalubre eſt , reponere. Nam in his copia humoris indicat, multum eſſe evacuandum : ſed quia vires non ferunt, ſæpius purgamus, ut vitio humorum frequentiâ ſatisfaciamus. Unde, quod ſemel validum medicamentum vix , ac non ſine detrimento aliquo evacuare poterat: id tutò, & ſine omni incommodo perficit purgatio per vices. Melius autem eſt tutò , quàm citò & cum periculo purgare: plurimùm verò, & repentè, aut evacuare, aut replere, periculoſum eſt, teſte Hippocr. *Quando ἐπίκρασις locum habeat?*

Verùm in purgationibus , quemadmodum in phlebotomiâ , refectione , cæteriſq; operationibus, ordinis quædam ratio habenda eſt ; quid in curatione primum, quid ſecundum aut tertium eſſe debeat. *Quo ordine purgandum?*

debeat. Sæpè enim necessaria tam phlebotomia, quàm purgatio: non raró præter purgationem requiritur refectio aut confortatio; Ubi haud facilè est determinare, quid primùm, quid secundùm fieri conveniat. Nihilominus legitimum administrandorum remediorum ordinem indicat ordo causarum, & id semper, quod maximè urget. Incipiendum quidem est ab eâ operatione, quæ alteri conducit, tollendo id, quod causa est consequentium: sed ei, quod maximè urget, omnium primò occurrendum erit. Veluti in morbis, ubi cum cacochymiâ adest magna virium debilitas, omnium primò reficiendum, cum virium summa sit dignitas: & sine viribus ipsa remedia nihil conferant.

Quando purgationem phlebotomia pracedere debeat?

Simili ratione, si in venis sit magna humorum redundantia: primùm venam secare, deinde purgare ex venis convenit, tandem quod reliquum est, contemperare. Nam, ubi venæ copiâ distentæ sunt, post phlebotomiam purgatio ex venis facilius succedit: Verùm si impuritas aliqua sit in primâ corporis regione, ante phlebotomiam consultum erit, levi pharmaco evacuare; ne in venas rapiatur, & suâ labe sanguinem inficiat. Attamen si mittendi sanguinis necessitas plurimum urgeat, & omninò tutum non sit differre, (ut in lapsu & casu ex alto, in anginâ & phrenitide, interceptionibus jugularium & similibus:) citra moram secare venam expedit, quia subitó auxilium adfert. De ordine purgationis & præparationis suprà diximus: De ordine verò cæterorum medicamentorum ad purgantia.

QVO

QVO TEMPORE, ET PER QVAS VIAS PURGATIO institui debeat.

CAPUT XV.

Consequens est, ut de tempore oportuno purgationis nunc agamus. In genere de anni temporibus suprà dictum est: diei verò tempora, correspondent quatuor anni temporibus.

De tempore purgationis.

In ægris autem peculiaris ratio temporis locum habet, quo motus morbi mensuratur & determinatur. Nam si ipsum motum causarum morbificarum respicias, tempora morborum quatuor erunt: principium scil. cùm materia morbifica adhuc cruda est: augmentum, quùm manifestè incipit concoctio: Status, quando maximè vigent concoctiones: declinatio, quando peracta est. Deinde dividitur tota illa duratio in dies criticos, indices & intercidentes. Verùm distinguendi hoc loco sunt morbi, orti ab humoribus putrescentibus, & qui concoctione emendantur: ab iis, qui ab humoribus jam corruptis gignuntur, & concoctione emendari nequeunt.

Quando initio statim purgandum, quando non?

His observatis, si humor vitiosus sit in ventriculo primisq; venis tantùm, statim expurgari poterit: præmissis duntaxat præparantibus, si lentus, crassusq; sit, viæq; obstructæ. Similiter humor jam corruptus, & qui concoctione emendari nequit, quacunque parte aut regione corporis contineatur, protinus, si fieri queat, evacuandus erit: at si humor adhuc sit putrescens, in vasis conclusus, licet viæ per ventrem liberæ & patentes sint, statim purgare non convenit, sed tempus oportunum expectare.

Tempus autem oportunum, (autore Gal. *lib. 4. Acut. comm. 76.*) æſtimatur non certo dierum numero, ſed ex ſignis concoctionis in urinâ & ſimilibus: ex humorum turgentiâ, quando periculum apparet, ne in partem principem irruant.

Plena purgatio quãdo locum habeat.

Plena autem evacuatio humorum putreſcentium, ante concoctionem tentanda non eſt: deinde, (ut præcipit Hipp. *lib. 3. de Morb.*) quo tempore, cum impetu fertur morbus, Medicum & ægrum à curatione quieſcere oportet, ne quid mali inducatur. Igitur initio morborum, quo omnia cruda, ſunt, purgare non convenit, niſi materia turgeat; nec in augmento perfectè, neq; etiam in ſtatu; quo tempore concoctiones maximè vigent, & cum impetu fertur morbus. Quare ſi materia non turgeat, purgatio perfecta plenavé differenda erit ad finem, vigoris, quando omnis concoctio peracta eſt. Tum enim materia ſecreta eſt, & beneficio naturæ facilè evacuatur. Nam Medicus naturæ motum impedire non debet, ſed, ubi neceſſitas exigit, juvare. Quod ſi natura per ſe ſatis valida ſit ad morbum, cauſamq; morbificam perfectâ criſi expellendam; Medici erit, tantùm ſe operum naturæ ſpectatorem exhibere; Et, ut Hipp. *20. Aph. 1.* quæ judicantur, & judicata ſunt integrè, non movere neque novare vel purgantibus, vel aliis irritamentis, ſed ſinere: atque hîc iterum bonum medicamentum eſt, nullum medicamentum adhibere. Verùm, ſi natura tam potens non ſit, tum demum neceſſe erit, motum naturæ juvare, & in fine vigoris, ſi quid poſt criſin relictum ſit, purganti medicamento educere. Nam, ut teſtatur Hipp. *12. Aph. 2.* quæ relinquuntur in morbis poſt criſin, recidivam facere conſueverunt. Igitur cum univerſa materia non niſi concocta radicitus exturbari queat, ante finem vigoris plena perfectaq; purgatio molienda non erit.

Attamen

Attamen minorativa aliqua locum habere potest, quâ materia morbifica minor tantum redditur, in initiis morborum potissimum. Nam primùm, si humorum crudorum, putrescentiumvé tanta sit copia, ut metus sit, ne natura ante integram concoctionem deficiat: necessitas exigit, partem aliquam materiæ levi pharmaco subducere, ut natura supra residuum potentior reddatur, faciliusq; dominetur. Similiter ubi humores malignâ, aut venenatâ qualitate inquinati sunt, qui subitò interitum adferre solent: statim purgari debent, neglecto incommodo, quod crudorum humorum purgationem consequitur. Præterea præcipit Hippocr. 4. *Acut.* purgandum esse aut initio morbi, priusquàm humores confirmentur in parte aliqua, aut postquàm ad maturitatem perducti sunt. Nam in morbis ab influxu, (ut sunt pleuritis, angina &c.) initio statim purgantibus, cæterisq; instrumentis humorem influentem à parte affecta revellere & avertere decet: quemadmodum in luxatis, vulneratis & similibus, ne humor in partem affectam decumbat. Quod autem in parte jam confirmatum est, ante maturationem educi nequit. Idem faciendum, si materia præcipuam partem obruat, viresque opprimat: quod in apoplexiâ, catharro suffocante & similibus accidere solet. Verùm in acutis morbis raró, & non nisi necessitate urgente, purgare convenit: In diuturnis sæpius, & nonnunquam, ubi nullum adest periculum; modò adsint signa quædam concoctionis. Nam in diuturnis, quia humores crassi, lenti & impacti sunt, ante cõcoctionem utile est, minorativo vias ductusq; aperire: Deinde ob inæqualitatẽ materiæ, quia natura inæqualiter movetur, sæpè concoctiones occultantur, Igitur in talib⁹ utile erit id, quod concoctũ est, & excrementũ factum, è corpore evacuare, & initium concoctionis

Minorativa purgatio ubi locum habeat?

tantum

tantum exſpectare: aut, ut monet Trallianus *lib. 12. cap. 7.* nunquam permittere, humores in vetuſtatem abire. Attamen, ut diximus, ante concoctionem totius materiæ morbificæ, finemq; vigoris, perfecta plenaq; purgatio tentanda non eſt.

Quibus diebus maximè purgandum.

Ad tempus determinatum quod attinet, quando cum impetu fertur morbus, ab omni purgatione abſtinere convenit: præſertim in continuis & acutis morbis. Quare in pharmaci exhibitione monet Hipp. *lib. 4. de Morbis*, cavere à diebus imparibus ſive criticis, quibus humores maximè turbantur. Et ſubjungit; *in febribus continuis, qui paribus, ſive non criticis pharmaco uſi ſunt, nunquam nimium purgati fuerunt: qui verò diebus imparibus forti medicamento uſi ſunt, nimiùm purgari fuerunt, multiq; nimiâ purgatione perierunt.* Eadem ratio eſt temporis paroxiſmi in febribus intermittentibus, ſi vires debiles ſint. Igitur tutior purgatio diebus paribus ſive intercidentibus, quàm imparibus aut criticis. At ſi vires validæ fuerint: in quartanis & ſimilibus febribus intermittentibus, in quibus humores ſuâ naturâ ægrè commoventur, expedit interdum ipſo die paroxiſmi, quo humores maximè turbantur, purgare. Quo enim die exaſperatur morbus, & materia in motu eſt, faciliùs detrahitur: alioqui, ſi vires debiles ſint, convenientiſſimum eſt in morbis, qui paroxiſmum habent, tempus intermiſſionis exſpectare.

Quibus horis purgandum?

In morbis, qui carent paroxiſmis, æſtate temporibuſq; calidis, horæ matutinæ potiſſimum conveniunt: frigidis verò temporibus, tempus meridianum magis. Proinde decet medicamenta ſumere tanto antè tempore, quanto ipſa egent, ut in actum deducantur, & prædictis horis purgationem perficiāt. Deinde tempore tranquillo & temperato purgatio tutior & commodior eſt: tempore calido & humi-

humido copiosior. Dantur interdum purgationes vespertinis horis: ut pilulæ lenes unâ horâ ante cœnam, ad evacuationem è ventre: aut tribus horis à cœnâ, ad evacuationem à capite. Verùm validè purgantia assumenda non sunt, nisi jejuno ventriculo: levia verò, ut eccoprotica, dantur & ante cibum, & cum cibo interdum.

De viis, per quas institui debeat purgatio.

Restat nunc, ut ostendamus, per quas vias purgatio commodissimè institui debeat, & quibus remediorum formis. Via autem, ut suprà diximus, est vel per superiora vomitu, vel inferiora alvi dejectione. Indicat viam partim locus, quem humor peccans nunc occupat vel occupaturus est: partim inclinatio humoris, & motus ipsius naturæ. In viis, per quas expurgatur humor, considerantur quatuor: an consuetæ: an patentes & liberæ: an vicinæ loco, quem occupat noxius humor, & cum eo communionem habeat: an naturaliter dispositæ sint, nec ne.

Purgatio triplex.

Ipsa purgatio respectu loci, cujus gratia humor educitur, aut est evacuans tantùm, aut revellens, aut derivans: ut supra diximus.

Humor purgandus vel actu cõtinetur in parte affecta, vel influit.

Locum autem affectum occupat humor, quando actu in eo continetur: Occupaturus verò est, quando aliundè influit. Deinde à loco, quem actu occupat, evacuari aut derivari debet: à loco verò affecto, quem influxu suo occupaturus est, revelli.

Per quas vias purgandum ubi actu in parte affecta humor continetur,

Occupat autem humor noxius vel totum corpus, omnesq; ejus regiones: vel unam regionem, aut unius regionis partem, ut ventriculum, caput, &c. Semper autem aptanda est via per quam, illi loco potissimum, quem humor proximè occupat. Nam commodissimè evacuatur humor per vias proximas, patentes, consuetas & naturaliter dispositas. Quare quod ventriculo continetur, vomitu:

quod

quod intestinis, dejectione: quod in toto corpore, utraq; viâ evacuari solet. Sed maximè eligenda est via consueta, per quàm facilè purgatur æger, si naturaliter disposita sit. Eadem ratio est in particularibus evacuationibus: ut anterioris cerebri, per palatum & nares: renum & vesicæ, per urinas &c. Forma quoq; medicamenti aptari debet loco, à quo, & per quem. Nam quod in capite continetur, pilulis: quod in ventre & venis, potione: quod in Intestinis clystere commodissimè detrahitur.

Per quas vias purgandū, ubi humor influit in partem affectam?

At ubi materia adhuc in fluxu est ad partem affectam, Medici erit omnibus remediis avertere, & longissimè à parte affectâ revellere. Quare oculis & cerebro laborantibus, (nisi ex consensu ventriculi,) purgationes per superiora non conveniunt, sed per inferiora: Contrà ubi fluxus ad crura, aut inferiores partes decumbit, per superiora magis; si natura & consuetudo ferat, & viæ naturaliter dispositæ sint. Nam, quando pars, per quam ducitur humor noxius, naturaliter affecta non est: transitu illo humorum, qui ab aliis partibus expelluntur, vehementer labefactatur. Quare intestinis laborantibus, humores in aliis partibus existentes educere per intestina non licet: nec ventriculo affecto per superiora. Attamen, quod in ipsis intestinis, in dysenteriâ & similibus cõtinetur, per inferiora: quod in ventriculo pravè disposito, per superiora evacuari poterit. Quod si aliundè ad partem non naturaliter affectam inclinet humor, Medici erit, omnibus remediis avertere, & nunquam per partem affectam corpus purgare.

Viæ conferentes ad purgandū

Deinde, ut præcipit Hipp. *21. Aph. 1.* eò molienda purgatio, quò à naturâ humores potissimum vergere videntur, per vias conferentes. Viæ autem maximè conferentes sunt, per quas solet se natura utiliter evacuare. Inclinat autem humor biliosus

liosus levitate suâ ad superiora magis, quemadmodum etiam humores in paroxismis: pituitosus verò & melancholic⁹ humor ad inferiora magis decumbit. Ergò æstate, *(4. Aph. 4.)* quo tempore in corporibus maximè dominatur bilis, & initiis paroxismorum, per superiora magis purgare convenit: hyeme, magis per inferiora. Item graciles, quia biliosi, facileq; vomẽtes, per superiora: difficulter verò vomentes, obæsos & melancholicos, per inferiora. Per superiora quidem æstate bilem, hyeme per inferiora pituitam purgare convenit: si totum corpus sit evacuandum. At si humor pituitosus & melancholicus tantùm in ventriculo contineatur, aut ad superiora feratur, (quod in accessionibus febris quotidianæ & quartanæ accidit) vel brumalibus mensibus; per superiora pituitam & melancholiam purgare decet, ut testatur Gal. cum Hipp. *lib. 1. de Salubri diæta*. Verùm plena & perfecta evacuatio pituitæ & melancholiæ, per inferiora tantùm perficitur: paulatina per superiora plerumq;, & potissimùm pituitæ.

De vomitu. Difficulter vomentes, & qui non consueverunt sponte suâ vomere, ad vomitum nullo modo cogendi sunt. Igitur primum videndum est, quid consuetudo ferat: deinde, quo natura & humoris inclinatio viam affectet.

Quib. non conveniat vomitus. Nam alii his: alii illis evacuationibus idonei sunt: Ut qui angusto sunt pectore, longo collo, sive phtisi obnoxii, teste Hipp. *5. Aph. 4.* Item qui pravè dispositum ventriculum habent, debile cerebrum: mulieres, quæ suffocatione uteri afficiuntur &c. purgationes per superiora non ferunt. Attamen in multis diuturnis affectib⁹ sæpe tollit vomitus, quod purgatio per alvũ non potuit. Verùm vomitus, evacuatio minus naturalis, magisq; suspecta est, quã alvi dejectio: cũ ipsa intestina susceptiõi excrementorũ

sint

sint destinata, non ventriculus, & vomitus robustiorem naturam requirat. Unde præcipit Hipp. robustos suprà, debiles infrà purgare: cum vomitus omnium naturalium operationum sit vehementissima. Nam fit vomitus, quando ventriculus re molestâ irritatus, compresso fundo, totus impetu sursum fertur; ut id, quod noxium est, per os rejiciat & excutiat. Hoc motu non solùm ventriculus à suâ sede dimovetur: sed etiam vicinæ partes, quibus annectitur, magna vi concutiuntur. Proinde vomitus violentiâ non caret, sed aliis facilior, aliis difficilior est, ut diximus. In iis igitur, qui difficulter vomunt, uti potius cõvenit medicamentis, quæ per inferna purgant, quàm corpus frustrà torquere: In iis verò, qui facilè vomunt, (nisi adsit virium robur, & summa necessitas exigat,) valida vomitoria vitare, præsertim veterum, quæ periculo non carent. Præcipiunt veteres duobus aut tribus diebus continuis, singulis mensibus vomere: rarius tamen natura siccos, quàm humidos. Verùm, ut testatur Galen. recessit hæc consuetudo: nam corpora continuis illis evacuationibus plurimùm læduntur, & malam consuetudinem acquirunt.

Quibus affectibus prosit vomitus?

Evacuat autem vomitus primùm ventriculum, primasq; venas: deinde, si validior, Jecur, lienem, majoresq; venas, ac tandem totum corpus; revellit verò fluxum humorum à ventriculo, aut ab inferioribus partibus. Proinde, (*15. Aph. 6.*) alvi profluvio laborantibus vomitus superveniens, bonum est. Auxiliatur eodem modo Ischiaticis, podagricis, nephriticis, vesicæ & ani affectibus, &c. Derivat vomitus humores à partibus vicinis ad ventriculum. Unde hypochondriacis hydropicis, alisq; meserei, jecoris & lienis affectibus interdum confert: potissimùm si materia sursum ad ventriculum feratur, quod ex amaris ructibus, dolore, morsu,

morſu aut gravitate præcordiorum deprehenditur. De præparatione corporis ad vomitum, aut alvi dejectionem ſuprà dictum eſt.

Forma medicamenti. Formæ medicamenti ratio habenda eſt, præſertim in alvi dejectionibus. Nam forma liquida altius faciliuſq: penetrat, promptius agit, potentius detergit, obſtructioneſq; aperit: forma verò ſolida, (ut pilularum,) contrà, diutius in ventriculo hæret, tardius operatur, & à ſuperioribus partibus melius trahit. Sed naturis aut morbis ſiccis calidiſq; tempore calido minus convenit. Deinde medicamenta valida, formâ liquida, debili, puroque ventriculo non conveniunt, niſi diſtantis alicujus partis affectus exigat: quia ventriculum vehementer debilitant. Danda tamen ſunt, mixta odoratis ſuavibuſq; jejuno quidem ventre, ſed eo potiſſimùm tempore, quo cibus concoctus deſcendit. At ſi robuſtus impuruſq; ſit ventriculus, expedit ſimpliciter dare, idq; longiſſimè à cibis: ut altius ad remotiores corporis partes penetrent. Hactenus de methodo purgandi.

Quid agendum aſſumto pharmaco. Supereſt nunc, ut paucis conſideremus, quid agendum potiſſimùm ſit, aſſumpto pharmaco. Aſſumpto medicamento per alvum purgante, licet aquã hordei, mulſam aut ſimile quid paucâ quantitate ſtatim bibere: vt reliquiæ â faucibus& gulâ detergantur, & faciliùs deſcendant. Deinde corpus in quiete primùm continere: & ſi timeatur vomitus, paululùm mali acidi aut cidonii, vel mivæ cidoniorum & ſimile deguſtare; naribus acetum roſaceum, aut cum toſtâ panis admovere, ſummos manuum digitos in aquam frigidam immergere, faciem aquâ frigidâ, ſubitò aſpergere. Pilulis autem aſſumptis, ægris ſomnum aliquandiu permittimus, ut vires earum citiùs in actum deducantur: à potione, aut bolo non item. Incipiente verò purgatione per al-

vum, ab omni cibo & ſomno, ac etiam ab omnibus animi perturbationibus abſtinere oportet, ad conſummatam uſq; purgationem: nam cibus & ſomnus vires medicamentorum obtundunt. Aſſumpto vomitorio convenit corpus movere, cibum aliquando exhibere, aut aquam calidam cum oleo, & ſimilia, ut faciliùs ſuccedat evacuatio. Deinde fauces irritare, cæteraq; facere, ut præcipit Avicenn. & Gal. *lib. de Salubri diæta*, Paulus *lib. 7. cap. 10.* A vomitu faciem & os abluere aquâ ex aceto temperatâ, cibum non ſubitò dare: ſed ſi neceſſitas exigat, paululum facilis digeſtionis, boniq; ſucci & ſaporis. At in purgationibus per inferiora, evacuato corpore, utile erit aquam hordei, jus pulli aut ſimile quid exhibere: ut id, quod in ventre adhuc hæret, faciliùs deſcendat. Deinde ſenſim ad cibos accedere, ſed non ſtatim copioſè aſſumere, nec quàm diu ventriculus ex purgationibus languidus eſt.

Vtilis & perfecta purgatio, unde dignoſcatur

Dignoſcimus purgationem utilem finitam eſſe, ſiti, ſomno, mutatione dejectionum, & ſi ſeipſo æger levior appareat; appetentia redeat, ſymptomata evaneſcant. Siti quidem, niſi vim purgantis pharmaci conſequatur, aut ſi ſitis illa præceſſerit. Nam vehemens ſitis, ſubtractâ materiâ calidâ, plerumq; à purgatione miteſcit. In cæteris, (ut præcipit Hippocr. *19. Aphor. 4.*) qui purgati non ſitiunt: non quieſcant, donec ſitiverint. Verùm excipiunt nonnulli eos, qui humidam ventriculi diſpoſitionem habent. Somnus verò ſuperveniens non ex virium debilitate, aut turbulentus, nec etiam in omnibus, ſed in his potiſſimùm, qui vigiliis infeſtantur ab acribus humoribus, perfectam, bonamq; purgationem deſignat. Præterea dejectionum mutatio cum tolerantiâ ægri completam purgationem illius humoris potiſſimùm arguit, quem purgare intendimus. Unde Hipp. *14. Aph. 2.* In proflu-

profluviis alvi, mutationes dejectionum juvant: nisi ad malum fiat mutatio; significant enim corpus perfectè purgari. Verùm, ut supra diximus, bona utilisq; purgatio non est æstimanda ex copiâ eorum, quæ evacuantur: sed si purgentur, qualia oportet, & æger facilè ferat.

Mala purgatio quotuplex.

Mala igitur, & incommoda est illa purgatio, quæ movet quidem humores, sed non expellit: aut expellit, sed non legitimè, nec determinatum humorem, verùm cum molestiâ, gravibus symptomatibus &c. aut quia expellit plus, quàm expellere debet, & utilia cum inutilibus: unde superpurgatio, de quâ suprà. Horum omnium causa est incompetentia, sive vitium primò sumentis, ob facultatis debilitatem, aut quia humores præparati non sint, aut viæ obstructæ: Secundò, ipsius medicamenti, quia vehemens, malignum, debile, non correctum; Tertiò, ob errorem in victus ratione. His malis omnibus & singulis Medicum subvenire decet, ut luculenter ostendit Mesue in *Cano*: *Intent.* 3. Avic. *lib.* 1. *Fen.* 4. *doctr.* 1. Paulus *lib.* 7. &c. quæ brevitatis causâ nunc omitto.

Particularia purgantia.

Hactenus de universalibus purgationibus, quæ publicis nostri corporis regionibus destinantur. Supersunt particulares, quibus è privatis sedibus, vel peculiaribus corporis partibus humor noxius medicamento educitur. Hæ variantur pro varietate partis, à quà & per quam evacuatio perficitur. Perficitur autem evacuatio à capite, à pectore & pulmonibus: à renibus & vesicâ, & à matrice potissimùm. A capite verò, vel per palatum apophlegmatismis, vel per nares errhinis & ptarmicis, vel per aures ὀπγχύτοις: à pectore verò & pulmonibus per os tussi, bechicis sive arteriacis. A renibus & viis urinæ, diureticis: ab utero, hystericis

illis, quæ μετρεχύτῳ dicuntur. De quorum omnium naturâ & viribus dictum supra. In omni particulari evacuatione, duo potissimum attendenda sunt: Primo ne corpori non vacuo adhibeantur: Præmittenda enim est semper evacuatio universalis. Deinde ne humoribus influentibus aut fluere paratis admoveantur, sed quiescentibus morbo tendente ad declinationem, post debitas revulsiones; Nam si fluente adhuc humore adhibeantur ad partem affectam attrahent.

QVID PHLEBOTOMIA QVIBUS AFFECTIBUS CONveniat & quotuplex?

CAPUT XVI.

Cum medicus naturæ minister & imitator sit, naturæ opera ante omnia cognoscere debet, simulq; definire, quæ natura integrè & perfectè propriis conatibus incitata, & quæ morbosis causis præpedita diminutè agat: Nam ejusmodi ratio teste Galeno adversus Erasistratum libro de Phlebotomia viam ad inveniendа remedia suppeditat.

Vtilitas evacuationis sanguinis. Ipsa autem natura per se multos morbos sanare solet, & à multis præservare, sola sanguinis evacuatione. Nam fœminæ, quibus menstrua bene fluunt, & viri, quibus pro consuetudine superfluus sanguis per hæmorrhoides evacuatur, affectibus à plenitudine rarò aut nunquam infestantur. Quare evacuationis sanguinis magna utilitas est. Verùm cum natura impedita fuerit, aut defecerit in sanguinis evacuatione, medici erit naturæ opera imitari, naturæq; laboranti subvenire, & si ipsa nihil per se moveat impedita causis morbificis, totum illud

supplere

ſupplere, ſi in aliquo deficiat, ſuperaddere. Præſtat medicus hæc omnia phlebotomia ſive venæ ſectione, quæ evacuationibus univerſalib⁹ annumeratur, ut alibi diximus.

Quid phlebotomia? Definiri autem poterit phlebotomia (ut eſt inſtrumentum medicum) evacuatio humorum quantitate nocentium arte facta per apertionem venæ aut arteriæ, in eum finem, ut vaſa multitudine diſtenta, aut vires onere gravatæ, leventur; vel ut materia noxia, à parte affecta avertatur. Convenit phlebotomia & purgatio, quod utraq; evacuatio univerſalis ſit, & magnum remedium, ac morbis magnis conveniat. Differunt non ſolum inſtrumentis, quibus perficiuntur, ſed etiam formâ modoq;, & quod purgatio certos ſelectos humores qualitate diſtinctos educat: phlebotomia verò qualitatis rationem non habeat, ſed quantitatis tantum. Nam ſimul quemcunq; humorem venis contentum detrahit, non eligendo certum aliquem: & quamvis è toto corpore detrahat, immediatè tamen à venis proximis & à propinquiori parte, ſecundariò à toto corpore. Nam venæ ſibi invicem continuæ ſunt. Deinde cum ſecatur vena, in noſtra poteſtate eſt, quantum detrahimus, & evacuationem ſiſtere, quando volumus: quod minimè evenit in purgatione. Cum autem magnis remediis hoc commune ſit teſte Gal. *Com. 47. Aph. 6.* quod ritè aut tempeſtivè adhibita magnã brevi tempore utilitatẽ afferãt; intempeſtivè verò adhibita magnorũ malorum cauſa ſint: ut igitur tempeſtiva ratio inſtituendi phlebotomiam intelligatur, totam de venæ ſectione conſiderationem 5. partibus præcipuis comprehendemus, 1. erit quibus corporis affectibus phlebotomia conveniat & quotuplex, 2. ex quibus venis & arteriis potiſſimum, ac quomodo, 3. quæ corpora ſuſtinere vel non ſuſtinere phlebotomiam queant,

4. quantum quousq; aut quoties sanguinis evacuatio institui debeat. 5. quo tempore potissimùm.

Scopi in venæ sectione. Ac primum cum morbi magni magnum exposcant remedium: phlebotomiam quidem magnus aliquis morbus indicabit, præsens vel imminens, modò vires ferant, ætas cæteraq; consentiant, unde Gal. *lib. de Cur. per venæ sect.* Hipp. *lib. 4. de Rat. vict. acut.* tres præcipuos scopos mittendi sanguinis constituunt: magnitudinem morbi, virium robur, & ætatem florentem. Verùm non omnis morbus magnus statim venæ sectionem indicat (sola enim phlebotomia magnum remedium non est.) sed tantum morbus magnus qui ex plenitudine ortum habet, pro modo plenitudinis, ut infrà apparebit, cum phlebotomia propriè sit evacuatio humorum quantitate nocentium.

Plenitudo quid & quotuplex Dispositio autem humorum quantitate nocentium plethora dicitur. Plethora enim propriè dicta est redundantia boni succi, ut κακοχυμία pravi. Verùm nihil impedit manēte plethorica dispositione vitium in qualitate esse, sicut in κακοχυμία vitium aliquod in quantitate. Est autem plethora primariò affectio venosi generis à redundantia sanguinis, secundariò habitus corporis. Sanguis enim primùm in venis & arteriis redundat, ab his deinde in habitu corporis. Afficit autem plenitudo duplici modo potissimùm, unde duplex plethora, una quò ad vasa sive capacitatem vasorū, quando ob nimiam sanguinis redundātiam ipsa vasa ita tumēt, ut maximum tensionis sensum inferant, metusq; sit ne vasa disrumpantur, aut ægri subitò suffocentur. Altera plenitudo quo ad vires vocatur, quando tanta adest sanguinis redundātia, ut natura eam gubernare nequeat, sed vires premat, sensumq; gravitatis inferat. Nam non raro exigua plenitudo, quæ vasa

non

non distendit, debili naturæ & viribus gravis est. Vires autem intelligo non solum animales, sed etiam naturales ac vitales, licet sensus tensionis & gravitatis à facultate animali propriè percipiatur. Utraque plenitudo non solum ægris, sed etiam sanis (plerumque cum lassitudine tensiva aut phlegmonosa) accidit. Verùm in sanis diu consistere nequit: nam spatio temporis humores vel putrescunt, vel vasa disrũpuntur, vel fluxiones concitantur, unde varia morborum genera. Deinde omnis plenitudo ratione cõtentorum vel est exquisita, & simplex, ex solius boni succi redundãtia; vel notha quando cum bono succo aliquid vitiosi accumulatur, quæ ob id plethora cacochymica dici solet, sicut quando cum pravo succo redundat nonnihil boni, cacochymia plethorica: simplex autẽ plethora duplex vicissim est, una propriissime dicta, quando omnes 4. humores servata ad invicem proportione augentur, alia sanguinea dicta, quando solus sanguis purior redundat. Præterea plethora ratione corporis affecti, aut est universalis, quæ per totum corpus diffusa est, aut particularis, quando in determinata parte redundantia consistit. Item alia in solis vasis, alia simul in habitu corporis: Tandem alia actu, quæ totum corpus aut partem aliquã nunc occupat, alia potestate, quæ occupatura est, ut cum ex suppressa consueta sanguinis evacuatione, plenitudinem in toto timemus, vel quando ex fluxu humorum ad determinatã partem, partis inflammationem, putredinem, dolorem, &c. Evacuat plenitudinem vel in toto, vel in parte, venæ sectio morbo magno præsente vel imminente. Morbum autem magnũ hîc intelligo nõ solùm ob ipsius affectus magnitudinẽ, ut magna inflãmatio aut vulnus, sed etiam ob partis præstantiam aut malignitatem. Parva enim inflammatio in ignobili parte licet ex redundantia sanguinis ortum habeat, phlebo-

tomiam aut magnum remedium non exigit: sed levioribus curatur, nimirum medicamentis digerentibus, diæta & similibus: Ac parva inflammatio in nobili parte ut in jecore, quia magnus morbus est, non ex affectus magnitudine, sed ex partis præstantia, venæ sectionem requirit. Cum autem auctore Gal. *lib. ad Erasistrat. de Sectione venæ*, multi sectione venæ indigeant, qui actu plenitudine carēt, veluti in initiis inflammationū, in dolore, ictu, vulnere & similibus, nō erit unus phlebotomiæ scopus.

Finis duplex in phlebotomia.

Utimur enim venæ sectione non unius finis gratiâ: plerumq;, ut per se prosit, quando plenitudinem evacuamus, aut avertimus, nonnunquam propter aliud, aut alterius finis gratia, quando aliquid præstare cupimus, quod sine sanguinis evacuatione fieri nequit, ut quando initiis morborum, venam secamus eventationis gratia, ut concoctio melius procedat, putredo restinguatur, cæteraq; remedia commodius exhibeantur, ut supra diximus. Per se, suiq; operis gratia, phlebotomia duplici ratione utimur (ut ex definitione apparet) primò ut vasa multitudine distenta, aut vires onere gravatæ leventur, sive ut plenitudo jam facta in toto, aut parte evacuetur. Deinde, ut humor à parte affecta avertatur, sive ut plenitudo particularis futura prohibeatur. Avertitur autem humor duplici modo, 1. quando cum impetu confertim influit, si à parte affecta in contrariam retrahatur. Deinde, cum sine impetu fluit, aut plenitudo partim in facto, partim in fieri, si ad proxima derivetur.

Phlebotomia triplex.

Proinde phlebotomia propriè triplex erit, una evacuans, altera revellens, tertia derivans. Evacuans autem alia simpliciter ex toto corpore, alia ex determinata tantum parte, si parti inhæreat humor citra affluxionem. Verùm, si aliquid simul affluat auxilium postulat ex revulsione aut derivatione conjun-

conjuncta cum vacuatione. Vacuatio simpliciter dicta, ut vult Galen. 13. *Method.* humorem respicit, non qui movetur aut influit, sed eum, qui jam permanet, aut in parte firmatus est.

Phlebotomia simpliciter evacuans, quid & quibus morbus cōveniat.

Phlebotomia verò simpliciter à toto corpore evacuans, respicit solos humores in toto corpore adauctos, citra alicujus particulæ affectæ considerationem, & propriè morbis universalibus á plenitudine convenit, secundum plenitudinis modum; sanis verò, quibus morbus universalis à plenitudine imminet, aut singulis annis aut certis temporibus in universales morbos decidunt, non particulares.

Phlebot. à toto evacuans.

Nam qui in proprios partis alicujus morbos decidunt, sanguinis missione indigent, non tam propter simplicem evacuationem quàm revulsionem. Secamus etiam venam in plethoricis adhuc sanis, licet nullum determinatum morbum designet ut (3. *Aph.* 1.) in athletarum habitu ubi vires aut vasa periclitantur, magnumq; imminet discrimen. Secatur quoq; vena, si vires satis validæ in tensiva affectione potissimum magna, magis autem in phlegmonode. Plethora simplex puravé venæ sectione tutissimè sanatur, notha non æquè tuto: quò enim plethora impurior est, eò minorem sanguinis detractionem desiderat. Verùm calida biliosaq; plethora tutius quàm melancholica venæ sectione evacuatur, & melancholica, quàm pituitosa, quia phlebotomia non solùm plenitudinem detrahit, sed etiam refrigerat. Proinde si notha fuerit plethora potissimùm ab humoribus frigidis, aut à natura sanguinis plurimum distantibus, & vires debiles fuerint, à venæ sectione temperandū erit: similiter ubi sanguis bonus in venis fuerit paucus, humores autem mali multi. Semper autem in plenitudine si vires ferant, detrahi debet aliqua sanguinis pars, quo natura premitur, ut vires onere leventur, tantumq;

tumq; relinquatur, quantum natura facilè guberna re queat. Unde præcipit Galen. *Com. 29. Aph. 2.* in principiis febrium putridarum venam secare, ad demoliendam multitudinē, ut felicior fiat concoctio.

Phlebotomia evacuans à parte. Simplex evacuatio à parte affecta in particulari plenitudine locum habet. Particularis autem plenitudo, si in fieri, aversionem, si in facto, evacuationem simpliciter indicat: quod enim parti affectæ inhæret, citra ullam fluxionem per partem ipsam aut maximè vicinam evacuari debet. Verùm si per vicinam, plerumq; derivatio dicitur: si per ipsam partē, simpliciter evacuatio. Vnde simplex evacuatio interdum pro derivatione sumitur, sæpe sub derivatione ista evacuatio continetur. Nam evacuatio particularis propriè debetur ei, quod per partis substantiam dispersum est: derivatio potissimum, quod in venis partis affectæ aut vicinis continetur. Evacuatur autem, quod per partis substantiam dispersum est, effluxu vel insensibili, medicamentis attenuantib⁹, discutientib⁹; vel sensibili, scarificationibus potissimum, aliquando sectione venæ præcipue post revulsionē aut derivationem, in inflammationibus, ubi majus malum imminet, quàm suppuratio, veluti si pars in gangrænam degenerare videatur; unde in carbunculis, pestilentialibus tumoribus, & similibus, sæpe id, quod parti impactum est, scarificatione evacuamus, aliquando venæ sectione sed rarius, dum iterum in venas remeare cogitur. Igitur phlebotomia simpliciter à parte affecta evacuans, affectus remedium est non fluxionis: contra revulsio & derivatio magis fluxionis quàm affectus. Nam si vim vocis spectes tam revulsio quàm derivatio, ipsos humores fluentes respicit: revelli enim dicuntur, quæ eadem, qua moventur, via retrocedere coguntur, sive ad fontem remeare, unde fluxio oritur. Derivatio verò idem est, quod rivos in alias partes ducere.

Αντι-

Ἀντίσπασις revulſio generaliter ſumpta omnem averſionem humorum ſive in partem contrariam ſive vicinam continet. Unde Gal. *6. Epid. Sect. 2. Com.31.* fluxiones oculorum ad nares vel palatum revelli poſſe ſcribit, ubi derivationem intelligit. Propriè verò revulſio Gal. *5 & 13. Method.* eſt illabentis humoris in contrarium tractus, ſive averſio humorum cum impetu fluentium, aut qui fluxuri ſunt in partem contrariam, ut impetus fluxionis quàm citiſſimè cohibeatur: per contrarium hîc intelligimus non ſolum ad contrariam partem ei quæ laborat, ſed etiam ad contrarium motum ſive verſus terminum, à quo fluunt humores κατ' ἴξιν ſervata rectitudine & venarum communione quantum fieri queat. Contrariæ autem partes omnes illæ dici poterunt, quæ ſufficientem à parte affecta diſtantiam habent, contrarietas verò in motu eſt ſurſum, deorſum, dextrum, ſiniſtrum, ante, retrò, intus, extra. Verùm in revulſione æſtimanda eſt contrarietas ſecundum motum humorum fluentium per venas in partes affectas. Influunt autem in partem affectam nonnunquam à toto corpore omnibuſq; vaſis, plerumq; à parte aliqua mandante, aliquando una parte potiſſimum & ſimul à toto. Nam accidit non rarò, ut ad partem debilem aut affectã, omnes partes ſua excrementa deponant. Hæc omnia in revulſione conſideranda erunt, & ſemper ſecundum quam rectitudinem fit influxio, eadem via in contrarium inſtituatur revulſio: proinde, ſi fluxio ſit à toto, revulſio fiat ad partes maximè diſtantes, ſi à parte mandante, recurſus ad originem fiat, aut ad partem ei proximam, evacuando primum tranſmittentem: Nam revulſio primum partem mandantem reſpicit: deinde recipientem aut affectam: contra derivatio. Cætera de modo & ratione revellendi infrà proponemus. Convenit

Phlebotomia revellens, quid & quibus morbis debeatur.

revulſio

revulſio potiſſimum affectibus illis, in quibus fluxiones vehementes & humorum copia magna, ut inflammationibus initió potiſſimũ. Proinde in angina, ophthalmia, phrenitide, hepatitide & ſimilibus affectibus, quos ſanguis aut eruptio calidorum humorum progenuit. Convenit etiam non ſolum humoribus cum impetu fluentibus, ſed etiam præſervationis gratia, quando fluere in partem aliquam ſolent, præterea vulneratis, luxatis, fractis &c. reſpicientes ad id quod futurum eſt, ſi metus ſit inflammationis partis affectæ. Item in profluvio ſanguinis ex naribus, utero, hæmorrhoidibus &c. in ſputo ſanguinis, ne copia confluat ad locum affectum.

Phleb. derivans quid, & quib. affectib. conveniat?

Derivatio propriè eſt humorum citra impetum in partem affectam defluentium, aut qui defluxerunt, ſed nondum impacti ſunt, averſio ad locum vicinum, ut pars affecta à noxio humore liberetur. Nam derivatio partem affectam primo reſpicit, & à revulſione & vacuatione differt, quia derivamus (teſte Gal. *6. Epid. tex. 7. Com. 2.*) humores fluentes, aut non impactos, nec per partes remotas, ut in revulſione, nec per partem affectam, ut in ſimplici evacuatione, ſed per propinquas ad latera ex venis vicinæ partis: Ejuſmodi venæ neceſſariò communionem habere debent cum parte affecta, nam optima derivatio fit à venis deductis ab his, quæ in ipſis partibus affectis ſunt, ut infrà dicemus. Utimur phlebotomia derivante in affectibus ortis à debili aut diuturna fluxione: item poſt evacuationem à toto ad revulſionem, in magnis inflammationibus ceſſante impetu fluxionis: præterea in affectibus, qui aliis evacuationibus non cedunt, duplici modo: uno ut id, quod in venis affectæ partis continetur, per eas detrahatur, alio ut id, quod in mandante aggregatum eſt, per ei vicinas extrahatur. Tandem

in sanis convenit derivatio, humoribus quiescentibus, sed fluere assuetis in partem aliquam debilem, quando cum impetu fluere nõ solent. Ex his omnibus apparet, quibus affectionibus phlebotomia conveniat, & quæ qualisque.

EX QVIBUS VENIS PHLEBOTOMIA INSTITUI DEBEAT; quomodo, ac qui sectionem venæ sustinere, vel non sustinere possint.

Caput XVII.

Consequens est, ut consideremus ex quibus venis in quolibet affectu sanguinis missio fieri debeat, & quomodo. Ubi primùm observandum est venarum nomine duo vasorum genera ab Hipp. *2. Epid. Sect. 5.* comprehendi, nimirum quas propriè venas vocamus, & ipsas arterias. Venæ autem quæ secantur certo numero definitæ non sunt, nec in omnib⁹ eodem modo perspicuæ, unde alii plures alii pauciores enumerãt. Maximè verò cõspicuæ sunt venæ cubiti, deinde crurũ, manus, pedum & capitis. Arterias verò Galenus insomnio admonitus secare non dubitavit, hodiè verò pauci arterias secant, quia grandes secare periculo non vacat, & minores conspicuæ non semper sunt: secantur tamen nonnullæ, ut infrà dicemus, in certis affectibus, ubi materia calida & spirituosa est, aut dolor diuturnus aut pulsatorius.

Ex quib⁹ venis institui debeat phlebotomia?

Ac primum ubi requiritur phlebotomia simpliciter à toto evacuans, quavis vena secta effunditur sanguis. Commodissimè tamen plenitudo in toto detrahitur, sectis cubiti venis, præcipuè interiore vena cubiti dextri lateris; quæ à cava plurimum, à jecore validissimè prolicit: maximè si ple-

Phlebot. à toto evacuans, ex quib⁹ venis institui debeat

nitudo

nitudo simplex aut biliosa fuerit, quod si melancholica, interior sinistri cubiti potius secari debet. Evacuat interior cubiti vena quæ basilica dicitur, non solum à toto corpore, sed etiam à partibus infrà collum & renes cito valideq; revellit: tardius & segnius ejus propago, quæ salvatella dicitur inter minimum digitum & auricularem. Eodem modo evacuat simulq; cito & valide revellit à partibus supra claviculas vena cubiti exterior sive humeraria, unde cephalica dicitur: tardius verò & debilius vena illa brachii quæ funiculus dicitur. Item vena, quæ inter indicem pollicemq; excurrit. At venæ communis ex basilicâ & cephalica, in, aut, circa mediam juncturæ flexuram deducta, quia ab utrisq; derivata est, partim à superioribus, partim ab inferioribus, evacuat & revellit. Sub renibus si affectus constiterit, secta vena crurum citius & perfectius evacuatio efficitur, tardius sectis venis malleoli: Renes medii quodammodo ponuntur inter partes superiores & inferiores ob initium & productionem venarum. Proinde Gal. *11. de Compos. sect. loc. cap. 2.* renibus inflammatis à cubito. & cruribus venam secare jubet. Semper autem à superioribus ad inferiora convertitur humor secta vena crurum & pedum, contra ab inferioribus ad superiora secta vena brachii. Proinde fluxus menstruorum aut hæmorrhoidum sistuntur, sursumq; retrahuntur secta vena cubiti: contra sanguis deorsum convertitur mensesq; suppressi moventur, secta vena in poplite aut in talo interiore, quæ saphena dicitur: potissimũ instãte tempore menstruæ purgationis. In Ischiade secatur vena cruris aut exterioris malleoli &c. Verùm ubi causa partis alicujus detrahitur sanguis, secanda vena illa erit, quæ parti affectæ maximè congruit. Nam optima evacuatio partis fit, per venas vel ipsius partis, vel deductas ab his, quæ in partibus sunt.

Revulsio

Revulsio, ex quibus venis fieri debeat?

Revulsio verò humoris fluentis à parte affecta in contrarium fieri debet, servata quantum fieri queat rectitudine, & communione venarum: Rectitudo autem venarum est secundùm longitudinem potissimum. Nam à dextris ad sinistra & contra non est tanta venarum rectitudo, nec etiam communio, quanta dextrorum cum dextris, aut sinistrorum cum sinistris. Communicant quidem omnes venæ prima communione, at privata communione partes communicant per proximas venarum divisiones, quæ sunt uni trunco communes, quo modo basilica dextra brachii cũ omnibus venis & partibus dextri lateris, basilica sinistri cum omnibus sinistri lateris communicat. Magis adhuc propriè venæ illæ communicant, quæ ab uno eodemque trunco deductæ sunt, ut vena humeraria cum venis capitis. Communicant quoque venæ superiores & inferiores per sua orificia, ob quam communionem cum rectitudine in pleuritide ejusdem lateris venam secamus, licet utrumque latus à vena sine pari recipiat alimentum. Verùm quia defluxiones potissimum à locis cõmunibus fiunt, sectio communis venæ revulsiones ritè complet, licet non satis perfectè à qualibet parte, ut infrà apparebit. Rectitudo autem in omni phlebotomia temerè negligenda nõ est, licet nonnullis casib⁹ solam communionem observemus: sicuti contra corporis rectitudinem non habita ratione privatæ alicujus communionis: cum rectitudinis magna vis sit. Nam partes, quæ secundum rectitudinem sitæ sunt, plurimum communicant, & teste Galen. *lib. de Curat. per phlebot.* eruptiones sanguinis, quæ per rectitudinem fiunt, magnum emolumentum adferunt; quæ contra, nullũ aut exiguũ. Et in pleuritide phlebotomia, quæ à contrario latere fit, obscuram utilitatem aut longo tempore adfert: nam

sinistræ

ſiniſtræ in ſiniſtras, dextræ in dextras ſeſe facilius exonerant ob rectitudinem vaſorum, ſive attractio iſta intelligatur fieri ſecundum rectitudinem fibrarum, ut Fernelius arbitratur, ſive potius conſecutione ad id, quod evacuatur, ut pleriq; volunt, cùm ipſæ fibræ rectæ evacuationem non perficiant.

Revulſio ſimplex aut localis.

Nihilominus ubi humores à toto corpore cum impetu in partem affectam irruunt, utile erit, ut præcipit Gal. *lib. de Fractr. cap. 10. & lib. 1. de Humoribus cap. 11.* ad contrarias & diſtantiſſimas partes, imò ad oppoſita latera concitatas fluxiones retrahere, atq; hæc revulſio ſimplex dici poterit. Ubi verò fluxio à certo fonte aut determinata parte defluit, ſpectanda eſt ipſa origo, & laborandum, ut reducatur ad origenem aut ad partem proximam, unde localis revulſio à nonnullis dicitur. Ubi verò pars mittens per ſe debilis eſt, aut proprio affectu laborat, aut ſimul fluxio à toto ſit, nunquam ad originem fluxionis revellendum erit, ſed ut impetus fluxionis ſiſtatur, ad partem ei proximam. In omni quidem phlebotomia rectitudo quædam obſervari debet: verùm in derivatione, evacuare debet per directum ex venis deductis ab iis, quæ in parte affecta ſunt; non habito reſpectu partis mandantis: at revulſio contra, partem mandantem primò reſpicit, deinde recipientem, requiritur enim in revulſione, ut illam venam ſecemus, quæ tranſmittentem proximè evacuare queat, & partem mandantem evacuantes, ſecundariò à parte affecta abducamus. Quare in revulſione locali tria requiruntur: 1. ut per venas fiat, quæ communionem & rectitudinem habent, primum cum demandante, & propter demandantem cum recipiente. Deinde ut vena ſufficientem diſtantiam habeat à parte affecta. 3. ut in contrariam partem humorum retractio fiat, aut contrario motu agitentur, ut impetus fluxionis ſiſtatur.

ſiſtatur. Nam ad contraria retractio in omni revulſione neceſſaria eſt, & unice utilis ad cohibendos impetus fluxionis, licet magis ſit fluxionis quàm affect⁹ remediũ. Verùm nec retractio ad remotiſſimas partes, nec ad originem recurſus, in omni revulſione neceſſarius eſt ſed retractio ad partes diſtantes his potiſſimũ affectibus ex uſu eſt, qui fomentũ ex toto ſuſcipiunt: at recurſus ad originẽ iis qui ex aliqua certa parte fontem trahũt. Plerumq; autem recurſus ad originem nõ fit ad partes remotiſſimas, ſed interdum ad propinquas.

Quare quando pars fluxione periclitatur ob humores motos aut moveri ſolitos, revulſio triplici modo fieri poterit. Primò retractione humorum ad partes contrarias, maximeq; diſtantes ſecta vena in oppoſito latere: ut excitato contrario motu impetus fluxionis tandem cohibeatur, 2. recurſus ad originem fluxionis ſecta vena, quæ in partem mandantem inſeritur aut vicinam, ut inde recurrant humores unde prodeunt: 3. retractione in directum ſecta vena communi ſervata rectitudine cum parte mittente & affecta, ut non ſolum humores influentes revellantur, ſed etiam aliquid à parte affecta evacuetur. Optimè enim venæ communes, ut ſupra dictum eſt ab eodem latere revellunt, ſimulq; evacuant, quia defluxus à communibus locis per directum ut plurimum fiunt. Hæc non ſolum fluxioni, ſed etiam affectui aliquid confert, at retractio ad partes maximè diſtantes aut oppoſita latera etſi fluxionis idoneum remedium ſit, longius tamen diſtat, quàm ut affectui gratiam aliquam præſtare queat.

Revulſio tribus modis inſtitui ſolet.

Quapropter una horum trium modorum ratio in omnibus non eſt. Nam quando magna fluxionis cauſa adeſt, ut vulnus ictus, magna plenitudo &c. aut à toto confluunt humores: ſecatur vena non ſolum in recto, ſed etiam in diſtanti ſitu,

Regula obſervanda in revulſione.

& aliquando in opposito latere. Deinde ubi copiosa evacuatio sanguinis fieri nequit, ex vicino loco venæ sectio institui nunquam debet, sed ex maximè distanti: quia insufficiens loci vicini vacuatio majorem concitat fluxionem ad partem affectam. Quare fluxiones, quas citius aut tutius avertere conamur, per proximè distantes partes revellimus. Quas verò citius quàm securius, per propiores partes, & ex venis communibus servata rectitudine: citius autem revellimus, quo magis urget affectus. Igitur in pleuritide, quæ vehementissimè plerumque urget, secamus venam ab eodem latere contenti rectitudine & communione venarum; ut non solum influxus humorum revellatur, sed etiam ab affectâ parte quàmplurimum extrahatur: licet interdum ex usu sit, potissimum si humor ex toto confluat, aut in annua plenitudine præservationis causâ, ex contrario latere sanguinem mittere. Verùm ex contrario latere venæ sectio tantum revellit, ipsam inflammationem non imminuit, nec à parte inflammatâ evacuat. Præcautionis verò gratia monet Hipp. *lib. 2. de Natura Humana*, sectiones quàm longissimè à locis illis facere, ubi dolores fieri, & sanguis coacervari solent. Eadem est ratio in inflammationibus oculorum, aurium, &c. Verùm, quando datur pars mandans, communitas venarum cum mandante observanda erit: deinde ubi fluxio intra corpus cum magno impetu in partem affectam irruit, ut in inflammationibus, quia cito subvenire oportet, utile est majores venas secare, si partis affectæ conditio ferat: Ubi verò extrà erumpit, ut in hæmorrhagiâ, satius erit minores venas eligere, potissimum si vires debiles sint, ut minus spirituum dissolvatur: & sæpius missionem sanguinis repetere, ut natura assueta crebris motibus revulsoriis locum affectum deserat.

Derivatio

Derivatio propriè fit, ſectâ eâ venâ, quæ in partem affectam inſeritur, aut ſectâ venâ deductâ ab his, quæ in parte affectâ ſunt. Utimur ut diximus aliquando derivatione per ſe, aliquando poſt revulſionem aut evacuationem à toto, ceſſante impetu fluxionis. Itaque in morbis capitis ex plenitudine, vena cubiti exterior revellit, at derivat fluxus ſanguinis narium, & in dolore anterioris capitis, ſtupore &c. ſectio venæ frontis derivat: verùm revellit in dolore poſterioris capitis: derivat quoq; in inflammationibus oculorum ſectio venæ in angulis oculorum: In angina oriſq; affectibus ſectio venæ ſub lingua, item in vehementi angina, peripneumonia, catharro ſuffocante ſectio jugularium: in lienis affectibus apertio hæmorrhoidum: In inflammationibus ſub renibus primo ſecatur cubiti vena interior, deinde pedis ejuſdem lateris non tam ob derivationem, quàm ut id, quod ſuperat, exhauriatur, & deorſum convertatur.

Derivatio, ex quibus venis efficiatur.

Eadem propemodum ratio eſt in arteriarum ſectione, ut in venarum: licet arteriarum ſectio periculo ἀνδρεἰσμαῆς non careat, potiſſimum ſi majores fuerint. Galenus tamen inſomnio admonitus in diuturnis laterum doloribus arteriam dextræ manus inter indicem & pollicem ſecuit. Secantur arteriæ juxta aures, ut in vertigine, in diuturnis capitis doloribus, in rubore faciei &c. licet Hippocrati ſuſpectæ ſint. Secantur quoq; arteriæ juxta malleolos in antiquis coxendicum doloribus &c. Verùm in his omnibus magno judicio utendum erit.

Arteriarum ſectio

Perficitur venæ ſectio, ut plurimum phlebotomo ſive ſcalpello: tutiſſimè lancetta ſive gladiolo; interdum admota hirudine ipſi venæ.

Modus obſervandus in venæ ſectione.

Venæ tres cubiti ſupra flexuram potiſſimum ſecari debent, ne tangantur arteriæ & nervi, quæ ſunt propiores in ipſa junctura, quàm ſupra. Deinde dū

tunditur phlebotomo basilica, periculum est propter arteriam potissimum, aliquando nervum: dum mediana propter nervum, quare pro verâ medianâ, alii ramum basilicæ, alii ramum cephalicæ secant, paulò supra medianam, quæ ab utrisq; derivata est. In cephalicæ sectione tantum periculi non est, sed tamen observandum est, ne sectio fiat in initio musculi, ubi tendo sub digitis durus sentitur. Quando venæ confusæ sunt, aut una non satis conspicua, ut Cephalica, aut Basilica, secetur proxima nimirum ramus proximus, unde derivata est mediana, & alter remotior digito arctè comprimatur. Venæ minores aliquandiu in calida aqua mergantur ut intumescant, antequam secentur, deinde in calida iterum detineantur. Si vires non satis firmæ sint, aut sanguis tenuior, sectio angustâ fieri debet, ut paulatim sanguis exeāt, & pauci spiritus exhalent. Idem quoq; in revulsionibus fieri convenit, aut ubi reiteratio ex usu est. Unde nonnulli foramini digitum aliquandiu admovent, ut retractio à parte affecta quasi per vices melius procedat; verùm amplior sectio magis accommodata est evacuationi, & crassum sanguinem facilius educit.

Qui sectionē venæ sustinere vel nō sustinere possint?

Consequens est, ut demonstremus, quibus sanguinis missio conveniat. Nam in ægris non statim, quicquid affectus requirit, faciendum est, sed primum videndum, an sustinere aut non sustinere queant. Ostensum supra est morbum magnum præsentem aut imminentem phlebotomiā indicare si vires ferāt, ætas, anni tempus cæteraq; consentiāt. Nam vires validæ sufficientem sanguinis missionem permittunt: mediocres mediam: debiles aut planè dejectæ exiguam aut nullam. Verùm non omnis virium debilitas sanguinis missionem prohibet.

Viriū duplex debilitas.

Nam debilitantur vires duobus potissimum modis, dum opprimuntur, aut dissolvuntur. Vires autem

autem oppressæ sive afflictæ in sua substantia nihil patiuntur, nec evacuationem semper prohibent, sed dissolutæ sive languidæ.

Quomodo opprimantur vires.

Opprimuntur autem vires ab humorum multitudine, aut infarctu, ut in plethorica dispositione athletarum, interceptionibus venarum, vehentissima synocho &c.

Causa dissolutionis viriũ.

Dissolvuntur verò dissolutione substantiæ spirituum, partium carnosarum & spermaticarum, aut labefactato eorum omnium temperamento; quod accidit in phtisi, atrophia, hectica, febribus malignis, magnis cruditatibus & similibus.

Virium debilitas unde cognoscatur

Nam consistunt vires in temperamento spirituum, substantiæ carnosæ & spermaticæ; ac æstimantur ex facultatibus, vel insitis singulis partibus, vel influentibus à corde, cerebro, & jecore. Vires autem cordis sive virtus vitalis, quæ maximè necessaria est, ex pulsu judicatur: Vires animales, ex functionibus sensus & motus: vires naturales ex signis concoctionis & cruditatis, ut in Prognosticis demonstratum est. Galenus solius virtutis vitalis in sanguinis missione mentionem fecit, quod reliquarum facultatum fundamentum sit, & ea dejecta cæteræ facilè collabantur. Verùm in singulis morbis, qui evacuatione indigent, considerare oportet, quæ facultas morbum debellare & finire potissimum debeat, ut ejus robur conservetur, nec immodicis evacuationibus succumbat; sed virtus vitalis imprimis spectanda erit, an sibi & cæteris sufficere queat.

Demonstrant viriũ robur 1. temperamentũ habitusq; corporis.

Vires variant res naturales, non naturales & præternaturales. Nam primum temperamentum calidum habitu denso solido firmoque præditum cum latis venis, copiosissimas evacuationes sustinet: contraria constitutio, aut nullas aut exiguas. Deinde corpus calidum humidumq; molli raroq; habitu

præditum, ex quo continuo plurimum diſſipatur, validas evacuationes nullo modo ſuſtinet. Calidum verò modice ſiccũ cum latis venis, liberalius quàm corpus frigidum humidum, aut frigidum & ſiccum evacuari poteſt, quia utraq; conſtitutio anguſtas venas habet. Semper autem corpora, quæ tenuium ſunt venarum & pauci ſanguins, aut nihil, aut quàm minimum extrahi ſinunt. Plerumq; autem in pingui habitu venæ anguſtæ ſunt, quod ſi latæ fuerint, facilius evacuationes ſuſtinent, quàm graciles.

3. *Ætas.* Deinde cuiq; ætati ſuum robur à natura eſt. Nam media ſive florens ætas, naturaliter vires omnes robuſtas, ſpirituum & ſanguinis copiam habet; & copioſas ſanguinis evacuationes ſuſtinet. Contra, ætas decrepita ob virium debilitatem omnem ſanguinis evacuationem metuit. At ætas puerilis (ante annum 14.) licet ſubſtantia virium abundet: tamen quia corpore humido molli & tenello prædita eſt, ex quo continuò plurimum diſſipatur propter inſitam à natura evacuationem, reſpiciendo non tam ad vires præſentes quam futuras, ſanguinis evacuationes aut nullas aut exiguas ſuſtinet. Verùm ex ætate non abſolutè virium robur conjicere oportet, ſed juxta cujuſque corporis naturam & conditionem. Nam eadem ætate aliis corpus robuſtum, aliis debile eſt. Quare ut præcipit Celſus *lib. 2. cap. 9.* ſi juvenis imbecillis eſt, aut mulier non gravida parum valet, malè ſanguis emittitur: emoritur enim vis, & quæ ſupererat hoc modo erepta eſt. At firmus puer & robuſtus ſenex, & mulier gravida valens, tuto curatur. Puer autem firmus præcipuè non lactans, habitus denſi & multi ſanguinis, ſi gravi morbo laboret, ut interiturus videatur niſi hoc modo adjutus fuerit, non erit cunctandum ſanguinem mittere: condonantes aliquid ætati, tempori &c. Quare Avenzoar filio

trimo

trimo utiliter in tali casu venã secuit. Eadem est ratio in robustis senib⁹, gravi morbo à plenitudine laborantibus, ut longa experientia demonstrat Rasis.

Viri plerumq; sanguinis missionem melius ferunt, quàm mulieres, præcipuè quæ habitu molli laxo & raro præditæ sunt cum venis angustis. Quando autem menstrua naturaliter fluunt à phlebotomia abstinere convenit. Mulieres quidem gravidæ teste Hipp *31. Aph. 5.* si sanguis mittatur abortum faciunt: attamen si magnus morbus urgeat aut immineat à plenitudine, cum virium robore, medici erit potius anceps auxilium eligere quàm nullum. Verùm minus extrahere, quàm vires tolerant, potissimum primis & ultimis mensibus; ut dictum est supra. *3. Sexus.*

Præterea aër ambiens temperatus, evacuationes feliciores reddit, contra intemperatus difficiliores. Nam caliditas vires & corpora dissolvit, frigiditas coërcet. Proinde ver omnibus evacuationibus magis accommodatum est, deinde autumnus: minus accommodata est æstas, deinde hyems. Quæ ratio est in anni temporibus, eadem in regionibus & locis ac cœli tempestatibus. *4. Aër ambiens, tempus anni &c.*

Præterea qui non assueti sunt venæ sectionibus, & qui parsimonia vitæ usi sunt, & multis curis & laboribus torquentur, minus sanguinis evacuationem sustinent. Contra qui assuetæ sunt venæ sectionibus, & liberalius pleniusque vivunt. *5. Consuetudo.*

Tandem res contra naturam quatenus vires debilitant aut dissolvunt, evacuationem sanguinis prohibent, ut morbi ab humoribus pravis aut crudis sine plenitudine, ut hydrops, &c. magnæ intemperies partis principis, gravissima vulnera &c. Item nervorum distensiones, morsus aut dolor in orificio ventriculi, syncope, diuturnæ vigiliæ, fluxus alvi immodicus, spontanea sanguinis eva- *6. Res præter naturales.*

 cuatio,

cuatio, quatenus vires dissolvit, aut materiam morbi sufficienter demit, &c. Oportet autem non solum in ægris vires præsentes observare, sed etiam futuras prospicere. Ex his omnibus judicamus non solum, quibus vena secanda sit, sed etiam aliquo modo, quantum sanguinis extrahendum, sive quousq; sit evacuandum & quoties.

QVANTUM, QVOUSQ:, AC QVOTIES SANGVIS detrahendus, & quo tempore.

Caput XVIII.

Quantū evacuandum, quousq; & quoties?

QVantitas autem sanguinis evacuandi correspondere debet quantitati illius, quod multitudine peccat, modo feratur à viribus. Verùm cum nec multitudinis nec virium sit certa mensura, neque etiam perspectum sit, qualis sit futura aëris constitutio &c. quantitas sanguinis mittendi incerta erit. Nihilominus, quia cum secatur vena, in manu nostra est, quantum detrahamus; si comparatio fiat virium cum magnitudine morbi aut plenitudine, ex utriusque propriis signis, non prorsus difficile erit, artificiosa conjectura ad justam quantitatem quam proximè accedere. Verùm si res adhuc incerta videatur, satius erit in defectu peccare, & sectionem repetere, quàm in periculum ægrum abducere subito & inopinato virium lapsu. Vires autem validæ copiosam sanguinis detractionem facilè sustinent, & simul causas morbificas facilè excutiunt; at si vires deficiant, relicto morbo viribus subvenire oportet; nam auxilia per se morbos extirpare nequeunt, sed

naturæ

naturæ auxilium requirunt. Verùm si vires nec satis firmæ, nec prorsus debiles sint, ita curatio instituenda erit, ut nec vires nec morbum contempsisse videamur. Proinde quantitatem evacuationis semper æstimare oportet ex quantitate requirentium & tolerantium missionem; requirit enim morbus, tolerant vires.

Ex comparatione morbi & virium agri iudicare quantitatem.

Ex mutua autem comparatione morborum requirentium & virium tollerantium ipsa sanguinis missio triplicem differentiam admittit, alia enim phlebotomia perfecta magnavé est, quæ totam aut maximam materiæ morbificæ partem detrahit; alia utilis sed imperfecta, quæ portione aliqua detracta, reliquam leviorem facit, ut à natura facilius regatur: tertia non solum imperfecta, sed etiam tam exigua est, ut inutilis videatur, & nihil laborantem levet.

Regulæ observandæ in quãtitate.

Quemadmodum phlebotomia, ita vires & morbi dividuntur. Vires autem in integras sive robustas, mediocres, & debiles sive prostratas. Vires robustæ perfectam, mediocres imperfectam sed utilem, dejectæ autem exiguam, aut prorsus nullam sanguinis detractionẽ sustinent. Morbi verò alii magni, alii parvi, alii mediocres sunt. Semper autem morbi magnitudo cum viriũ robore cõferenda est, si tutam curationem exequi velimus. Parvi morbi licet à plenitudine, levioribus remediis curantur, nec sanguinis detractionem requirunt, ut supra diximus. Morbi verò magni à plenitudine, magna remedia, scilicet, phlebotomiam indicant, sed pro modo magnitudinis & virium robore. Nam si morbus extremus fuerit cum virium robore; quia vehementissimè urget, citò subvenire oportet, plena integraq; sanguinis detractione: at si morbus minor fuerit, & vires integræ, plena evacuatio necessaria non est, sed utilis sufficere videtur, ut tutò

magis quàm citò curemus. Nam ſemel & univerſum evacuare periculo non caret. Sin vires debiles fuerint, ſed non planè proſtratæ & morbus vehemens conſultum erit per vices ſanguinem extrahere, & intermedio tempore antequam fiat reiteratio, vires ſemper reficere. In acutis verò morbis quia periculum magis urget, ſanguinem paulò liberalius mittere oportet, modò vires ferant. Nam ſi proſtratæ fuerint omninò abſtinendum erit, ſi magis oppreſſæ, quàm languidæ, nequaquam ſanguinis miſſionem omittere decet, ſed iterato ſanguinem detrahere, & per vices reficere, qualis phlebotomia per ἐπίχεσιν dicitur. In chronicis verò quanto morbus diuturnior, tanto minus ſanguinis detrahere oportet, ne ſubtractione ſanguinis natura in via deficiat Nam in chronicis potiſſimum, nō tantum vires præſentes, ſed etiam futuras conſiderare oportet. Deinde in phlebotomia gratia præcautionis imminente morbo à plenitudine, neceſſitas nondum exigit, ut tantum ſanguinis detrahamus, quantum plenitudo poſtulat; quemadmodum in phlebotomia gratia curationis. Nam urgente morbo & plenitudine, utile eſt quàm plurimum evacuare.

Menſura unde ſumatur? Præcipit Hipp. in talibus uſq; ad animi deliquium ducere, ſi æger perferre queat. Verùm ſimpliciter ad animi deliquium ſanguinem detrahere, nec certa nec tuta menſura eſt. Nam nec omnibus, qui animo deficiunt, ſat ſanguinis detractum; neq; ſi plurimum detrahatur, omnes ſtatim animo delinquunt, ſed nonnulli interdum poſt minus copioſam ſanguinis detractionem, in ſubitum & inopinatum virium lapſum incidunt. Deinde ſatis certa detractionis menſura non eſt, quæ ſumitur à mutatione caloris ſanguinis, ſi pars aliqua inflammata fuerit: aut in cæteris, à mutatione coloris faciei

faciei & oculorum: neq; etiam ex fluxionis impetu, si subsederit, licet nulla harum contemnenda sit; sed potissimum ex conferentia & ægri tolerantia. Confert enim evacuatio, quæ morbum manifestè minuit, toleratur, si viribus molesta non sit. Et licet non videatur phlebotomia morbum statim imminuere: tamen si viribus molesta non sit, proderit semel aut iterum potius reiterare, quàm ad extremum evacuationes ducere. Nam ut consulit Celsus, parcendum semper est remediis, quæ & vitæ custodes vires demunt, & medico pro gloria dedecus conciliant. Verùm in desperatis, ubi nulla superest spes, nisi in sanguinis missione, jubet Aëtius usq; ad experimentum procedere. Tolerantiam æstimat Gal. ex pulsu, qui vitalis roboris signum est, cujus consensu servato vitali robore certam aliquam quantitatem extrahere licebit. Verùm ut supra monuimus, cum vitalis consideratione conjungere oportet æstimationem illius facultatis, quæ morbum debellare debeat; caventes, ne immodicis vacuationibus robur illius succumbat. Nam præter robur virtutis vitalis, quidam morbi postulant robur virtutis animalis, aliqui naturalis, nonnulli utriusque: veluti in pleuritide omnium facultatum robur desideratur, ut vitalis propter dissolutionem spirituum vitalium à dolore, febre, &c. naturalis ob concoctionem materiæ in pectore: animalis ob expulsionem sive expectorationem. Cum viribus conjungere oportet considerationem temperamenti, ætatis, loci, temporis, & cætera, ut supra dictum est. Nam quantitatem debitam non sinunt evacuare, ætas puerilis, aut senilis, sexus fœmineus, regio, aut tempus nimis calidum, aut frigidum, vigiliæ, inedia, cruditas, morbus ad syncopen inclinans, orificii ventriculi debilitas, aut nimis exquisitus sensus.

Ex quan-

Quoties phlebotomia instituenda sit

Ex quantitate requirentium & tolerantium æstimatur non solum, quantum & quousq; sit evacuandum, sed etiam quoties, scilicet an simul & semel, an iteratò sive per vices & partes. Ubicunq; enim semel misso sanguine, omnibus necessitatibus requirentium satisfactum non est, iteratio convenit. Requiritur autē phlebotomia gratia evacuationis simpliciter, aut revulsionis, aut derivationis, quæ omnia nec simul & semel, nec ex una eademq; vena perfici possunt, ut ex supradictis patet. Deinde ubi vires periclitantur tam revulsiones & derivationes, quàm evacuationes partiri decet, imò teste Galen. *lib. de Cur. per venæ sect. cap. 12.* quanto majorem in numerum particulares detractiones auxeris, tantò efficaciorem revulsionem effeceris. Præterea ubi vires periclitantur, ut in debilibus convalescentibus, qui recidivam patiuntur, aut qui facilè animo deficiunt, optimum est detractiones iterare, & per ἐπίκρασιν evacuationes instituere: idem aliquando requiritur in gravi angina & affectibus suffocantibus, &c. Item si sanguis simplex non fuerit aut in plures partes divisus, aut partim in vasis, partim extra. Verùm in reiteratione si necessitas plurimum non urgeat, & vires ægri nondum expertas habeamus, melius est à pauca quantitate incipere, at si urgeat necessitas, & constet de viribus, satius est prima vice plus detrahere, quàm secunda, & secunda, quàm tertia.

Quo tempore institui debeat phlebotomia?

Superest, ut de tempore oportuno agamus, quo phlebotomia institui debeat. Tempus autem oportunum præscribit necessitas urgens, & virtus tolerans. Necessitas alia maxima est, quæ sanguinis missionem tardare non sinit, sed ob imminens periculum statim venam secare cogit: alia minor, quæ non tantopere urget, sed diem aut saltem horam

ram diei accommodatam eligere ſinit; unde alia phlebotomia coacta dicitur, alia electa.

Phlebotomia electa quando institui debeat?

Inſtituitur phlebotomia aut gratia curationis, ut in ægris, aut præſervationis, in ſanis. In ægris autem conſiderantur morborum tempora non ſolum univerſalia, ſed etiam particularia: In ſanis & ægris anni tempora dies & horæ, quibus ſecurior phlebotomia. De temporibus anni ſupra dictum eſt. Ubi neceſſitas magna nō urget, ut in præſervatione, ver maximè oportunum phlebotomiæ, deinde autumnus; dies nec magni caloris, nec magni frigoris, hora diei temperatiſſima præcipuè matutina. Commodiſſimè enim inſtituitur phlebotomia manè, una aut altera hora à ſomno poſt levem deambulationem, ſtomacho vacuo, concoctione celebrata, & eductis excrementis in inteſtinis primiſq; venis, ne vaſa exinanita aliquid vitioſi ſugant, correcta etiam ſi opus fuerit nimia orificii ventriculi ſenſibilitate aut debilitate, &c.

Phlebotomia coacta quando.

In morbis verò ſi neceſſitas vehementer urgeat (ut in vehementi ſynocho aut interceptionibus venarum) & vires ferant, ſanguinis miſſio tardari non debet, ſed ſtatim non habita ratione diei & horæ, aut præparationis corporis venam ſecare oportet; cum in mora periculum ſit. Nam in ſectione venæ tempus morbi aut numerus dierum non ſemper obſervandus eſt, ſed neceſſitas urgens, & virtus tolerans. Quo enim die teſte Galen. hos ſcopos in ægrotante inveneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiamſi 20. is ab initio morbi extiterit. Igitur cum neceſſitas urget, quam celerrimè ſanguinem mittere convenit, modo vires ferant. Ferunt autem vires, quo tempore minus exhauſtæ ſunt. Exhauriuntur verò in morbis duobus modis. Nam primum in pleriſq; morbis exſolvitur virtus tractu temporis, quare mittendi ſanguinis occaſio dierum

nume-

numero deperditur, & differenda in talibus non est ob virium dissolutionem, sed ut monet Hipp. inchoantibus morbis si quid movendum sit, move, cum consistunt melius est quiescere. Igitur, siquando vel secundo die ab initio morbi vires exsolvi videantur, à phlebotomia abstinebimus. Deinde in morbis, qui certis quibusdam periodis moventur, & exacerbationes, remissionesq; habent, exsolvitur virtus in accessionibus, quo tempore ægri maximè affliguntur. Proinde in febribus continuis differtur phlebotomia, ad remissionem; in intermittentibus ad intermissionem, quacunq; hora diei aut noctis evenerit: nam hoc tempore maxima morbi tranquillitas est,& vires facilius ferũt. Verùm,ubi propter dolores,inflammationes aliosq; affectus citra febrem hoc auxilio opus est,nõ oportet remissionẽ aliquã exspectare, sed magnitudinẽ doloris aut affectus tantũ intueri,& in ipsa vehementia sanguinẽ detrahere, (sed quantũ vires ferre queãt) ut à parte affecta sanguis retrahatur: quia ad partes dolentes cæteræ spiritum cum sanguine transmittunt,doloresq; vehementiores excitant.

Quando institui debeat phlebotomia evacuans, revellens aut derivans.

Phlebotomia simpliciter evacuans à toto, in principio morbi adhibetur, ut multitudine detractâ corpora liberalius transpirent: unde consulit Gal. 9. *Method. med.* initio febrium putridarum venam secare. At revulsio & derivatio affectibus rheumaticis conveniunt,sed revulsio initio potissimum, aut quamdiu cum impetu fluunt humores. Derivatio verò post revulsionem aut evacuationem à toto, cessante impetu fluxionis &c. ut supra dictum est.

Quoties institui debeat phlebotomia.

Valida existente virtute tantum sanguinis evacuare oportet, quantum postulaverit morbus; Sin minus repetitione utamur. Repetitio verò in quibus simpliciter evacuare conamur magis eodem

dem die esto, si vires sufficere queant, sin minus sequente die, donec tota illa sanguinis copia, quæ supra mediocritatem est, fuerit prope evacuata.

At reiteratio gratià revulsionis, melius judicatur, si duobus diebus deinceps fiat & frequenter. Nam vena pluries aperta vehementius revellit, quia natura assueta crebris motibus revulsoriis, eo humores mittit, & locum affectum deserit. In inflammationibus laterum, aliarumq; partium, quando materia è vasis ad locum confluit, repetitio commode in diem sequentem aut ultra defertur, ut materia vitiosa interim ex affecta sede in venas exhaustas subeat. Verùm in pestilentialibus tumoribus ne violenta contagio diutius inhæreat, aut latius serpat, reiteratio procrastinanda nullo modo est, si vires ferant. In omni verò sectione vires ægri semper observare convenit, manu arteriis illius admota ut suadet Galenus, & si confertim evacuationem ferre nequeat, primo die tantum reficere expedit, secundo detractionem reiterare. Tantū de phlebotomia. Cætera de forma & modo apertionis venarum: de regimine à sectione venæ; de sanguinis emissi observatione, brevitatis caussa omitto.

Tempus reiterationis.

DE HIRUDINIBUS, SCARIFICATIONE, ET CUCURBITULIS.

Caput XIX.

Quia verò sanguis, qui parti affectæ inhærescit, non semper venæ sectione detrahi potest, non enim facilè venas subit aut in venas exhaustas remeare solet: Proinde magis particulari evacuatione indiget, si tanta ejus copia sit, ut insensili evacuatione discuti neque-

Particulares sanguinis evacuationes:

nequeat. Particularis autem ſanguinis evacuatio eſt, quæ ab ipſa parte affecta ſanguinē manifeſtè educit.

De Hirudinibus. Manifeſtè autem educitur vel per hirudines, vel per ſcarificationem ſine aut cum cucurbitulis. Hirudines autem eligere oportet non nigras, aut virides, aut quæ magna capita habent, & in aquis putridis & cænoſis degunt &c. ut docet Avicenna & Raſes. Deinde ſtatim ut captæ & ablutæ ſunt, ut omnem virulentiam deponant, aqua limpidiſſima mergantur, ſæpeq; aqua permutetur, addito interdum pauxillo ſacchari. Hirudo præparata partique admota, morſu ſuo trifidum vulnus primum infligit, deinde ſanguinem à vicinis partibus ſugit, donec copia turgeſcens decidat, Anthillus jubet forcipe caudas earum incidere. Nam effluente ſanguine trahere non deſinunt, quouſq; ſal aut nitrum oſculis earum inſpergatur. Hirudo in calamum utrinq; perforatum demiſſa, & venæ legitima ratione admota, ita plerumq; attrahit, ut poſt ſuctionem ſanguis confertim erumpat. Proinde univerſalis ſanguinis evacuatio per hirudinem fit affixam venis majoribus, ut ſupra diximus. Revellunt autem in pluribus affectibus hirudines, ſi brachiis adhibeantur, venæ ſalvatellæ &c. Derivant verò à liene, meſereo & utero, ſimulque melancholiam evacuant, ſi venis hæmorrhoidalibus admoveantur, nam præ cæteris auxiliis putantur optimè melancholiam detrahere. Item venæ frontis affixæ à capite derivant. Verùm cuti aut parti admotæ, cui venæ amplæ non ſunt, eam potiſſimum exhauriunt, & à remotis partibus nihil alliciunt. Proinde cutis vitiis conveniunt, ut ſcabiei, lepræ &c.

De Scarificatione. Deinde Scarificatio cutis pro ratione loci, & prout magis minuſque alte ſcalpellus adigitur, magis aut minus copioſam ſanguinis detractionem facit: utilitatem autem interdum non minorem

præſtat

præſtat, quàm ipſa venæ ſectio: Evacuat enim non ſolum humorem parti inhærentem efficacius multo quàm phlebotomia, ſed etiam redundantiam à toto quodammodo. Item revellit & derivat, tutius quidem quàm phlebotomia: verùm ſegnius, tardiuſq; & citra minorem corporis commotionem, aut virium jactùram etiam in vigore morbi: licet in pueris tam vehemens auxilium ſit, quàm in grandioribus venæ ſectio. Utimur autem in tollenda plenitudine ſcarificatione brachiorum & crurum, cum cucurbitulis plerumq;, quando tutum non eſt venam ſecare. Ita Oribaſius, ſibi aliiſq; in peſte Aſiatica crus ſcarificavit, duaſq; libras ſanguinis fere detraxit, atque ob eam cauſam periculum vitavit. Nonnulli in talibus affectibus nates ſcarificant. Conducit potiſſimum ſcarificatio crurum in plenitudine à ſuppreſſione menſtruorum aut hæmorrhoidum. Revellit quoq; ſcarificatio & ad partes diſtantes ſervata rectitudine aut communione: veluti in inflammatione cruris dextri, ſcarificatio manus dextræ, aut cruris ſiniſtri. Item ab interioribus ad exteriora revellit, & ſimul deorſum movet ſcarificatio crurum. Derivat verò in ſuppreſſione menſtruorum ſcarificatio femoris aut ſurarum. At humorem parti inhærentem, qui aliis remediis non cedit, efficaciſſimè evacuat ſcarificatio partis affectæ, ut diximus. Proinde cutis fœditatibus convenit, item ſcirrhis inveteratis, inflammationibus, gangrænis, tumoribus peſtilentialibus, morſibus venenatorum &c. Verùm in ipſa ſcarificatione diſtinctio quædam adhibenda eſt; magnæ enim profundæq; ſcarificationes, multum evacuant, & è longinquo facilius trahunt, meliuſque duris corporibus craſſoq; ſanguini conveniunt; contra tenues & ſuperficiariæ. Semper autem ſcarificatio largius & è diſtantioribus penitio-

ribus partibus sanguinem evacuabit, si statim adhibeatur cucurbitula: attrahit enim cucurbitula potissimum cum multa flamma, pro sui magnitudine & forma, ut describit Gal. Avic. &c.

De cucurbitulis

Utimur autem scarificatione aut sine cucurbitulis, aut cum cucurbitulis: & vicissim cucurbitulis, aut siccis sine scarificatione, aut cum scarificatione. Scarificatione autem sine cucurbitulis utimur, ubi attractione magna opus non est, nec copiosa evacuatione, & potissimum in pueris & corporibus mollibus raris &c. Cucurbitulæ verò magnum usum præstant, non solum cum scarificatione, sed etiam siccæ sine scarificatione: utroq; enim modo evacuant, attrahunt, loco materiam movent, revellunt, alterant, dolores mitigant. Evacuant autem siccæ tantum insensibiliter, & flatuosos spiritus discutiunt, proinde colo intestino aut ventriculo propter flatus dolente, teste Galen. *12. Method.* cucurbitula magna cum multa flamma admota incantamenti instar juvat. Deinde sistit quoq; vomitum & singultum, ventriculo imposita: ac menses fluentes, mammis. Præterea cucurbitulæ destillationes in stomachum suspendunt: sanguinem attrahunt, & profluentem rursus sistunt, objectis partibus admotæ, sed ut monet Paulus cum scarificatione efficaciorem perspiratum præbent. Nam cum scarificatione sensibiliter sanguinem cæterosq; humores evacuant; & à remotioribus altioribusq; partibus eliciunt. Quare in nonnullis locum phlebotomiæ implent cucurbitulæ, cum scarificatione cruribus, natibus, aut brachiis admotæ. Revellunt etiam ad longissimas partes, & in febribus malignis ab internis ad externa humores evocant. Verùm authore Gal. purgatis inprimis corporibus utiles potissimum sunt, non plethoricis. Nam ubi tam cucurbitulis, quàm venæ sectione aut purgatione,

tione opus est; semper venæ sectio aut purgatio præcedat. Deinde initio inflammationis, parti affectæ nunquam admovendæ erunt, sed partibus distantibus laboranti in directum conjunctis, revulsionis causa. Ipsi verò parti affectæ aut vicinæ tum cucurbitulas admovere convenit, cum nihil amplius affluxerit, totumq; corpus exinanitum fuerit, ut inflammationis materia è loco moveatur, vel à parte nobili ad ignobilem transferatur, vel evacuatione sensibili aut insensibili amoliatur, vel ab interioribus ad exteriora trahatur, sed de his alisque legendus erit Oribasius *libr. 7. & 8.* & Paulus *lib. 6. cap. 11.* Celsus *lib. 2.* Avicen. *lib. 1. Fen. 4. Doct. 5.*

DE VICTUS RATIONE IN SANIS ET ÆGRIS, DEQVE differentiis & facultatibus alimentorum.

Caput XX.

QVæcunque adhibentur à Medico sive ad corpus humanum curandum, sive ad sanitatem conservandam, sub triplici genere comprehenduntur, diæta, medicamentis & cheirurgia; inter quæ omnium vetustissima est chirurgia, postrema exculta fuit victus ratio: nam ut testatur Plato *3. de Rep.* veteres Asclepiadæ nullâ factâ mentione victus, chirurgiâ & medicamentis utebantur, deinde reprehenduntur ab Hipp. Gnidii Medici, qui contenti medicamentis omitterent victus rationem, cujus ipse primus autor fuisse videtur, juxta Galen. attamen credibile non est veteres illos nullam

prorsus victus rationem habuisse, sed ab iis minus excultam fuisse; nam consideratio diætæ sanis necessaria est; deinde in omni curatione morborum, quia vires morborum medicatrices tuetur: quare sine idonea victus ratione nullus morbus curari poterit, at sine medicamentis & Chirurgiâ multi persanantur solâ diætâ: De diæta igitur seorsim nunc agemus.

Quid diæta communiter.

Ipsum autem vocabulum diætæ in eâdem significatione non semper sumitur: nam apud Aristotelem 3. *Polit.* diæta pro consilio judicum accipitur: verùm Hippocrati cæterisq; Medicis idem est, quod latinis victus ratio. Est autem diæta sive victus ratio, recta administratio, sive legitimus usus sex rerum non naturalium gratiâ sanitatis conservandæ & amissæ restaurandæ: sex illæ res non naturales sunt, sine quibus vitam ducere impossibile est, nimirum cibus, potus, aër, motus, quies, excreta, retenta, somnus, vigilia, animi pathemata; quæ ob id non naturales dicuntur, quia per se nec secundum, nec præter naturam humani corporis sunt, sed naturæ utiles aut noxiæ efficiuntur, pro ratione benè maléve utentium: nam illarum dextro usu & administratione sanitas cõservatur, morbiq; à naturâ facilius depelluntur; contra minus dextro usu sanitas corrumpitur, variiq; morbi excitantur & augentur.

Quid propriè diæta?

Verùm ab Hipp. 1. *Aph. & 6. Epid.* diæta in maxime propria & speciali significatione accipitur pro legitimâ alimentorum administratione gratia sanitatis.

De vero alimẽtorum usu.

Nos verò de victus ratione prout usum 6. rerum non naturalium comprehendit, agemus, initio facto à recta alimentorum administratione, quæ propriissimè diæta dicitur, cujus consideratio omnium latissimè patet, & cuius ad vitam conser-

vandam

vandam summa necessitas est: Nam substantia corporum animatorum duplicem transmutationem sustinet: quarum una omnibus mixtis communis est propter alterationem, ob contraria, ex quibus gignuntur elementa: altera verò est, quæ animatis propriè accidit, substantiæ fluor sive dissolutio, quam calor nativus continuò excitat & depascit: cum igitur tota moles substantiæ animatorum in assiduo fluxu sit, nisi loco ejus quod defluxit, alia similis specie substantia restituatur, necesse est corpora quàm citissimè desiccari & interire: quare omnibus animatis à natura insitæ sunt vires rei deficientis & desideratæ semper appetentes, id autem quod desideratur ad reparandum assiduum substantiæ defluxum, alimentum vocatur.

Alimentũ triplex

Verùm alimentum ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἓν dicitur: nam triplex Hippocrati est: unum futurum alimentum, quod ab ore in ventriculum excipitur: aliud quasi alimentum, nimirum sanguis in venis: tertium verè alimentum, quod appositum partibus agglutinatur & assimilatur: Verùm hoc loco per alimentum non id intelligitur, quod verè alimentum est, nec quasi alimentum, sed futurum alimentum, quod per os propriè assumitur, ex quo actione facultatis naturalis, primum in ventriculo chylus, deinde in venis sanguis, tandem in habitu corporis verum alimentum generatur, quo restauratur similis specie substantia illi quod defluxit.

Quid alimentum.

Igitur alimentum omne substantiæ corporis nostri simile esse debet, aut aptum, ut similem substantiæ speciem ei, quæ defluxit, reparare queat: nam alimenta ex 4. Elementis componuntur, & idcirco reficere possunt, quod à corpore nostro abscedit: Quare propriè alimentum erit, quod in substantiam corporis nostri convertitur, & à corpore

noſtro alteratur, non alterat; quo nomine à medicamentis diſtinguitur, ut ſupra cap. 4. hujus libri dictum eſt. Aſſumuntur autem virium reſtaurandarum gratia quæ comeduntur & bibuntur; verùm cibis, id eſt, alimentis, quæ comeduntur, quicquid ſubſtantiæ ſiccioris defluxit, imprimis reſtituimus, & famem explemus; potione verò ſive alimentis, quæ tantum bibuntur, quod humidioris ſubſtantiæ eſt: reficimus & ſitim reſtinguimus, & ciborum diſtributionem juvamus; ſorbitiones mediam naturam plerumq; obtinent; additur alimentis, à Gal. *1. de Sanit. tuend. c. 2.* reſpiratio, quæ aëris inſpiratione & exſpiratione perficitur, qua aëreæ igneæq; ſubſtantiæ modum & Symmetriam, ac arteriarum pulſum tuemur.

Materia alimentorum.

Materia alimentorum ſumitur potiſſimum ex animalibus & ſtirpibus: Ex animalibus nimirum terreſtribus, volatilibus & aquatilibus: Ex ſtirpibus, ut ex cerealibus, leguminibus, fructibus, oleribus, radicibus, ſeminibus, ſuccis, &c. de quorum omniũ facultatibus & præparationibus in ſpecie non eſt, hujus loci peculiarem tractationem inſtituere.

Differẽtia alimentorum.

Sanitatis autem ſtudioſos, ſi quid aliud, alimentorum omnium facultates, & facultatũ differentias noſſe oportet, quæ variæ ſunt: nam primum omne alimentum ſive cibus, potus, aut ſorbitio duplex eſt.

Alimenta ſimpliciter talia.

Aliud ſimpliciter tale, quod tantum viriũ reſtaurandarũ & tuendarũ gratia exhibetur, aut in ſubſtãtiam corporis convertitur, & nihil per ſe ad curationem confert, nec qualitate aliqua morbo, aut morbificæ cauſæ reſiſtit aut juvat, ut caro, aut juſcula pullorum gallinæ &c. Aliud medicinale, quod non tantum ſubſtantiã virium reſtituit, ſed ſimul etiam morbo, & cauſæ morbificæ reſiſtit, ut in febribus aqua hordei, juſcula pullorum gallinæ, alterata lactuca, endivia, ſucco citri, &c.

Quæ

Quæ alimenta medicamentosa dicuntur, sub quibus continentur victus, aut alimenta calefacientia, refrigerantia, attenuantia &c. item obsonia, quæ cum cibis assumuntur, ut gustum excitent; ac condimenta, quæ miscentur cibis, ut eorum vim excitent, ut sal, acetum, aromata; aut ut leniant & contemperent, ut butyrum, oleum, saccharum, &c. *Alimenta medicamentosa.*

Alimenta calefacientia sunt, cibi, potusq; conditi aromatibus, aut medicamentis calefacientibus, vinum flavum aut fulvum, cerevisia potens, cœpa, alliũ, raphanus, sinapi, aliaq; acria; caseus vetus &c. *Alimenta calefacientia.*

Refrigerantia, panis aut ptisana ex hordeo, milium, panicum, lactuca, portulaca, endivia, &c. acida & austera omnia, ut acetum, vinum austerum aut album dilutum, cerevisia tenuis, aqua hordei, carnes aut pisces decocti cum lactuca, portulaca, limonibus, &c. *Refrigerantia.*

Humectant hordei ptisana, & panes, lactuca, malva, pepones, cucumeres, fabæ virides &c. *Humectantia.*

Exiccant panis biscoctus præcipuè conditus semine anisi, fœniculi &c. lens, brassica, sinapi, nasturtium, &c. assata & fricta siccius alimentum præbent; elixa in aqua magis humidum. *Siccãtia.*

Alimenta attenuantia, quæ succum tenuem præbent, sunt panes triticei fermentati in clibano cocti, deinde loti aut biscocti, ptisana, panesq; ex hordeo, pisces saxatiles, & qui mollem carnem habent, conditi aceto mulso aut attenuantibus medicamentis, aviculæ montanæ, pulli columbarum, gallinarum, turdi, perdices non recens mactatæ, sed ad unum aut alterum diem servatæ, aromata, olera, radices & semina attenuandi vi prædita, ut piper, zinziber, garyophylli, sinapi, nasturtium, allium, cœpæ, porrum, hyssopus, origanum, *Attenuantia.*

menta, satureia, apium, petroselinum, beta, anethum, semina calida majora & minora, rutæ, &c. Cappares sale conditi, amygdalæ amaræ, herbæ quæ virides exhibentur, alimenti vim aliquam habent; cætera ferè tantum condimenti aut medicamenti: his adduntur vinum album tenue, hydromel, acetum, serum lactis &c. hæc humores crassos glutinosos incidunt & attenuant, & obstructiones vasorum expediunt, sed frequens eorum usus sanguinem serosum aut biliosum, & tractu temporis atrabilariũ reddit: quæ vero valide exiccãt sensim humores incrassãt & tophaceos renũ calculos gignũt.

Incrassantia. Alimenta incrassantia, quæ crassum viscidum succum gignũt, sunt, primùm panes triticei aut secalini, non fermentati, aut non probè cocti, placentæ ex similagine sine fermento, triticum integrum elixum, aut secale, milium, oriza, lentes, fabæ frictæ, caseus, & lac caseosum, ova dura, aut in sartagine fricta, caro porcina, bubula, cervina, caprina, præcipuè animalium senescẽtium, & non castratorum, carnes fumo induratæ, renes, jecur, cor, lingua, mammæ, tendines, partesq; nervosæ, pisces testacei, cetacei ac crustacei, anguillæ, fungi, rapæ crudæ, castaneæ, dactyli, vina nigra, deinde rubra crassa, aut dulcia crassa, mustum &c. verùm ex alimentis crassi succi, alia tantum crassi sunt, ut lentes, alia simul crassi & viscidi, ut caro testaceorum, caro porcina, tendines, partesque nerveæ &c. horum frequens usus præter ætatem & consuetudinem in iis, qui angustas venas obtinent, & se plurimum exercere somnumq; pro libitu capere nequeunt; obstructiones jecoris venarumque meseraicarum, renumq; pariunt &c.

Alimenta media natura. Tutissima itaq; sunt illa alimenta, quæ mediæ naturæ sunt inter attenuantia, & incrassantia, veluti panis triticeus fermentatus, beneq; in clibano coctus,

ctus, caro columbarum, gallinarum, phasiandrum, vitulina, hœdina, caro animalium castratorum, juniorum potissimum, quæ carnem nec duram nec viscosam habent: pisces saxatiles, littorales & pelasgici, qui viscositatem aut graveolentiam non repræsentant, ova recentia tremula, vina fulva dulcia: Ex fructibus ficus, uvæ passæ dulces, pistacia, amygdalæ dulces, nuces juglandes, pisa, avena &c. Alimenta in pari copia considerata secundum substantiam sive vim & efficaciam ad nutriendum, vel multi alimenti sunt, quæ validè nutriunt, plurimumque sanguinis gignunt, vel pauci, vel pravi; Vel medioeris alimenti, quæ medio modo se habent.

Alimenta multum nutrietia.

Multum autem nutriunt præcipuè, quæ substantiæ solidioris crassi boniq; succi sunt, si probè conficiantur, ut panes siliginei ex purissima farinæ optimi tritici parte; deinde similaginei ex minus pura parte, aut non laudatissimi tritici fermentati benè cocti, panes quoq; secalini, carnes animalium castratorum boni habitus, primùm porci domestici mediæ ætatis, deinde bubula & junioris vervecis, alæ anserum, ventres volucrum, testes gallinarum, ova gallinarum recentia, paulò duriora præcipuè vitella, caseus, lac caseosum. Semper autem terrestria, volucrum generi comparata, magis alunt, & caro animalium augescentium, magis semper quàm senio confectorum; & quæ boni habitus & obœsiora sunt magis quam graciliora & macilenta duræ nervosæq; carnis. Ex piscibus plurimum alunt testacea & crustacea, ut cancri, astaci &c. item limaces, cochleæ, ex fructibus potissimùm castaneæ & nuces pineæ &c. vina dulcia crassa, aut rubra crassaq;, cerevisia potens.

Parùm nutrietia.

Pauci nutrimenti sunt, parumq; nutriunt, sorbitiones primùm tenuiores ex jure pulli, hordei cremore, seu ptisana non colata, pane loto, hinc

panes hordeacei aut triticei loti, aut furfuracei, olera ferè omnia, & fructus exceptis paucis; magis adhuc nutriunt pisces boni odoris & saporis, qui vel mollem carnem habent, ut aselli, funduli, vel mollem friabilem, quales sunt saxatiles, ut perca, turdus &c. aviculæ montanæ, pulli gallinacei, columbini; extremæ animalium partes præcipuè nervosæ, ventriculus, intestina, aures, adeps, sed hæc nō boni succi sunt; item vinum albū tenue, seu aquosum, cerevisia tenuis, aqua hordei &c.

Mediocriter nutrientia. Mediocriter nutriunt, quæ nec crassi nec tenuis succi sunt, ut panis triticeus, αὐτόπυρος ex toto tritico, aut cui parum furfuris ademptum est, præcipuè fermentatus benè coctus; sorbitiones ex avena excorticata, ova recentia sorbilia: lac animalium bonæ habitudinis, mediæ consistentiæ: ex piscibus lucius, carpio, rhombus, passer &c. carnes gallinarum, columbarum, phasianorum, gallinarum indicarum &c. caro vitulina, hœdina, agnina; ex fructibus ficus, & uvæ passæ dulces; ex leguminibus fabæ & pisa &c. sed hæc carnem laxam efficiunt; ex plantis potissimum lactuca, spinachia, endivia sativa, tandem vinum fulvum, cerevisia media, melicratum &c.

Alimenta facilis concoctionis. Deinde alimenta, quatenus alterantur in corpore, facilis concoctionis aut difficilis sunt, itemq; facilè in ventriculo corrumpuntur, aut non corrumpuntur: Præterea boni aut mali succi sunt. Facilis concoctionis sunt panes triticei, cum justa fermenti & salis quantitate, benè cocti potissimū loti, ova tremula, sorbitiones ex hordeaceo pane loto, cum jure pulli; ex oleribus præcipuè lactuca, spinachia, asparagi, cucurbita cocta si non corrumpatur in ventriculo; pisces petrosi mollis & friabilis carnis, caro agnina, vitulina, hedina, alæ anserū saginatorum, caro volucrum magis quàm animalium terre-

terrestrium, & omnium augescentium magis quàm senescentium, & animalium in siccis locis degentium magis quàm in humidis paludosis; & vina dulcia magis, quàm austera.

Difficulter concoquuntur panis non fermentatus aut non benè coctus, farina crassior, & panes ex ea facti, triticum elixum, itria, caro hircina, cervina, arietina, bubula, porcina præcipuè, animalium annosorum & gracilium, anserina, exceptis alis, & omnium volucrium, quæ duram aut viscosam carnem obtinent, animalium terrestrium venter, intestina jecur renes partesq; nervosæ & exangues, pisces cetacei, testacei & crustacei, qui durā viscosam carnē habēt, caseus vetus, lac acidū, ova dura, aut in sartagine fricta, pisces carnesq; salsæ aut fumo induratæ, fabæ frictæ, milium, panicum, oriza, lupini, lentes, pyra, rapa crudior, castanea, carus, pastinaca omniaque ferè olera excepta lactuca &c. vinum novum crassum, aut austerum, mustum, cerevisia recens, aut non benè defecata aut cocta. *Alimenta difficilis concoctionis.*

Facilè corrumpuntur fructus horarii ut pepones, melones, cucurbitæ, mora, fraga, cerasa, mala persica &c: Si non probè concoquantur, nec citò alvum subierint, diuq; in ventriculo retenta fuerint, proinde talia omnia in prima mensa præ aliis cibis edere oportet. Difficulter corrumpuntur pisces testacei, ac crustacei, ut chamulæ cancri, gammari &c. pyra, cydonia, castaneæ, & cœtera, quæ in ultima mensa post alios cibos dantur, & astringentium virium sunt, crassiorumq; partium. *Alimenta quæ facilè vel difficilè corrūpuntur.*

Boni succi sunt, & in bonū sanguinē permutātur panes siliginei aut similaginei, deinde autopyri, hinc ex optimi secalis puriore farina, benè fermentati, saliti coctiq; in clibano, ptisana hordei, ova recentia, carnes quadrupedum præcipuè castratorum & augescentium, si probè concoquantur volucres & pi- *Alimenta boni succi*

sces

sces ferè omnes, qui mollem & friabilem carnem habent (exceptis iis, qui in paludibus, fluminibus limosis degunt, malè olent insuavisq; saporis & mucosi sunt, facileq; putrescunt) potissimùm pisces saxatiles, perca, merula, item lucius, asellus, rhombus, passer &c. lac animalium bonæ habitudinis, nuces pineæ, pistaceæ, amygdalæ dulces, castaneæ, uvæ passæ dulces, caricæ; verùm caricæ, si copiosè sumantur, carnem laxam gignunt, sæpeque pediculos.

Alimenta pravi succi.

In pravum succum convertuntur panes ex seminibus corruptis, ac ex lolio, oryza, panico, item panes subcineritii, lens, cicer &c. fructus horæi & quæcunq; citò in ventriculo corrumpuntur. Olera ferè omnia excepta lactuca, quæ in medio est boni maliq; succi, deinde endivia, spinachia, malva, atriplex, portulaca; mali quoq; succi, sunt radices oleraceæ exceptis radicibus rapi, cari; pessimi, olera sylvestria. Item carnes animalium non castratorum & seniorum. In genere animalium caro porcina, si benè concoquatur, multum boni succi præbet, bubula magis crassum, agnina humidum pituitosum; ovilla excrementitium; his omnibus deteriores sunt caprinæ, pessima hircina, deinde arietina, taurina. Est autem cervina & leporina crassi, sed non satis probi succi, ferè ut bubula; melioris tamen à Galeno leporina existimatur, sed paucioris nutrimenti ferè, ut caro cuniculi sylvestris. At vulpium, luporum, & similium ferarum, quæ ex carnibus aliorum animalium vivunt, planè damnatur. Mali succi sunt testes exceptis gallinaceorum, spinalis medulla, partes nervosæ & exangues, adeps &c. Deinde ova in sartagine fricta, casei veteres, fungi, pisces cetacei, & qui locis palustribus immundis, & sordidis degunt.

Peculiariter succi excrementitii prorsus sunt,

seu multos excrementitios humores minimum boni sanguinis gignunt panes furfuracei, fabæ virides, olera, viscera animalium ferè omnia: ac fructus horæi, caro agni, porcelli, ac omnium propè animalium recens natorum, aut in otio degentium, carnes anserinæ, exceptis alis, anatinæ, omniumque volucrum palustrium, ac etiam piscium, qui in limo, aquis cœnosis, & putridis degunt, quales utplurimum sunt anguillæ, carpiones, item pisces cetacei.

Alimenta quæ superfluitatib. abundāt.

Succos crudos simul & viscidos gignunt panes non fermentati, nec probè cocti, placentæ in sartagine frictæ, tendines partesq; nerveæ animalium, intestina, ventriculi, caro testaceorum, quæ duræ viscosæ sunt substantiæ, pisces cetacei, casei, dactyli &c.

Alimenta quæ crassos crudos succos gignunt.

Humorem absolutè pituitosum procreant, nerveæ animalium partes, cerebrum, medulla spinæ, pulmo, caro agnina, ac vituli recenter nati, aut paucorum dierum, poma immatura, pisces testacei mollis carnis, fungi, lac acidum &c.

Quæ pituitosos humores generant.

In melancholicum succum facilè permutantur panes furfuracei & subcineritii, & qui ex corruptis aut viscosis seminibus, typha, lolio &c. conficiuntur, lentes, vicia, ciceres, brassica, caseus antiquus, cochleæ, pisces cetacei, carnes bubulæ, leporinæ, cervinæ, caprinæ, hircinæ, taurinæ, vulpinæ, item carnes omnium animalium non castratorum & seniorum, lienes quadrupedū, pisces carnesq; pleræq; fumo induratæ ac salsæ, vina crassa nigra &c.

Alimenta melancholicos humores gignentia.

Succum biliosum pariunt, siliquæ, poma dulcia, cynara, cynaræq; succus, mel omniaq; dulcia tenuium partium in naturis calidis, aromata calidiora, aqua mulsa, vinum dulce &c. prorsus corruptos humores efficiunt boleti, allium, cæpa, porrū, raphanus, ova in sartagine fricta &c.

Alimenta biliosa.

Flatus

Alimenta flatus gignentia. Flatus aut flatulentos humores, pleraq; legumina præcipuè fabæ, lupini, milium, item rapæ, napi, pastinacæ crudiores, poma dulcia, dactyli recentes, ficus, itria & placentæ ex polenta, mel non probè coctum, lac in ventriculo frigido, mustum, vina dulcia & austera, cerevisia potissimùm recens, non benè cocta aut defecata &c.

Alvũ subducentia. Alvum subducunt panes furfuracei, jus decocti brassicæ aut lentis cum butyro, nam corpus ipsorũ alvum cohibet; eodem modo jus veteris galli & testaceorum, lac serosum, ipsumq; serum addito melle vel saccharo vel modico salis, item malva, atriplex beta, uvæ dulces sine acinis, ficus, nuces recentes ac pruna dulcia recentia, aut sicca macerata in aqua mulsa: ipsa aqua mulsa, parum aut nihil cocta, mel non coctum, mustum, vinum dulce &c.

Alvum sistentia. Sistunt alvum panes similaginei non fermentati, nec benè cocti, oriza, milium, panicum, caro crustaceorum, ac testaceorum deposito humore salso, lens & brassica bis cocta, carnes leporinæ, caseus, lac caseosum aut excoctum, ova dura aut fricta, vina austera &c. Item, quæ vi astringendi prædita, ut pyra cydonia, pruna sylvestria, palmulæ austeræ, si ante alios cibos sumantur, alvum cohibent, si post, os ventriculi roborant, & comprimendo alvum laxant.

Alimenta quæ difficulter tardeq; distribuuntur. Difficulter in corpus distribuuntur panes purè siliginei, itria, & quæ ex farina sive fermento saccharo, melle & simil. parantur, fabæ frictæ, lens detracto cortice, pisa, lupini, castaneæ, siliquæ, pyra immatura &c. triticum elixum, carnes fumo induratæ, duræ nervosæq;, caseus vetus, jecur, cor, carnes assæ aut frictæ, magis quã elixæ &c. Ex his simplicibus alimentorum facultatibus compositæ intelliguntur & judicantur. Nam ex alimentis tam boni, quam mali succi, quædam tenuem, quædã crassum

succum

succum præstant; & quædam multum, quædam parum nutriunt. Boni tenuis & multi alimenti sunt ova tremula, succus expressus ex decoctis carnibus gallinæ &c. Boni tenuis pauci alimenti, cremor hordei, jus pulli, vinum album tenue &c. Boni crassi multi, caro suilla, cancrorum, ova gallinacia recentia ad duritiem elixa &c. Boni crassi pauci, vinum nigrum: at mali crassi & multi, caro cervina, caprina &c. mali crassi pauci caro salita: mali tenuis pauci, raphanus, omniaq; ferè olera, allium &c. In genere, quæ crassæ sunt substantiæ magis nutriunt, & substantiam solidarum reficiunt, liquida verò spirituum refectioni subitæq; virium dejectioni magis inserviunt.

Indicatio victum.

Cum autem finis nutritionis sit virium substantiam reparare & conservare, proinde victus ratio, quatenus legitimum alimentorum usum præscribit, una indicatio per se erit, unumq; proprium indicans, virium substantiam conservare; ex accidente verò in ægris, morbo aut causæ morbificæ resistere, sive ita vires morborum medicatrices debitis alimentis tueri, ut morbus non augeatur: nam virium gratiâ nutrimus, sive legitimum alimentorum usum præscribimus, non morbi, nisi ex accidente; quatenus permittit ac prohibet, quod vires insinuant, ut infrà apparebit.

Quinq; in victus ratione consideranda.

Considerantur autem in legitima victus ratione quinq;: Primo, substantia & forma alimentorũ. 2. quantitas. 3. qualitas. 4. tempus & occasio. 5. modus exhibendi, quæ omnia metiri debemus in sanis penes virtutem & exigentiam virium; in ægris penes collationem virtutis ad morbum: nam ut monet Hipp. 9. *Aph.* 1. conjectari oportet, an æger cum eo victu sufficiat perdurare ad vigorem usque morbi, an prius deficiat, & cum tali victu succumbat & hebescat morbus.

De Debi-

DE DEBITA FORMA ET QVANTITATE VICTUS IN ſanis & ægris.

CAPUT XXI.

1. *Forma victus.*

SUbſtantia aut forma victus conſideratur ſecundum alimentorum vim & efficaciam majorem aut minorem ad corpus nutriendum, & propriè eſt ea victus ratio, qua vires conſervantur, juxta diverſam ipſarum virium rationem. Subſtantiæ autem virium, quæ alimentis reficitur, triplex ratio eſt: nam ſtudemus in nutritione, vel plus ſubſtantiæ apponere, quàm deperditum eſt, atq; ita vires corporis augere; vel tantum apponere, quantum deperditum eſt, & vires in eodem ſtatu conſervare: vel minus apponere, atq; ita ſubſtantiam virium imminuere; quare victus forma triplex primum erit; una augens ſive exactè plena, craſſaq; victus ratio, alimentis pleniſſimè nutrientibus, quæ ſubſtantiam virium adauget, & plus apponit, quàm deperditum eſt: alia media ſimpliciter plena, quæ tantam præſtat refectionem, quanta eſt diſſipatio: tertia tenuis victus, quæ minorem præſtat refectionem, quanta eſt ſatis pro eo reſtaurando, quod amiſſum eſt: atq; eo reſpectu victus minuens vocatur; Tenuis verò victus, juxta Gal. *comm. 4. Aph. 1.* in tenuem & tenuiſſimum dividitur, quorum uterq;, vel ſimpliciter talis eſt, vel exquiſitè.

Sex formæ vict⁹.

Quare in univerſum ſex erunt victus formæ, nimirum exactè plena, ſimpliciter plena, tenuis ſimpliciter, tenuis exquiſitè, tenuiſſima ſimpliciter, tenuiſſima exquiſitè: quare ſingulæ ſuam debitam alimentorum adminiſtrationem requirunt: Hipp. *lib. de*

lib. de Prisca medicina, victus formam ratione alimentorum dividit in ea, quæ comeduntur, quæ sorbentur, & quæ bibuntur; quibus quartam addit Gal. ex Hipp. *comm. in lib. 1. Aph.* nimirum omnimodam abstinentiam. Sub victu per ea quæ comeduntur contineri poterit exactè & simpliciter plena victus forma: Per ea quæ sorbentur victus tenuis simpliciter & exquisitè: nam sorbitiones duplices sunt: aliæ tenuiores, qualis est cremor aut succus hordei, jus pulli cum modico panis: aliæ crassæ, ut ptisana hordei non colata, panatella crassior ex jure pulli &c. Victus simpliciter tenuis per crassas sorbitiones: victus exactè tenuis per tenues sorbitiones perficitur. Sub victu, per ea, quæ bibuntur, ut sunt aqua hordei, aqua panata, jus prunorum, aqua mulsa &c. simpliciter tenuissimus victus continetur; sub inediâ extremè tenuissimus. Verùm quia hoc tempore & in his locis septentrionalibus potissimum homines pleniori & frequentiori victu utuntur, quàm veteres illi medici, ac ob consuetudinem has victuum materias difficilimè ferũt: Proinde pro extrema tenuissima diæta loco inediæ cogimur aquam hordei, aut melicraton exhibere, & aliquando ad sorbitiones tenues transire, ac pro simpliciter tenui loco crassarum sorbitionum, ea, quæ comeduntur, & non multum nutriunt, ut pisces saxatiles, aviculas montanas, interdum carnes pullorum, gallinæ, columbæ, turturis, aut pro consuetudine aliquid validioris alimẽti præbere, ut carnem vitulinam &c. Alimenta considerata secundum efficaciam & vim, quam habent ad nutriendum, triplicia sunt, ut in præcedente capite dictum est; alia enim plurimum alimenti corpori præbent, seu multum nutriunt; alia parum; cætera medio modo se habent: igitur victus exactè plenus fit alimentis plurimum nutrientibus, simpliciter plenus medio-

Alimenta per quæ perficiuntur?

criter nutrientibus; tenuis communiter, parum nutrientibus, cujus quatuor species sunt, ut jam dictum. In quovis genere eligenda sunt semper alimenta boni succi facilis cococtionis & digestionis.

Ratio constituendi formã vict⁹ primũ in sanis.

Ut autem idonea victus forma constituatur tam in sanis, quàm in ægris, vires primum intueri oportet: nam vires alimentum propriè indicant, & non tantùm genus, formamq; alimenti, sed etiam quantitatẽ & modũ: verùm non eodẽ modo in sanis ut in ægris, aut neutris: sed in sanis simpliciter pro modo virium, in ægris curandis, aut in sanis, qui ad morbos inclinant, habita ratione morbi, aut caussæ morbificæ. Nã in sanis potissimũ decet vires roburq; corporis augere exactè plena, aut in eodem statu conservare media victus forma. Deinde quo sanorum vires majores sunt, eo plenius nutrire, & copiosius nutrimentum exhibere convenit; quo minores, eo minus plenè; quare juvenes, qui plurimum habent caloris nativi, juxta Hipp. *14. Aph. 1.* plurimo egent alimento, plenioriq; victus forma, alioquin corpus absumitur; senes veró contrà. Demonstrant autem vires, ætas, temperamentum, corporis habitus, consuetudo, vitæ institutio, aër ambiens, ut infra de quantitate deinceps dicemus. Nam plena crassaq; victus ratio debetur sanis, benè valentibus, assuetis, robustis, qui exercitiis dediti sunt, benèq; dormiunt, temporibus primum frigidis, deinde temperatis.

Ratio constituendi formam victus in neutris primum, deinde in ægris.

Verùm in iis, qui ad morbos inclinant, aut in ægris, ut forma victus constituatur, vires oportet cum morbo & caussis morbificis conferre, & videndum, an id permittat & prohibeat morbus, aut morbifica caussa, quod vires insinuant, veluti pro sanitate conservanda in sanis, non benè valentibus rarissimè & non nisi post evacuationes vires debilitantes, licet vires corporis pleniori victu augere, sed

ſed aut in eodem ſtatu conſervare, aut minus exhibere, tenuioriq; victus ratione uti, quàm vires inſinuant, potiſſimum in diſpoſitione plethorica aut cacochymica, aut in iis, qui cruditatibus infeſtantur, & non benè concoquunt, nec conſueto modo dormiunt, aut à ſolitis exercitiis deſiſtunt. Similiter in ægris rariſſimè morbus permittit ſubſtantiam corporis majorem reddere, quàm accepimus pleniusq; nutrire, ſed aut in eodem ſtatu vires conſervare media victus forma, ut in morbis chronicis, aut nonnihil debilitatas tueri ad ſtatum uſq;, tenui vict⁹ ratione, ut in morbis acutis; nam in morbis pleriſq;, ſi tãtum exhiberemus, quãtum vires inſinuant, diſtraheretur natura à concoctione materiæ morbificæ, & pugna cum morbo, & cauſis morbificis, ſimulq; augeretur morbus, & cauſæ morbificæ, nimirum humorum cruditas, plethora, cacochymia, & eo magis copia alimentorum diſtraheretur, quo acutior eſt morbus, & humorib⁹ concoquendis magis incumbit, ſive quo magis morbo reſiſtit, aut major eſt pugna naturæ & morbi. Quare in ægris victus formam indicant vires pro cõſtitutione & modo morbi, quæ conſtitutio intelligenda eſt ſecundum diſpoſitionem, quoad ſymptomata, & prout morbus tardius aut velocius movetur cum magnis ſymptomatibus, an acutus, peracutus, aut chronicus: nam quò acutior morbus eſt, celeriúſve movetur, & ſymptomata magis vigent, eò tenuiori diæta utendũ erit; quò minus acutus, eò pleniori, ut natura diuturnæ obeũdæ concoctioni ſufficiat, & non planè ſuccumbat; cum enim in peracutis citò futurus ſit vigor, & ſymptomata vehementiſſimè urgeãt, ut neceſſe ſit in pugna aut naturam ſuccumbere, aut morbum; laborandũ erit, ut dum natura tantã vim patitur, pleniori victu à pugna nullo modo diſtrahatur, ſed omnibus virib⁹ reſiſtat, & concoctioni materiæ morbificæ incũbat.

Victus forma in singulis morbis.

Proinde in morbis extremè acutis, qui intra 4. diem judicantur, exactè tenuissimus victus requiritur: in simpliciter peracutis, qui intra 7. desinũt, simpliciter tenuissimus: in exquisitè acutis, qui intra 14. exactè tenuis: in simpliciter acutis, qui intra 20. aut *21.* terminantur, simpliciter tenuis victus: in morbis chronicis pro longitudine, plenior victus ratio convenit, tribuendo semper aliquid, non solùm ætati & temperamento, sed etiam consuetudini, tempore anni, regioni & similibus. Nam norma victus in ægris est status morbi, quo tempore gravissima symptomata sæviũt, & error maximus in victus ratione committitur: igitur in victus ratione constituenda semper oculos ad statum dirigere oportet, & conjicere, an cum tali victus formâ vires ægri ad summum vigorem perdurare queant, an prius deficiant, ut statim tenuiorem victum corrigamus, atq; ita unum oculum ad vires, alterum ad morbum dirigere, ut utriusq; vi perspectâ, eam victus formam constituamus, quæ vires conservet, & morbum non augeat. Verùm in his oportet non solum vires præsentes considerare, & potissimum vitales ex pulsu, sed etiam imminentes sive futuras ex temperamento, ætate, consuetudine, inediæ facili aut difficili tolerantia, sanguinis tenuitate & paucitate, & similibus: nam ætas puerilis, habitus rarus, laxus, temperatura calida, sanguinis tenuitas & paucitas, consuetudo multi alimenti, plenius quàm pro morbi ratione conveniat, præbere cogunt: accedit his immodica evacuatio, vigiliæ, morsus orificii ventriculi, lumbrici & similia, quæ vires vehementer dissolvunt. Igitur cum propter ea, quæ vires debilitant & exsolvunt, dubitamus, an æger ad statum cum tali victu perdurare queat; ab ea recedemus ad magis plenam victus formam, cum virium prima sit dignitas, & scopus in victus ratione viri-

ne, virium defectui occurrere. Debilitas autem virium dupliciter accidit: uno ob virium oppressionem, ob morbi aut symptomatum vehementiam: alio ob dissolutionem substantiæ virium ex utilis alimenti defectu. Si debilitas virium oriatur propter oppressionem ob morbi aut symptomatum vehementiam, humorum cruditatem, copiam &c. victus plenior concedendus non est, sed potius tenuior: sin ob defectum substantiæ virium, ex utilis alimenti defectu, victus augendus erit.

Constat autem substantia corporis nostri immediatè triplici substantiâ, spirituosâ nimirum, carnosâ & solidâ, quarum singulæ per sui similia restaurationem insinuant: igitur ubi virtus incipit deficere ex defectu spirituum, quod confertim accidere solet, sui refectionem indicat per respirationem, transspirationem, & per eum, qui ex sanguine transmittitur vaporē: sed ut vapor utilis transmittatur, refectio fieri debet per alimentũ spirituosum, id est, tenue, aëreum, humidum, qualia sunt liquida reficientia, ut vinum, jura reficientia cum aqua cinamomi & similibus: si ratione substantiæ solidæ virtus deficiat, ut in phthisicis, indicant custodiam per nutrimentum solidum, ut caro caponis, vituli, cancrorum, morsulæ ex pineis, pistaceis, amygdalis & similibus: sin ratione carnosæ substantiæ, per nutrimentum, quod in medio humidorum & solidorum corporum est, pro modo affectus, & prout morbus magis minusvé urgeat, celeriusq; moveatur. Nam in victu ægrorum constituendo conferendæ sunt vires cum morbo, & observandum, utrum morbus an vires magis urgeant, ut ei, quod maximè urgeat, primùm occurramus, altero non neglecto.

Tria refectione indigent, & alimenta reficiẽtia triplicia sunt.

Virium defectus alimentum indicat, & quò

Modus cōstituendi formā victus in ægris ex collatione virium ægri cū morbo.

debiliores ex defectu boni alimenti, eo magis urgent, sive majorem refectionem requirunt: morbus quidem alimentum non indicat, sed parvus id permittit, quod vires præscribunt, magnus prohibet, & eò magis, quò magis urget, & vehementius sævit: quare in ægris virtute maximè urgente ob virium dissolutionem, sed morbo non urgente, confestim plenior victus ratio convenit, quò vires deficientes refici queant: contra virtute non urgente, morbo vehementissimè urgente, ut in exquisitè peracutis, victus exactè tenuissimus: at nec morbo, nec virtute urgente, ut si morbus parvus sit, & vires validæ, media victus forma; morbo & virtute mediocriter urgente, victus simpliciter tenuis: morbo mediocriter urgente, virtute non urgente, victus exquisitè tenuis: morbo vehementissimè urgente, virtute paululum, victus simpliciter tenuissimus: eadem in cæteris ratio. Sed in his omnibus declinare oportet potius ad excessum quàm defectum, quia virium est præcipua dignitas, & ægri defectum gravius ferunt, potissimum in principio & augmento. Status autem morbi à Gal. tripliciter sumitur: 1. *in libris Crisium*, quoad concoctiones, nam in statu viget concoctio, quo tempore potissimum fiunt crises, in principio omnia crudiora sunt: Deinde *libro de morborum temporibus*, quoad dispositionem affectus, ut quando inflammatio distinguitur secundum magnitudinis incrementū: Tertiò *comm. in 1. Aph.* quoad symptomata, & symptomatum sævitiā.

A quo statu sumenda sit victꝰ forma.

Verùm status si sumatur pro materiæ morbificæ concoctione, quia nullum certum definitum tempus habet, ob materiæ diversitatem & virium inæqualitatem, ac varium motum in morbis, ab eo non poterit sumi mensura victus: eadem ratio est, si status pro crisi sumatur: Nec etiam à statu, quoad affectus dispositionem sumi poterit victus forma: nam

nam dispositio per se nullum præbet indicium, nisi quatenus actiones lædat; relinquitur igitur, quod victus norma sumenda potissimum sit à statu, quoad symptomatum sævitiam, quo tempore maximè sævit morbus, & id prohibet, quod vires insinuant: circa principia enim & finem, teste Hipp. & Gal. omnia imbecilliora sunt; circa statum symptomata maximè vigent, quo verò tempore maxima vis morbi est, victu tenuissimo utendum erit: verùm cum statu quoad symptomata utile erit conjungere considerationem concoctionum & dispositionum morbi, ut factâ ex omnibus collatione facilius certiusque queamus, debitam victus formam præscribere.

Triplex ratio morborũ quoad symptomata.

Status autem quoad symptomatum sævitiam accidit non solum, quando vigent concoctiones, sed etiam in principio, quando materia cruda & copiosa est, ac etiam in progressu morbi, quando incipit concoctio: nam ut Hipp. *lib. 1. Epid. sect. 3.* morborum triplex est ratio, quoad symptomata: quidam statim vigent, id est, cum gravissimis symptomatibus incipiunt, qui deinde paulò post incipiente concoctione minuuntur, quod accidit in pleuritide & peripneumoniâ, & plerisq; inflammationibus nervosarum partium, in febribus nonnullis tertianis &c. ob summam materiæ copiam, cruditatem, crassitiem, acrimoniam &c. In initio morbi, quæ incipiente concoctione paulò post mitescunt: veluti in pleuritide & peripneumoniâ, dolores sensim desinunt, ubi sputa apparere, & aliquid effatu dignum expurgare cœperint: nec alia est causa, quod mors in principio accessionum interdum accidat, ut testatur *Gal. 3. de Crisib. c. 9.* mors verò in deteriori parte paroxysmi evenire solet.

1. Morbi cum gravissimis sympt. incipientes qui sensim minuuntur.

Deinde alii morbi contra leniter incipiunt,

2. Morbi, quibus symptomata paulatim augẽtur ad crisin usq;.

paulatim augentur, aut sub, ac in crisi maximè vigent, nimirum quorum materia ad unam criticam excretionem reservatur, ut pleræq; febres cõtinuæ; unde quo tempore complentur concoctiones, maximè vigent symptomata, tum ob materiæ putredinem, tum ob maximum certamen naturæ cum morbo.

3. Morbi, quibus symptomata sese remittũt ante crisin.

Tertiò aliqui morbi mediam naturam habent, leniter incipiũt, augentur, ut ubi ad vigorẽ symptomata devenerint, rursus ante crisin paulatim sese remittunt; quod evenire consuevit in morbis, ubi mali humores cum bonis commixti sunt, ex commotione humorum: nam in progressu sæpe vi morbi concitatis humoribus vehementissima symptomata oriuntur, quæ circa crisin sedantur aut mitigantur.

In singulis horũ morborũ, quomodo victus forma institui debeat?

Cum autem authore Hipp. *Aph. 8. lib. 1.* tenuissimo victu utendum semper sit eo tempore, quo morbi maxima vis est, igitur in morbis, qui cum vehementissimis symptomatibus incipiunt, quæ postea sese remittunt, victus statim in initio tenuissimus esse debet, & remissis symptomatibus nonnihil augendus, ut vires reficiantur, & concoctio melius procedat: contra in morbis, quorum materia ad unam criticam excretionem reservatur, aut qui circa crisin maximè sæviunt: nam in principiis alere convenit, in, aut circa statum parcius multò. At quando in progressu sævit morbus, & circa crisin symptomata sese nonnihil remittunt, in principio plenius: in progressu, ubi sæviunt symptomata, tenuissimè: circa crisin, medio modo ægri alendi sunt.

2. De quãtitate alimenti.

Secundo, quantitas alimenti in victus ratione sæpe sumitur pro forma victus, sive efficacia alimẽti majori aut minori ad nutriendum: propriè pro copiâ

copiâ majori vel minori alimenti cujuscunq; formæ; non rarò pro formâ victus & copiâ.

Norma autem quantitatis propriè dictæ est virium robur, in sanis absolutè. In ægris, prout permittit aut prohibet morbus & morbificâ caussa: semper enim in sanis, quo virtus robustior, & vis caloris nativi major, non solum plenior victus, sed etiam major ciborum copia exhibenda erit. *Norma quãtitatis*

Æstimatur virium robur ex ætate, temperamento, habitu corporis, consuetudine, vitæ instituto, aëris constitutione, tempore anni, regione &c. Nam qui crescunt, ut pueri & adolescentes, plurimum habent calidi innati, & corporis habitum rarum, ideo plurimo egent alimento, & potissimum, qui natura vividiores sunt, alioqui corpus absumitur: senibus contra parum caloris nativi inest, ideo inediam facilè sustinent, & paucis fomentis indigent: à multis enim calor nativus obruitur. Qui mediæ ætatis sunt inter senes, & eos, qui crescunt, medio modo se habent, & quò magis ad ætatem senilem, eò minori; quò ad juvenilem, eò majori alimentorum copia indigent, si temperamentum, consuetudo & similia concurrant: nam in qualibet ætate, qui vividiores sunt, temperamenti calidioris, difficilius inopiam alimenti ferunt: eodem modo, qui pluribus alimentis assueti sunt, aut multis laboribus & exercitiis dediti: nam ubi fames, ibi laborandum non est. In temporibus anni & regionibus eadem ratio est, sicut in ætatibus; nam hyeme primum ventres naturâ calidissimi sunt, & somni longissimi, ideo eo tempore alimenta copiosissimè exhibenda erunt; secundò verè; pauciora autumno; paucissima æstate, comparatione aliorũ temporũ: similis ratio in regionib⁹; Nam in regionib⁹ frigidis homines majorem copiam cibi requirunt, quàm in temperatis; & in temperatis, quàm in calidis. *Vnde cognoscitur virium robur?*

Quātitas alimenti in sanis.

Commune præceptum in ſanis eſt, eam cibi copiam ingerere, quæ gravitatem ventriculo non inferat, nec reſpirationis parvitatem; cum ſanitatis ſtudium ſit, non ſatiari cibis, & ad labores impigrum eſſe; cibi verò tantum ingeratur, quantum par laboribus; quare peccant, qui vitam ſedentariam & in ocio literarum agentes, plurimam variorum ciborum copiam ingerunt, idq; præter conſuetudinem; qui enim parum laborat, minus comedat: verùm in iis, qui naturaliter frigido ſunt ventriculo, minus concedendum erit, quàm appetitus poſtulat, quia plus appetunt, quàm concoquunt: At ſi quis pravâ conſuetudine aut ciborum illectamentis pluſculum ingerat, optimum exiſtimatur unica die in ſeptimana, aut à meridie in meridiem à cibo penitus abſtinere, ſimulq; ſomno, & quieti indulgere: verùm ubi ex copiâ aut pravitate alimenti cruditas oritur, ſatius putatur parum alimenti, ſed boni ſucci cōcedere, quàm à priſtina conſuetudine multum recedere; imò in robuſtis aſſuetis poſt crapulam veſpertinam manè vinum indulgere. Verùm ſani benè valentes non tenentur, ita exactam victus rationem ſervare, ſed ægri aut valetudinarii.

Quātitas in ægris.

In ægris aut ſanis non benè valentibus debita quantitas alimenti æſtimari debet non ex ſolis viribus, ſed ex comparatione virium cum morbo, & morbificis cauſis: & quanquam virtus, quo robuſtior, eò majorem quantitatem indicat, tamen eam quantitatem magnitudo morbi minuit, & eò magis, quo magis urget morbus, & morbifica cauſa. Forma autem victus in morbis, manente eâdem conſtitutione, mutanda ſtatim non eſt, ſed potiſſimum quantitas prout morbus incrementum ſuſcipit; ut enim ſe habet victus tenuior & craſſior, ad morbum magis minuſvé acutum; ita ſe habere debet quantitas major minorq; ejuſdem formæ, ad

diverſas

diversas ejusdem morbi dispositiones: nam major quantitas ejusdem formæ, minus gravi ejusdem morbi dispositioni convenit; minor quantitas magis gravi; igitur virtus valida cum parvo morbo magnam alimenti copiam, cum magno morbo parvam indicat: debilis verò virtus, licet parvam quantitatem indicare videatur, tamen quia cum tali victu vires in certamine ad extremum morbi perdurare nequeant, igitur ut defectui virium occurramus, cogimur majorem copiam exhibere, aut sæpè parumq; ; Impura verò corpora, sive in ægris, sive neutris plenius nutrienda non sunt.

DE LEGITIMA QVALITATE ALIMENTORUM, AC debito tempore & modo, deque usu potus.

Caput XXII.

Qualitas victus sumitur ex qualitate sive proprietate alimentorum: alimenta autem ut supra diximus, alia tantum alimenti rationem habent, alia alimenta simul sunt & medicamenta, quæ calefaciunt, refrigerant, crassum aut tenuem succum gignunt &c. Idonea qualitas in victus ratione sumitur in sanis, ab ipsa natura, quæ vel ingenita est, & dignoscitur ex temperamento & ætate; vel acquisita potissimum longa consuetudine; cum his conjunge regionem, anni tempus, & cœli statum, quorum omnium eadem ratio non est; nam regio & cœli status, si temperata, similia indicant: si intemperata, semper contraria: at ætas & temperamentum, licet intemperata, non statim indicant contraria, nisi mediante consuetudine; si enim puer fuerit tempera-

Qualitas victus.

temperamento humidus ac humidis aſſuetus, humidum victum concedemus: at ſi vir ſit ſicci temperamenti, ſed aſſuetus humido victui, ſiccum non dabimus, ſed potius humidum; quia conſuetudinis, ut demonſtrat Gal. *cap. ult. lib. 8. Meth.* tanta vis eſt, ut indicatio ſumpta à conſuetudine, potior multò ſit indicatione ſumpta à temperamento & ætate: conſueta enim alimenta licet non ſatis boni ſucci minus moleſtant, faciliuſq; vincuntur, & jucundiora ſunt; jucundiora autem, ſed paulo deteriora melioribus ſed ingratis præferenda eſſe cenſet Hipp. *38. Aph. 2.* quia ſuaviora ventriculus melius complectitur & concoquit.

Quibus attenuans & incraſſans vict⁹ cõveniat?

In non benè valentibus, qui pituitam aut crudos humores coacervare ſolent, ſecurior eſt diæta attenuans, quàm incraſſans, nam obſtructiones aperit, craſſa extenuat, viſcoſa incidit & expurgat, ſed modicè alit & firmitatem corporibus nõ addit, quare ab attenuantium ciborum uſu bilioſos abſtinere convenit, quia ſeroſa & bilioſa coacervant, tandemq; ſanguinem atrabilarium: Cibi verò incraſſantes multum alunt, ſi in ventriculo & jecore probè concoquantur, verùm diuturnitate temporis jecur & lienẽ obſtruũt, tamen illi craſſâ diætâ tutiſſimè uti poterũt, qui latas venas habent, probè concoquunt, exercitiis dediti ſunt, benè dormiunt, taliq; victu uti conſueverunt: qui verò ante cibum ſeſe exercere nequeunt, alimenta craſſi ſucci vitare debent; optima igitur ſunt alimenta, quæ inter attenuantia & incraſſantia medium locum obtinent, ut ſupra dictum eſt. verùm à cibis pravi ſucci, & à magnâ varietate ciborum diverſæ naturæ, quorum alia celerius, alia tardius conficiuntur, abſtinendum erit, unde multæ corruptelæ & cruditas oritur. Malum quoq; eſt tempus cœnæ aut prandii ad

multas

multas horas extendere, ut primus cibus digeratur, quàm advenerit ultimus.

Præterea in cibis ordo obſervandus eſt, ut ea præcedant, quæ facilius ſuperantur, & longâ morâ in ventriculo corrumpuntur, citiuſq; deſcendunt, unde præcipit Gal. *2. de Aliment. fac.* mala perſica, ceraſa, & ſimiles fructus horareos, quia facilè deſcendunt, & facilè corrumpuntur, in primâ menſâ offerre: nam in ſanis, quibus ventriculus temperatus, beneq; conſtitutus eſt, conſultiſſimum videtur, liquida aut tenuia ſolidis præmittere: verùm iis, quibus ventriculus laxior eſt, præſtiterit in primâ menſâ ſolida & aſtringentia exhibere. Deinde robuſtis, aſſuetis craſſioribus alimentis initio prandii aut cœnæ (ut paſſim in Saxonia) cogimur aliquid conſuetudini indulgere: ac præterea in iis, quibus ſtomachus calidus eſt, & biliofis humoribus refertus, aut alimenta in bilem aut fumoſos vapores corrumpunt, præmittere ſolida tenuibus, aut ſimilis naturæ cibos exhibere, qui non facilè corrumpuntur, & calori nativo nonnihil reſiſtunt.

Ordo in cibis, & an liquida & tenuia ſemper præcedere debeant?

In ægris indicatio qualitatis victus à tribus potiſſimum ſumitur, à morbo, à conſuetudine, & à naturali temperamento: quibus additur aër ambiens; morbus contraria, conſuetudo & naturale temperamentum ſimilia indicant, aër, ſi morbus cõtrarius, è præſidiorum numero unus eſt; ſi ſimilem intemperiem habeat, contraria ut morbus exigit. Quod innuit Hipp. *16. Aph. lib. 1.* victus humidus febricitantibus accommodatus eſt, maximè verò pueris, & aliis, qui tali victu uti conſueverunt. Hæc indicantia interdum conſentiunt in unum, aliquando diſſentiunt potiſſimum morbus & conſuetudo, nam naturale temperamentum ſemper coindicat morbo, qui ſui ablationem indicat, unde reducitur æger ad priſtinum temperamentum: ubi autem in

Qualitas victus in ægris.

unum

unum conſpirant indicantia, ſtatim exhibendum erit; ſi diſſentiant morbus & conſuetudo, veluti ſi morbus calidus & ſiccus ſit, qui expoſcit victum frigidum humidum, & æger calido ſicco aſſuetus, cōſiderandum erit an tali victui aſſuetus ſit, quòd frigidorum humidorum uſu malè haberet, aut deterius, quàm calidis ſiccis, aut à frigido humido nihil incommodi percipiens; ſi prius contingat medio aut temperato victu uti debet, ſi ſecundum, morbo contrario victu occurrendum erit, ſed ſimul aliquid dandum conſuetudini, minus tamen, quàm in tertio caſu. Conſulit Hipp. *lib de Morbis*, laborantes tali victu uti, quali tempore ſanitatis uti conſueverunt, ſed primum adhibita correctione, juxta affectus naturā, deinde quia fortiora ſunt, detracto nōnihil ipſorum vigore pro magnitudine affectus, unde Celſus monet; cavendum eſſe ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur, quod evenire conſuevit, ubi ſani nimis molli & delicatâ victus ratione utuntur. Tandem in morbis ubi ardet appetitus cupiditate alicujus cibi etiamſi non ſatis boni ſucci, rariſſimè denegandum erit: nam cibus quo magis appetitur, melius concoquitur, & minus excrementi relinquit.

4. Tempus victus in ſanis. Quarto tempus offerendi cibi ſumitur à præſentia virtutis conſueto tempore potiſſimum urgētis, quæ ſemper conſervanda eſt, ſi nihil ejus actionem impediat; impedit in ægris morbus, in ſanis & ægris cibus prius exhibitus nondum concoctus, aut excrementa, quæ nondum excreta ſunt, nec deſcenderint, quibus dum natura intenta eſt, novos cibos perfectè concoquere nequit; quare in ſanis tempus cibandi optimum eſt hora conſueta ſanitatis priori cibo confecto & ventriculo exonerato, fameque nonnihil urgente; nam ut horam illam antevertere cruditatis cauſa eſt, ita tempus protrahere, & diu

famem

famem tolerare ventriculum pravis humoribus replet: at si consueta hora oportuna non sit, & ob vitæ institutum & negotia vacare nequeant, consultissimum erit, consuetudinem sensim pro vitæ instituto mutare; veluti qui variis reip. negotiis interdiu impediuntur, manè levi ingesto cibo, vesperi plenius cœnare, & à prandio potius abstinere, quàm nunc circa meridiem, nunc post horam 2. aut 3. pomeridianam prandere. Dandus autem cibus non est quo tempore à natura elaborari nequit, ideo anhelantibus ab exercitiis cibus aut potus offerri non debet, sed sedata prius turbatione corporis.

Tempus cibandi in ægris.

In ægris temp⁹ cibandi æstimatur ex virium præsentiâ juxta ægri consuetudinẽ tempore sanitatis, & virium tolerantiã; tolerant vires ægri facilimè cibum quo tempore minus à morbo gravantur; proinde in morbis, qui typos non habent, tempus sumendi cibi sit hora consueta tempore sanitatis: In continuis hora minoris afflictionis: in intermittẽtib⁹ tempus declinationis, aut hora quæ longissimè recedit à paroxysmorũ incursu; nam in paroxysmis cibos præbere noxiũ est: semper autem, si quis certo vivendi genere quamplurimo tempore sanus permanserit, ad aliã consuetudinẽ nullo modo reducẽdus est, quia, si illa vict⁹ cõsuetudo naturæ cõveniens nõ fuisset, eam tolerare nullo modo potuisset: at in ægris mala consuetudo & naturæ intemperatæ (ut monet *Gal. 5. de Sanit. tuend.*) mutandæ non sunt tempore ægritudinis, sed sensim tempore sanitatis.

Modus cibandi in sanis.

Tandem modus cibandi, an rarò aut sæpè, & singulis vicib⁹, an parum aut multum exhibendũ sit, æstimatur in sanis ex viribus tantum pro modo indigentiæ, in ægris habita ratione morbi; ac in utrisq; condonantes semper aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini, ut præscribit *Hipp. 17. Aph. 1.* Verùm sani benè valentes, ut monet Celsus

nullis

nullis obligare se legibus debent, nullum genus cibi fugere, quo populus utatur, interdum in convivio esse, interdum ab eo se retrahere, & bis in die potius, quàm semel in die cibum capere, & semper quàm plurimum, dummodo id concoquant, benè dormiant, seseq; frequentius exercere queant: verùm robustis plus semper exhibere convenit, debilibus parum sæpeq;, & hyeme, aut in regionibus septentrionalibus, plusquam æstate & in meridianalibus, offerre; & juvenes plenius sæpiusq; quàm senes, & assuetos, quàm non assuetos nutrire.

Modus cibandi in ægris. In ægris verò comparandæ sunt vires cum morbo: Vires aut sunt debiles, mediocres aut robustæ: morbus verò, aut cum humorum defectu, copiâ, aut corruptelâ: vires robustæ copiosa; debiles pauca; mediocres mediocria exigunt; humorum defectus copiosa indicat, ut deperditum reficiatur; humorum copia, pauca: corruptela, ut malignitas omnis contemperetur, copiosa alimenta: quare in morbis, si virtus sit valida cum humorum copia, ut in plethoricis, rarò paucis nutriemus. Sin vires validæ cum humorum defectu aut corruptione, sæpe multumq;, modo paroxysmi & symptomata non prohibeant; tum enim parum sæpeq; dare convenit; at si vires debiles fuerint cum humorum copia aut mediocritate aliqua, rarò & pauca offeremus, & eò minus quo major copia: sin vires debiles cum humorum defectu aut corruptione, parum sæpeq; exhibere decet, & in corruptione humorum epicrasi aliqua uti, sive paulatim evacuare, & paulatim reficere: nam impura corpora, quando magis nutries, tanto magis lædes, verùm in his dandum aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini.

Modus exhibēdi ci- Ad tempora quod attinet, æstate pauciora offerre convenit, quia vires debiles sunt ex defectu innati

innati caloris, ſed ſæpe, quia corpora plurimum diſſolvuntur: contra hyeme in ſanis, multa, ob vim caloris nativi, & rarò, quia corpora parum difflantur: in ægris verò licet poſita morborum inæqualitate virtus hyeme robuſtior ſit, quàm in æſtate, tamen, quia virtus naturalis membrorum non ita operatur in ſanis, ut in ægris, vincet indicatio ab ægritudine, indicationem ſumtam à viribus, ideo Avicenna in ægris hyeme minus exhibet quàm æſtate: & Galen. *Comm. 44. libr. 1. Acut.* minus exhibet temporibus minus calidis, ubi ex proportione defluxus, cibi quantitatem definit; vere medio aut æſtati proximo, pauca & rarò offeremus, quia eo tempore ægri aut plethorici ſunt, aut ad plethoricam diſpoſitionem proximè accedunt, ob fluxionem aut reſolutionem humorum, qui hyeme concreverunt. Autumnalis conſtitutio aſſimilatur morbis ex corruptione humorum, ideo ſi vires validæ ſint, multum & ſæpe cibandum erit, ſin debiles parum ſæpeq; , verùm ſani æſtate & autumno cibos difficilimè ferunt, hyeme facilimè, vere medio modo. Eadem propemodum ratio eſt in regionibus, ætatibus, & conſuetudine ſumpta indicatione à viribus & corporis diſpoſitione; nam ſingula aut fortes aut debiles vires & vim caloris nativi efficiunt vel arguunt. Deinde ipſum corpus diſponunt vel ad humorum copiam, vel ad corruptionem, vel ad utilis alimenti defectum; quare juvenibus ob robur virium & multam corporis difflationem plus, ſæpeque dandum quàm ſenibus; & ſeptentrionalibus, ob vim caloris innati, quàm meridionalibus; & aſſuetis ob robur virium, quàm non aſſuetis; & exercitatis ob multam difflationem, quàm non exercitatis.

Temporum intervalla in ſanis dependent potiſſimum à conſuetudine: In ægris magis incerta ſunt: ut ſupra demonſtratum eſt. Deinde certa quantitas ſingulis vicibus accuratè determinari nequit, ſed à viribus dependet, pro varietate concoctinis & diſtributionis alimenti per corpus, ac diſpoſitionis corporum & humorum in ventriculo aut venis: concoctio autem quiete perficitur, & potiſſimum calore nativo ad interiora retracto, ut in ſomno: digeſtio verò melius motu corporis & exercitatione: corpora autem alia melius comparata ſunt ad concoctionem, quàm diſtributionem, alia magis ad diſtributionem, ut calida ſicca, rari habitus, quæ latas venas habent, multiſq; laboribus dedita ſunt, multumq; difflantur; proinde qui melius alimenta concoquunt, quàm digerũt, ut diſtributio melior fiat, plus cibi in prandio quàm in cœna aſſumere deberent; contra, qui melius digerunt quàm cõcoquũt, ut meli⁹ cõcoctio procedat plus in cœna.

Prandiũ an cœna largius eſſe debeat?

Qui æqualiter digerunt & concoquunt, tantum in cœna, quantum in prandio, aut paulo plus, quia plus temporis intercedit inter cœnam & prandium; plus etiam in cœna aſſumant bene valentes, aſſueti plus veſperi ingerere, ac qui multis negotiis interdiu occupati ſunt; Verùm diſpoſitiones partium & humorum in ventriculo & venis, contrarium interdum fieri ſuadent: nam qui catarrhis, epilepſia & ſimilibus morbis capitis obnoxii ſunt, quia ſomnus caput replet, imprimis ſi adſit redundantia crudi humoris in ventriculo, tales à copioſa cœna abſtinere debent, & plus in prandio aſſumere. In convaleſcentibus aut extenuatis, qui longo tempore extenuati ſunt, lentè reficere oportet, imprimis alimentis ſolidis: qui brevi, breviter, alimentis magis humidis. Hipp. *7. Aph. 2.*

Exhibe-

Exhibetur autem potus, ut ex ſupra dictis conſtat, primum pro ſiti naturali reſtinguenda; Secundò ciborum gratiâ, (licet ex uſu ciborum ſitis etiam naturalis reſultet) ut in ventriculo commiſceantur; deinde elixentur, tandem ut chylus ad jecur per venas deferatur; tertiò pro ſiti non naturali vel morboſâ. *De potu. Potus triplex uſus.*

Potus pro ſiti naturali, quæ ex humidæ ſubſtantiæ defectu procedit, multi & citiſſimi nutrimēti eſſe debet, quale eſt vinum, cereviſia benè cocta, aliquando ſucci ex cibariis confecti: ſi ſitis ſit ex naturali marcore, exhibetur potus iſte quocunq; tempore, ſiti urgente in paulo majori quantitate, quàm pro conſuetudine; ſed ſi vires debiles fuerint, ſatius erit parum ſæpeq; bibere. *1. Potus pro ſiti naturali.*

Deinde potus pro deſcenſu & commixtione aut elixatione alimentorum in ventriculo commodiſſimè exhibetur, dum cibus aſſumitur, pro quantitate ciborum, itaq;, qui copioſum cibum aſſumit, copioſo etiam eget potu, ſed non confertim, aut ſimul quam plurimum, niſi virtus valida fuerit: nam qui robuſti non ſunt, & parum per ambitum corporis diſſipant, largum potum vitare debent, ne vis ventriculi lædatur, & fluctuationes oriantur: In calidis bilioſis naturis, aut dum alimenta levia ſumũtur, quæ in calore facilè diſſipantur aut corrumpuntur, potus ſit vinum tenuiſſimum, cereviſia tenuis &c. quæ ſuâ qualitate calorem contemperant: contra in frigidis naturis, aut dum aſſumuntur alimēta, quæ difficulter ſuperantur, potus ſit vinum, aut cereviſia potentior, quæ calorem nativum excitat: Pueris cereviſia aut vinũ tenuius, ſenib⁹ meracius cõvenit: Hyeme plus edere expedit, min⁹ ſed meracius bibere: At vere paululum cibo demendũ, adjiciendũ potioni, ſed dilutius bibendum potiſſimum æſtate. *2. Potus pro diſtributione & cõcoctione ciborum in ventriculo.*

Potus pro distributione alimentorũ per venas

Verùm post concoctionem ciborum in ventriculo, ut alimentum ad jecur per venas deferatur, aliqui potu nullo indigent, quia amplos meatus habent, & satis validam vim expultricem ventriculi, & attractricem venosi generis, aut alimentum suâ naturâ satis liquidum: alii, quia contrario modo se habent, potu aliquo indigent, qualis tenuium partium esse debet, ut secum facilius alimenta devehat; exhibetur talis potus potissimum post integram concoctionem ciborum in ventriculo, ubi ructus nullam qualitatem ciborum referunt, ad minimum post 4. horas aut 5. à cibo, quo tempore si siti molestentur, & gravitatem circa ventriculum senserint, bibere commodissimè poterunt; dum verò elixatur cibus in ventriculo, aut abstinere, aut parum assumere potus consueti, ne cibi in ventriculo fluctuent, & ea minimè amplecti queat.

Pot⁹ actu frigidi & calidi quibus conveniant?

An verò actu calidiores an frigidiores potus conveniant, dubitatur? nam actu calidiores teste Galen. *3. de San. tuend.* appetitum ciborum minuunt, fastidium pariunt, vires viscerum obtundunt, torporem mentis inducunt &c. nimis frigidus spirandi difficultatem, tusses, hæmorrhagiam &c. Nihilominus in sanis corporibus potus actu frigidior præferendus semper videtur, & potissimum in illis, qui calidum spirant; qui verò calidum spirant, magis frigidum appetunt; qui frigidum spirant, ad mensuram frigiditatis calidum desiderant: actu verò frigidus potus melius sitim restinguit, appetitum excitat, viscera roborat, nativum calorem auget; quare sanis porrigendus erit, potissimum juvenibus, robustis, exercitatis, sedatâ potius turbatione corporis, ac calidis temporibus; parcius senibus, pueris, debilibus,

libus, & qui viſcera imbecilla habent, ac etiam frigidiſſimis temporibus; nunquam pleuritide aut inflammatione viſceris alicujus laborantibus, nam talibus potus tepidus; aut actu calidus debetur; attamen nimia potus frigiditas ſanis interdum obeſt, potiſſimum, ſi confertim & ſubitò ingeratur, læduntur etiam frigidæ aquæ potu, qui aſſueti non ſunt, aut parum ſanguinis & carnis habent, quibus ventriculus & nervoſum genus debilia ſunt, aut multis cruditatibus referti, ac tumore, inflammatione, aut obſtructione viſceris laborant, item exercitati nondum ſedata perturbatione corporis; laudatur tamen potus aquæ gelidæ dulcis optimæ qualitatis in vigore febrium acutarum, apparentibus ſignis concoctionis; in aſſuetis, naturâ robuſtis, qui viſcera firma habent & ſucci plena.

3. Potus pro ſiti nõ naturali aut morboſa.

Potus pro ſiti non naturali, vel morboſâ variè adminiſtratur, pro varietate cauſarum: nam ſi ſitis oriatur ex ariditate ventriculi, potus ſit conſueto tenuior magiſq; humectans, ut vinum dilutum, aqua hordei, &c. paulatim ſæpiuſque bibant: ſi à caloris copia ſine ulla inflammatione viſceris, aut acri materia contenta in ventriculo, primum cibi & labores conſueti detrahantur, & actu frigidum bibant: ſi à totius corporis calore, potus ſit poteſtate frigidus, ſimulque tenuium partium, ut per totum corpus celeriter permeare queat: ſi à biliofis acribus humoribus in ventriculo, potus actu frigidos poteſtate calidos: ſi à ſalſis humoribus, potus nonnihil tepidos ſæpius & paulatim aſſumant, ut qualitas acris contemperetur. In morbis autem potus, præter quod ſitim reſtinguat, & vehiculi vicem gerat, non ſolum vires tueri, ſed etiam morbum, ejuſque cau-

ſam deſtruere aut ſaltem nulla tenus adaugere debet: unde potus alius ſimpliciter corroborans ſive nutriens, ut potus conſueti ſanis; alius curans ſive medicatus, qui morbo aut cauſæ morbificæ contrarius eſt, quales ſunt aqua hordei in feb. acutis, vinum aut cerevisia ex ligno ſancto in morbo gallico &c. Verùm ſanis benè valentibus non ita conveniunt vina medicata, ſed neutris gratia præcautionis; nec ægris in acutis, ſed in diuturnis morbis.

DE AERIS, QVIETIS ET MOTUS, SEU EXERCITIO-rum moderato uſu.

CAPUT XXIII.

De aëre.



INter res non naturales numeratur aër, cujus præ cæteris ferè rationem habere oportet, ſiquidem aërem continenter attrahimus & mittimus ad ſpiritus generationem, & caloris nativi contemperationem, præterea contactu ſuo corpora noſtra afficit.

Conſiderantur in aëre ſubſtantia & qualitas.

Conſiderantur in aëre ſubſtantia & qualitas: ſubſtantiâ autem ſua aër purus, tenuis, nitiduſque eſſe debet, nullis impuritatibus inquinatus: qualitate verò pro ſanis corporibus aër temperatus utiliſſimus eſt, pro ægris aut naturis intemperatis, aër ad contrariam qualitatem declinans, aut à natura talis, aut arte præparatus: aër purus nitidus tam ſanis quàm ægris convenit; at craſſus, impurus, inquinatus, omnibus inimicus; inquinatur, craſſiorq; redditur à pravis exhalationibus ex terra vel aquis, ex cadaverum corruptione, prava cœli diſpoſitione &c. putreſcit, ubi concluditur, caretque perflatu

flatu sive privatur ventis. Qualitas verò aëris oritur ex dispositione cœli, & potissimum ex motu solis: deinde ex positu & natura regionis: nam sol motu suo 4. anni tempora, diem & noctem constituit: vernum tempus & inprimis medium, naturâ calidum humidum est: æstas calida sicca: autumnus inæqualis, sed ad siccitatem & frigiditatem vergens: hyems frigida humida: Eadem ratio in partibus diei, sicut in temporibus anni: nam tempus matutinum respondet veri, meridies æstati, vespertinum tempus autumno, nox hyemi. Assimilantur etiam 4. septimanæ mensis lunaris, 4. anni temporibus. Hæc omnia tempora qualitates suas aliquo modo mutant pro natura & positu regionis; frigidiores enim sunt, quæ sub zona frigida sunt, & ad zonam frigidam declinant, calidæque magis ad zonam calidam, temperatæ in medio sunt. Deinde montes & loca montosa frigida sicca sunt, valles calidi humidi, planities temperatæ, maritimæ regiones calidiores, mediterraneæ frigidiores: similiter & loca, quæ ad septentrionem spectant, & perflantur ventis septentrionalibus, frigida sunt; quæ ad meridiem, calidiora &c.

Modus corrigendi aëris vitia in substantia & qualitate.

Decet autem medicum aërem accommodatum præscribere, aut vitia in substantia & qualitate corrigere. Corrigitur aëris corruptio & inquinatio, perflatione ventorum; & mutatione loci: venenata qualitas, ut in peste, vapore aceti, aut fumo ex baccis juniperi, myrrhæ &c. similiter frigiditas foco & similibus calefacientibus; caliditas refrigerantibus, veluti ad nimiam caliditatem æstivam contemperandam, ægri domos frigidiores eligant, quales sunt subterraneæ, aut ad terram versus septentrionem sitæ & perflatæ, extra radios solis, & pavimenta assiduo conspergant aceto cum aqua

rosarum, aut sternant foliis salicis, vitis, rosarum &c. præcipit Galen. *Comm. 4. in 6. Epid.* calidos loco frigido dormire, ut frigidum aërem inspirent, sed contectos stragulis calefacientibus, ut calor ab interioribus ad cutim revellatur. In aëre calido concluso, vel in vaporariis dormire, nec sanis nec ægris satis expedit &c.

3. De motu & quiete.

Tertiò electa commoda aëris temperie decet hominem sanum & ægrum in motu & quiete modum servare. Sub motu continentur primum motus leviores, ut levis deambulatio, vectio &c. deinde validiores scilicet exercitationes, quæ anhelitum mutant, & tandem crebram respirationem inducunt.

Exercitationũ differentia.

Exercitationes autem aliæ simpliciter tales sunt, ut cursus, saltus, &c. aliæ exercitationes simul & opera aut labores in usus vitæ, ut cum quis fodit, remigat, onus portat, venatur, &c. Deinde exercitationes aliæ fiunt cum robore sive contentione & connixu; aliæ sine robore, item aliæ celeriter, aliæ lentè; Exercitatio cum robore, sine celeritate valida dicitur, ut si quis magno onere sublato in eodem loco consistat, vel paululum procedat: at exercitatio robusta cum celeritate, vehemens vocatur, ut gravi armatura pugnare, remigare, ac in summa omnis valida exercitatio, si accedat celeritas motus. Exercitationes, quæ celeriter fiunt sine robore, sunt cursus, parvæ pilæ lusus &c. Tandem exercitationes aliæ continuò; aliæ cum intermissione fiunt, quædam brevi tempore; aliæ longo, & quædam totúm corpus æqualiter exercent, ut parvæ pilæ lusus; aliæ peculiares partes potissimum, ut saltus & cursus crura & lumbos, remigatio brachia & manus, magna respiratio & vociferatio pectus & pulmones &c.

Exerci-

De frictionibus.

Exercitationes veterum quædam anteecedere ſolebant, quædam ſubſequi, antecedebant frictio præparatoria, ſequebantur ἀποθεραπεία, id eſt, frictio recuratoria: aliquando balnea, licet frictio & balnea ſine exercitiis utiliter adhiberi queant.

Frictionis differētia & vus cuiusq;.

Frictionis differentiæ præcipuæ ſumuntur à quantitate & qualitate: ratione qualitatis frictio omnis vel dura, vel mollis, vel media: ratione quantitatis, multa, pauca, aut mediocris: ex his ſimplicibus novem conjugationes oriuntur: Dura autem frictio corpus indurat, cogit, denſat: mollis contra emollit, laxat, ſolvit: media mediam rationem obtinet: at multa carnem minuit, diſſolvit, & gracilitatem inducit: pauca eadem quantitate relinquit: mediocris carnē auget: quare dura mediocris carnem durā auget: mollis mediocris carnem mollem auget: multa dura carnem minuit & indurat &c.

Qualis frictio uni cuiq; conveniat?

Ex his facilè erit æſtimare, qualis frictio unicuique corpori conveniat: nam ſi quis ſanus mediocri corporis habitu præditus ſit, ei nec qualitate dura aut mollis, nec quantitate multa aut mediocris convenit, ſed pauca & qualitate mediocris, at ſi corpus molle, & ſupra modum reſolutum ſit, duriter fricare oportet: ſi corpus durum ſiccumvé, molliter: ſin gracile, ſine qualitatis alteratione decet reficere, & augere adhibita mediocri frictione in quantitate & qualitate: ſi craſſius emaciare, frictione multa & ſimul mediocri in qualitate, ſi corpus mediæ qualitatis, alioqui, ſi durius multa & molli, ſi mollius multa & dura &c.

Tempus modusq; frictionis.

Inſtituatur frictio potiſſimum mane poſt communium ſuperfluitatum excretionem, ali-

quando vesperi ante cibos: resiccatis autem, & qui lassitudinis sensum habent, & quibus cutis densitatem corrigere volumus, mollis frictio sit cum largo oleo dulci; at in raritate cutis ex balneis usuque veneris, &c. paucis quidem siccis frictionibus utemur primò, post cum oleo adstringente: in sola cutis humiditate, solis siccis duris frictionibus cum linteo. Vespertina frictio lassatis, resiccatis, & alimentis non sentientibus commoda est, post parcum prandium, peracta concoctione & subductis cibis è ventre, fricentur cum oleo dulci, ventre non contacto, sed prius tantum perfuso oleo nardino aut absynthii: initio autem corpus omne frictione intumescit, postea si pergas, gracile redditur & contrahitur: quare macilentis corpus ad tumorem tantum fricandum erit, sed si exercendi sint, prius desistendum, & potissimum in tenellis, contra in obesis.

Frictio præparatoria. Cum autem non liceat ex improviso validos motus aggredi, ideo veteres ante exercitationem usi sunt frictione præparatoria, ut partes solidæ emolliantur, humida solvantur, & meatus corporis relaxentur; alioqui metus erit, ne violento motu aliqua partium solidarum rumpatur, aut convellatur, aut meatus obstruantur: fricant autem corpus linteo primùm blandius, deinde sensim paulo fortius, donec incalescat, & cutis rubore suffundatur: tandem manibus medio modo adhibito oleo tepido: mensura statim accuratè definiri nequit, nisi experientiam aliquam naturæ illius adeptus fueris, cum alii sint ad exercitationem alacriores, alii segniones, &c.

Usus exercitationis. Servit exercitatio ad excrementorum inanitionem & εὐεξίαν sive bonum corporis habitum comparandum: Nam in exercitando corpore tria perfici-

perficiũtur, nimirum augmentum insiti caloris, spirituum citatior motus, & membrorum durities, & robur ex mutuo attritu; hinc cætera sequuntur alimentorum melior attractio, concoctio, & nutritio: excrementorum expulsio ob fortem spiritus motum, tam sensiles quam obscuros meatus expurgantem, actionum omnium robur &c. Nam ocium nativum calorem obtundit, vires corporis enervat, excrementorum copiam gignit &c.

Tempus exercitationis.

Verùm motus & labores immodici biliosum gracileque corpus reddunt; remissi & pauci ignavum; celer motus corpus attenuat & dissolvit, tardus rarefacit & auget; robustus indurat, & musculos validiores reddit; imbecillis emollit; vehemens extenuat simul & indurat: & quia exercitatio distributioni alimentorum per venas opitulatur, tempus oportunum exercendi corpora erit ante cibos peracta concoctione depositis alvi & vesicæ excrementis, ubi notæ bonæ concoctionis in urina apparuerint: quare qui crapula laborant, crudis humoribus referti sunt, aut cibi inconcocti copiam in ventriculo habent, aut alvi & vesicæ excrementa non deposuerunt, ab exercitationibus abstinere debent.

Terminus exercitationis.

Exercendum corpus, donec in molem eleve-tur, & floridum evadat, motusque exquisitè validi & æquales existant, sudor calidus vapori permixtus per totum corpus erumpat, cessandum statim; si unum horum remittere videatur, scilicet moles corporis contrahatur, floriditas contabescat, vigor motus sese remittat, sudor frigidior pauciorq; erumpat, ac etiam, si respiratio ad magnam celeritatem & densitatem ascendat.

Apotherapia.

Quo tempore veteres pædotribæ è vestigio oleo inunxerunt, & apotherapia, id est, recuratoria

frictio.

frictione usi fuerunt, quæ postrema pars est exercitationis probè peractæ, in eum finem, ut lassitudo, quæ exercitiis succedere solet, prohibeatur, & nonnulla sub cute excrementa expurgentur, cui usui subservit calor & mollis frictio, manibus potissimum affuso copioso oleo: deinde magna exspiratio, spiritusq; cohibitio. Nam spiritus cohibitione, tensis qui in thorace sunt musculis remissisque in abdomine, jecur, ventriculus, lien, &c. à spiritu attolluntur, & excrementa facilius descendunt, ut latius Galen. *cap. 2. lib. 3. de San. tuend.* Exercitatio licet ad sanitatem conservandam necessaria sit, tamen omnibus eadem non debetur: assuetis primum, deinde robustis validiores & vehementiores conveniunt; nam teste Hipp. *Aph. 49. lib. 2.* assueti solidos labores ferre, etsi imbecilles & senes, non consuetis, quanquam robustis & juvenibus facilius ferunt: consueta enim licet deteriora minus molesta sunt, attamen ut Hipp. præcipit, utile est sanis ad inconsueta transire: ac ut monet Celsus, nullis certis legibus obstrictum esse, interdum quiescere, frequentius se exercere, modo in urbe, sæpius in agro esse, navigare, venari &c. Verùm frigidæ humidæ naturæ magis exerceri debent, quàm temperatæ, & temperatæ magis, quàm calidæ; qui verò in ocio vivunt, aut propter certum vitæ genus exercitiis vacare nequeunt, victu tenuiori utantur, & ut præcipit Hipp. *1. de Diata*, alimenti tantum offerendum, quantum par sit laboribus, & labores cibos præcedant.

De balneis, & differentiis balnearum. Adhibetur quoque balneum post exercitia, ut apotherapeiæ pars, ad partes duras densas relaxandas, excrementa discutienda, sudorem aut pulverem detergendum. Balneum autem omne

fit, aut

fit, aut ex liquoribus, aut ex vapore, aut ex solida substantia, ut calida arena, sale, vinaciis: liquor potissimum est aqua dulcis, aut ex medicatis fontibus, sulphureis, nitrosis &c. aliquando ex decoctis herbarum, ex oleo, lacte, aut vino; &c. quorum omnium usus est, vel corpus evacuare per sudores, vel habitum corporis implere, ut in gracilibus, vel intemperiem alterare sive contemperare. Temporis mora in balneis est breve, longum aut mediocre.

Balnea veterum eorumq; partes.

Verùm balneorũ apud veteres 4. præcipuæ partes fuerunt: 1. hypocaustũ sive laconicum aut sudatoriũ balneum, in aëre calido à vaporibus ex igne succensis: Deinde triplex solium in vase, primum ex aqua calida, alterum ex aqua frigida, tertium ex aqua modicè temperata pro detergendis sordibus: additur his quinta pars, quæ à vestib⁹ exuendis ἀποδυτήριον vocatur.

Vires singulorum balneorũ.

Aër balnei, præcipuè ex vaporibus aquæ dulcis, primum calefaciendi, humectandi, & relaxandi vim habet, deinde, liquores concretos liquandi, & sudores eliciendi; tandem si diutius in eo morentur, exiccandi: aquæ ex medicatis fontibus pro sua qualitate partes alterant, ut sulphureæ exsiccant, calefaciunt, resolvunt: nitrosæ exsiccant, sordes abstergunt &c. Aqua calida dulcis per se quidem humectandi vim habet, sed primum adhibita calefacit, deinde exspirantibus calidis vaporibus, refrigerat, attenuat, & exsiccat: Aqua tepida sive modicè calida calefactos refrigerat, refrigeratos calefacit, simulque relaxat, & mediocri tempore adhibita impinguat, & excrementa sub cute coquit, longiori temporis morâ resolvit & discutit; quare naturis gracilibus calidis, & quibus calor mordax est, mediocri temporis mora

conve-

convenit; item melancholicis, hecticis, ac febribus ſiccis, ſitientibus: præterea laſſitudines arcet, dolores mitigat, cutaneis affectibus convenit: Aqua frigida refrigerat, ſed ſimul meatus conſtipat, denſam duramque cutim efficit, totumque corpus roborat, calorem ad interiora revocat, unde concoctiones juvat, & bonum præſidium eſt contra læſiones ab externis cauſis, ſi modicè rectaque ratione utamur: verùm qui augentur, & bona victus ratione ac exercitiis non utuntur, aut cruditatibus & conſtipationibus oportuni ſunt, & acres vapores gignunt, à frigida lavatione abſtinere debent, potiſſimum frigidis temporibus: oportet autem juvenes robuſtos non aſſuetos ad frigidam lavationem paulatim aſſuefacere, primùm æſtate modicè frigidam ingredi, deinde paulatim ad frigidiorem accedere, ſed ſemper præmittere frictiones; deinde poſt egreſſum corpus oleo fricare, donec cutis incaleſcat.

Modus balneandi

Verùm hoc noſtro tempore in plurimis regionibus balneorum non tam frequens uſus ut olim, nam qui aſſueti ſunt, ægrè ab uſu balneorum deſiſtere poſſunt; deinde frequens balneorum calidorum uſus corpora enervat, ſive molliora & debiliora reddit: attamen tam ſanis quàm ægris non rarò conferunt, ſed poſt ciborum concoctionem, ſubductis communibus excrementis: ſani autem evacuato copore balneum ingrediantur, & in eo tamdiu commorari debent, donec non amplius delectationem ſentiant, craſſiores & obœſiores jejuno ſtomacho potiſſimum poſt levem exercitationem, & primum corpus debito modo fricetur, poſt in vapore ſudor eliciatur; deinde ſolium aquæ calidæ ingrediantur ad quartam ferè horæ partem; hinc linteis amicti ad lectum deducantur, ubi iterum

rum dormire & sudare poterunt; tandemq; sudorem linteis detergere, & si visum fuerit, oleo inungi. In gracilibus verò, phtisicis, aut hecticis sudorem vitabis, & post balneum aquæ dulcis tepidæ in aquam nonnihil frigidam merges, si vires ferant, tandemq; eductos oleo violarum aut amygdalarum inunges, talib⁹ etiam convenit balneum lactis dulcis, item ut Gal. 2. *Simpl. c.25.* testatur, balneum aquæ dulcis cum oleo: Artificialia balnea conficiuntur ex decoctis variorum medicamentorum in aqua, pro variis usibus, ut calefacientes ex decocto origani hyssopi, pulegii, calaminthæ, flor. camomillini &c, emollientes ex decocto malvæ, altheæ Sem. Lini fœnugræci &c.

DE EXCRETORUM ET RETENTORUM, SOMNI ET VIGILIARUM, AC AFFECTUUM ANIMI moderatione.

Caput XXIV.

Quarto excreta nonnulla & retenta ad communem vitam omnium animalium pertinent, ut enim omnia aluntur, ita in omnibus retineri debet, quo alantur, & aliquid expelli, vel quod toto genere præter naturam, vel multitudine tantum alienum sit: triplex autem alimenti concoctio in nobis est, & quælibet sua excrementa habet, ergo in qualibet erit quod retinere & expellere oportet: in prima concoctione retinetur chylus, expelluntur feces: in secunda retinetur sanguinis massa, expellitur serum, & separatur ad lienem melancholia; ad vesiculã fellis & duodenum intestinum flava bilis: in tertia concoctione *De excretis & retentis.*

dum

dum ſanguis convertitur in verum alimentum, expellitur naturaliter primum materia craſſior, unde ſordes, & diſſipatur tenuior in vapores, vel efficitur ſudor; adduntur his nonnullæ conſuetæ evacuationes materiæ quantitatem excedentis ut menſium, ſeminis, lactis, hæmorrhoidum, ſputi &c.

Retenta & excreta quib⁹ modis peccēt & quomodo occurrendū ſit?

Si ſecundum naturæ modum, quæ accommodata ſunt, ad alendum retineantur, & quæ expelli debent, debito modo excernantur, ſanitas conſervatur; ſin retenta à naturæ modo diſcedant, veluti ſanguis in quantitate aut qualitate peccârit, aut conſuetæ evacuationes ſupprimantur, plethora, cacochymia, obſtructiones, conſtipationes, aliaque mala oriuntur, unde ſanitas labefactatur: Simili modo læditur ſanitas ſi humores expellātur, qui retineri debebāt, aut inutiles cum utilibus; aut inutiles non naturali via, quantitate, modo & tempore, quibus modis variæ concitātur fluxiones, vel intra corpus manentes, unde arthritis, angina &c. vel extra prorumpentes, ut in alvi, urinæ, menſtruorum, ſeminis profluvio, hæmorrhagiâ &c. vel partim intra, partim extra, ut in coryza, raucedine, catharrho ad pectus &c. Medici igitur erit his omnibus malis ſubvenire, & primum plethoram phlebotomia; cacochymiam purgatione; cæteraque retenta præter naturæ modum debita ratione evacuare, ut urinas diureticis; menſes, medicamentis eas moventibus; ſudores, balneis, exercitiis, frictionibus, medicamentis diaphoreticis, & decocto ligni ſancti, ſarſafras &c. Semen tempeſtivo veneris uſu &c. cibi abſtinentiam imperare, omnes conſuetas evacuationes revocare, obſtructiones aperire, ut in ſuperioribus capitibus magna ex parte demonſtratum fuit: ſimiliter fluxiones præter naturam concitatas legitimo

timo modo compeſcere convenit, ut in genere demonſtratum fuit in cap. 3. libri hujus, & ſuo loco latius in ſpecie, Deo volente, dicemus.

De Venere, & legitimo Veneris uſu.

In Veneris uſu, quemadmodum in cæteris excretis & retentis, modum ſervare oportet, retentum enim ſemen corruptum, varia inducit ſymptomata, quæ viduæ nonnullæ interdum experiuntur; verùm in multis nimia abſtinentia continentiam parit, dum humorem, ex quo generatur ſemen in alias partes tranſmittit, unde meatus ſeminarii areſcunt, membra genitalia ad ſuum munus inepta redduntur: Nam moderatus venereorum uſus, vegetas illas partes reddit, immodicus uſus mares magis quàm fœminas lædit, & ſpiritus diſſolvit, corpus refrigerat, caput, nervos, oculos & articulos potiſſimum debilitat, cruditates parit, mentem ſenſuſq; obtundit, oris fœtorem, ſanguinis mictum, phthiſin renalem & ſimilia parit: moderatus & tempeſtivus uſus multis prodeſt; nam non ſolum ad prolis meliorem procreationem ſervit, ſed etiam plenitudinem coacervare non ſinit, calorem nativum & ſpiritus excitat, corpus agile reddit, cor confortat &c. Ætas veneri aptiſſima eſt juvenilis & virilis, reliquis nocet, potiſſimum ſenibus & naturis ſiccis & debilibus. Ad tempus quod attinet, vere Venus tutiſſima; deinde hyeme, minus autumno; omnium minimè æſtate, quo tempore, ſi fieri poteſt, abſtinendum: Oportunè venus inſtituitur manè aut poſt primum ſomnum, peracta concoctione ciborum, in ventriculo, non ſtatim poſt cibum, crapulam, exercitia valida, nec tempore inediæ, aut poſt immodicas evacuationes, nec temporibus nimis calidis & frigidis. Ordo moduſq; ille obſervandus eſt, quem Hipp. 6. Epid. præſcribit, *labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia mediocria*: præcedant exercitia cibum, & potum, hæc ſomnum, ſomnus ve-

nerem, & iſta omnia fiant moderatè, non ſupra naturæ vires, ſed ut alacriores & vividiores reddantur.

De ſomno & vigiliæ eorumq́ legitimo uſu.

Quinto, vigilia & ſomnus animalibus ſecundum naturã conveniũt: vigilia perficitur functione animalis facultatis, ſomn⁹ quiete, ut vires multis laboribus defatigatæ reficiantur, deinde vigiliæ ad diſtributionem alimenti per corpus, ſomnus magis ad concoctionem confert: præterea vigilia ad expulſionem excrementorum, ſomnus magis ad retentionem: nam cunctæ excretiones naturales ſomno magna ex parte retinentur, excepto ſudore; verùm in utroq; modum obſervare convenit, nam immodicæ vigiliæ corpora exſiccant & attenuant, vires evacuant & debilitant &c. immoderatus ſomnus nimium humectat, calorem nativum obruit, excrementorum copiam gignit, mentem ſenſuſque obtundit. Somnus maximè naturalis, eſt nocturnus; verùm ut ab exercitatione cibus ſtatim ſumendus non eſt, ſed prius ſedatâ corporis turbatione, ita non ſtatim in cœna, dormiendum eſt, ſed interjecto tempore, nimirum poſt horam unam ad minimum, præmiſſa levi deambulatione, ut cibus ad inferiora deſcendat; dormire à prandio minus conſultum eſt, quia tempus diurnum non complet concoctiones; proinde à ſomno fluctuant cibi in ventriculo, veluti & aliis à ſomno nocturno intempeſtivè expergefactis: non aſſuetis à prandio dormire noxium eſt, inprimis qui catarrho, epilepſia, & ſimilibus capitis affectibus laborant. Spacium temporis nocturni ſomni ſit, quo compleatur concoctio ciborum in jecore & ventriculo, verùm cum actiones omnes pari tempore non perficiantur, non erit idem dormiendi tempus in omnibus: in ſanis benè valentibus terminus dormiendi definiri ſolet ſpacio 7. horarum: Super dorſum dormire non expedit, præcipuè initio ſomni, ſed ſuper latus:

an supra dextrum aut sinistrum, parum referre videtur, nisi assueti fuerint, aut partis affectus impedierit, licet satius esse videatur, initio somni supra dextrum dormire, deinde sub finem concoctionis in sinistrum sese convertere: Verùm, cum vigiliæ exiccent, somnus humectet, ægris laborantibus calidis aut siccis affectibus, somnus paulò longior confert, nisi adsit visceris alicujus inflammatio, quæ initio per somnum longiorem plerumq; augetur: in frigidis humidis affectibus præcipuè cerebri, quia ægri ad somnum immodicum proclives sunt, somnus sit solitò brevior, & à somno diurno prorsus arceantur, ac somnus nocturnus tantus concedatur, quantus virium restaurandarum gratiâ requiritur: Deinde initio paroxysmi febrilis, quando calor nativus ad interiora refugit, decet ægros à somno abstinere. & in declinatione, aut sub finem vigoris tantum dormire.

Postremo inter res non naturales numeratur perturbatio & tranquillitas animi, quæ motui & quieti corporis comparantur, ac non minus quàm illa corpus afficiunt: nam animi tranquillitas ocio & quieti correspondet, quæ aptissima est ad concoctiones perficiendas: perturbationes verò animi calidum innatum cum spiritu & sanguine variè movent, corpusq; afficiunt, ut in præcedenti libro dictum fuit: nam ira in corde calorem nativum vehementer accendit, & proinde totum corp⁹ calefacit: metus & mœstitia calorem ad interiora retrahunt, & marcescere sinunt, & externas partes frigidas relinquunt: contra gaudium profusum calorem cum spiritu in summa corporis ita effundit, ut partes externæ calefiant, internæ refrigerentur &c. Hæ perturbationes, si vehementiores fuerint, morbos, aliquando mortem inducere possunt: nam non pauci gravi mœsticiâ paulatim; multi

V I. Affectus animi, eorumq; moderatio.

pusillanimes confertim valido timore, & nimis perfuso gaudio, extincti sunt: per solam iram, nullo interveniente morbo, licet nemo extinctus sit, tamen quia ira vehementer calorem in corde accendit, & in corpus effundit, humores conturbat &c. varios morbos excitare solet: quare tam sani, quàm ægri immodicas animi perturbationes vitare debent, sed qui calidis morbis laborant, aut ad calidos morbos inclinant, iram, ut hostem potissimum fugere, animoq; tranquillo esse: verùm in soporiferis affectibus, & in aliis omnibus, in quibus calor nativus elanguescit, utile est, ægros ad iram concitare: in melancholicis á metu & mœsticiâ animum ad hilaritatem & gaudium convertere &c.

Hactenus de legitimo usu sex rerum non naturalium, in quibus consistit universa victus ratio, cujus observatio sanis & ægris necessaria est. Nam qui vitioso corporis habitu à natura producti sunt, moderato victu in alimentis, exercitiis &c. multa naturæ vitia corrigunt: contra multi licentiori & negligentiori victu bonas naturas corruperunt. Plerumq; tamen corpus sanum optimeq; constitutum omnia sibiipsi excogitat naturæ motibus impulsum, seu in omnib9 quicquid agendum fuerit naturæ quadam promptitudine suiipsius mensurã, modũq; invenit, præsertim si animus ipsius probè à puero fuerit institutus. Non enim tales multo plus, vel minus justo appetũt, ingeruntq;, nec vehementioribus laboribus, vigiliis, curis & affectibus facilè indulgent; in quibus minus semper metuendum est, ne in victus ratione delinquant, aut levioribus erratis citò offendantur.

FINIS.

Rerum

Rerum Memorabilium Index.

Balnea

B.

C.

F.

Hallu-

H.

I.

Indica-

Medica-

Phleg-


ERRA-

ERRATA TYPOGRAPHICA SIC corrigantur.

Pag. 1. lin. 30. πιήσῃ. l. ποιήσῃ. *P. 6. l. 34. sublevatur. l. sublimatur. p. 7. l. 36. elementis l. alimentis. p. 9. l. 6 Anatomia l. anatomia. Ibid. l. 8. evidentiam l. evidentium. p. 15. l 1. facultatum l. facultatem. Ibid. l. 3.* γερωνοιμινή. l. γερωνοιμική: *p. 29. l. 5. uncum ogit. l. unũ cogit. p. 33. l. 21. effecta l. affecta. p. 37. l. 10. activi l. actui. 45. l. 31. perfecta & sit, l. perfectum sit. 49. l. 22. temperatũ l. temperamentũ. 54 l. 5. ambientis l. ambientem. 59. l. 29 facultati l facultate. 65. l. 23. motũ l. totũ. 66. l. 16. qui l. qua 73. l. 25.* ἔμφυτον l. ἔμφυτος. *83. l. 8. aut l. &. 85 l. 15. secreto l. secretio. 91. l 25. tertio l. tertia. 92. l. 9. proreptus l. prorepens. 93. l. 3. transcurso l. transverso. Ibid l. 4. ventriculo l. vinculo. Ibid. l. 35. vires l vias. 95. li. 15. invitus l. invitis. Ibid. l. 27. oppositio l appositio. 96. l. 7. adcrescit l. adhærescit. 107. l. 22 gignitur l. gignuntur. 108. l. 19 binis l. bilis. Ibid. l. 21. clasteam l. glasteã. 110. l. 7. calore l colore. 114. l. 33. Recipiat, foveat, &c. l. recipiant, foveant, deducant. P. 115. in marg. dele: Organa & generationes. 116. in marg. Organa & generat. l. Organa generationis. 117 in marg: Organa &c. l. Organa generationis. P. 118. l. 26. excitatur l. excernitur. 124. l. 6. à nonnullis l secundum nonnullos. 127. l. 19. ita corrige: ut scilicet temp⁹ motus sit duplum formationis, & temp⁹ part⁹ triplũ motus. P. 132. l. 15. & l. è. p. 138. l. 11. generatione l. generationis. 140. l. 6. ita corrige: quæ in cerebri ventriculis generatur, & per nervos in organa sensus et motus distribuitur, functiones &c. Ibid. l. 33. cognitiones l. cognitionis. p. 141. l. ult cuniforme l. cuniformi. 147. l. 14. nervis. l. nervus. 148. l. 36. externi l. extremi. 152. l. 6. quã l. quem. 153. lin. 15. duo l. dua. p. 154. in marg: sapor l. odor. 156. l. 8. primariũ l primarũ. Ibid. l. 10. distinguitur l. distinguuntur. 164. l. 7. Galeno l. Galeni. 165. l. 21. secundã l. secundũ. 169. l. 6. individua l. dividua. Ibid. l. 17.* προθέσεως l. ἐκ προθέσεως. *p. 173. dele lin. 23. & 24. 176. l. 1. partes l partis. 181. l. 10. illi l. illius. 186 l. 24. quarũ l. quorũ. 188. in marg: duplex l. duplices. 189. l. 11.* πτέγιον l. πτερύγιον. *p 204. l. 27. parva l. prava. 209 l. 7. mediate l. immediatè lt. 8. immediate l. mediatè. 215. l. 11. moderat⁹ l. immoderat⁹. 216 l. 20 prætermissæ l. prætermissã. 233. l. 3. intrinsecus l. extrinsec⁹. 250. l. 26. colica l. cœliaca. 262. l. 21. et 26 rigore l. vigore. 273. l. 34. aut l. &. 275. l. 26. dicit l. dici. 313. l. 21. ventriculũ*

tricului

triculis.l. vermiculis.316. l. 30.transmittat l.transmittant. 318. l. 26.aliiq; l.aliaq; .325.l.31.epilepsia l.quā epilepsia.330.l. 12. quodcunq; l.quocunq;.332.l.12.nimirū l.nimiū.Ibid.l. 16. exerceatur. l. exerceantur.345.l.34. ὀρθόπνοια l. ὀρθόπνοια.*352.l.12. constans l. costas.364. l.4. capillos l.lapillos.367. l. 2. collectus l. collecta. 370. l.9.exsiccationes l. exercitationes. 385.l.18.pravumq; l. parvumq;. 410. l.15. dum, l.tum. 416. l. 30. significationis l. sanguificationis. Ibid.l.31.efficiens l.sufficiens. 421.l.6. calor l.color.425.l 16.erratilis l.serratilis.427.l.26.labascentes l. tabescentes. 454. l. 23. substantia l.substantia.460.l.33.obdurantur l. obturantur. 468. l. 35. obduratur l.obturatur. 483. l.8. refecta l.referta. ead.lin.quia l. qua. 484.l.6.citra l. circa.492.l.31.aquosi l.aquosa. 496.l.3.pravitas l. parvitas.498. l.33.* ὑδεριτίδες l. ὑδατίδες.*502. l.30. seorsum l.sursum.508.l.29. effectis l.affectis.509.l.27.acta.l. atas. 523.l. 24.habitus l.halitus. 529.l.32. menstruorū l. monstrorū. 530.l. 12. contineatur.l.continuatur.537.l. 26 si l.se.547.l.36. cruscula l. crustula 548.l.12.fomitu l.vomitu.568. l.16. circuitum l. circuituum. 576.l.8.potius l.potus.581. l.12.mediam. l.inediā.586.l.11. inaequalis l.aequalis.592.l.14. superiori disputatione l.superioribus. p.603. l.2.citio vè l.citovè.609.l.6. dubitus l. subitus. 620.l. 7. superiori disputatione l.superiorib⁹.649.l.23.caterib⁹ l.cateris. p.667. l. 25. partiū l.primarū.703.l.ult.affectibus l.effectibus.713.l 9. affecto l. affectu.Ibid.12.frigida* l.calida, *ead.* lin. & l. *non.* 721. l. 23. *alia* l. alii.725.l.22.*pathogia* l.*pathologia.*729.l.19.*mediū* l. *remedium. Ibid.*l.34.l*ac a* l.l*acca.* 738.*in marg: corrigentiū* l.*conservantium.* 754.l.23.*dicere.* l.*dicemus.*761.l.8.*purgare* l *purgari. Ibid.*l.20.*reducuntur.*l.*redduntur.*762. l.28. *sed* l.*quod.*763.l.26.*idem* l.*item.* 768.l 5.℥5.℥ß. *Ibid.*l.17. Diaprinus l.*Diapruno. Ibid.*l.18. *quarum* l *quorū. Ibid.*l.19. ℨ5 l.ℨß.*Ibid.* l. 22.*drach.5.* l.*drach.* ß. *Ibid.*l.32.*drach:15.*l.*drach.2.* 770.lin.26. *corticis, mediā* l. *corticis mediani.Ibid.*l.31.*purpurei* l.*purpurea.*771.l.24. *dele* Iuli.772.l.1. *hiera* l.*hiera. pag.*776. lin.ult.*adde : suprà de methodo medendi.* 780. l.16.*purgari* l.*purgati.*845. l.4.& l. *nec.Pag.*848.*in margine Modus exhibendi cibi singulis anni temporibus,pag.*864 l.28. *eas* l. *eos. In Indice* Caliaca 279. l. 205. 407:



CLARISSIMO ET EXCELLENtissimo viro,

DN. JOANNI CRAGIO

Regis Britanniæ archiatro,

S. D.

JOANNES CASELIUS.

Litteris, CRAGI clar. me, quod te minimè fugit, vel de negotiis agimus, vel de amicitia. Pauca mihi sunt negotia, quæ sic populus appellat, non ferè nisi propioribus: amicitia etiam cum longinquis, in quam ipsi me de prædicatione familiarium adsciverint: neq; non ipse mihi multos paravi ab adolescentia usq;, quos ob virtutem admirarer & litteras. Nostrûm autem utriusque animi utprimum coaluerint, fortè rectius nos doceat popularis tuus Duncanus Liddelius, qui inter nos studiosè, ut apparet, notitiam conciliavit, dum te hîc ad nos prædicat, & mei apud te amicam mentionem fecit. Quî enim non facere-

ret utrumque, qui te veterem habuerit, me non prorsus novum amicum habeat? Sæpe autem mihi exposuit, quemadmodum adolescens videndi exteras regiones desiderio, quale in singularibus ingeniis deprehenditur, è Scotia appulsa navi Dantiscum per Poloniam ad te primum venerit, cum in Academia Francofurdiana ad Viadrum publico loco magna cum laude & auditorum fructu maximo & mathemata doceres, & Logica solidè traderes, & illam omnem juventutem princeps ad Aristotelem discendum optima ratione cogeres. Nam cũ hærerent pleriq; in nescio quibus compendiis, sive potius lacunis, eruditè & feliciter digitum intendisti in ipsum fontem, & bonis ingeniis facilè persuasisti, ut ad optimum interpretem rationis se potius converterent, quàm inanes sapientiæ persuasiones sectarentur, quibus imbuti semetipsos non minus fallunt, quàm alios. Docebas enim, quotquot alucinantur in sententiis, nec veritatem abundè percipiunt,

eos

eos in cognitione liberalium, vitæque necessariarum artium, neque non in moribus & consiliis sæpenumero aberrare: quæ infelicitas multam adhuc in Republ. barbariem secum trahit. Idem ibidem ante te Borussus Justus Willichius nec infeliciter tentaverat, qui hoc quidem consilium nunquam repudiavit, sed ad faciendam medicinam se posteà contulit: cujusmodi vitæ cursum tu quoq; sapienter tenuisti. Cæterùm Liddelius etsi acceperat principia litterarum prima, & necessaria etiam ad aliquod fastigium eruditionis contendenti, tamen hærebat, quid porrò faceret: ibi jam desperantem consilio & ope adjuvisti, qui de ingenii ipsius felicitate benè ominarere, imò rectè judicares. Itaq; à te ille confirmatus, non ad aliquas doctrinæ particulas animum adjecit, ut pleriq; facimus, sed cum mathematicas disciplinas omnes, tum reliquas Philosophiæ partes, non solum te auctore, sed potissimo magistro, didicit, cum non minus feliciter, quàm obstinatè

natè tibi operam daret in annum tertium: etiam à physicis ad artis medicæ initia transiens ipsa simul maturè posuit fundamenta. Tum verò tu sub abitum in patriam, hunc popularem, & carum disciplinæ tuæ alumnum Uratislaviam misisti ad Andream Dudithium. Magnus enim ille vir cum esset variis scientiis præditus, uberrimo & cultissimo scribendi genere utebatur: quam facultatem sibi à puero paraverat, & in tractatione maximorũ negotiorum perfecerat. Hæc eò libentius tibi commemoro, quod mihi (etsi nos non videramus) amicissimus fuit, suamq; erga me benevolentiam litteris aliquoties declaravit. Eam mihi conciliaverat Joannes Crato, Imperatoris Medicus, qui tum emeritus in patria ætatem agebat senex. Ibidem loci Duncanus pergebat in mathematicis, quorum omnium certa initia à te acceperat, quod tibi ipse retulerit, uti nobis: Cujus studii ducem habebat eximium Paulum Wittichium, illius urbis civem, ut illa est ingeniorum

niorum felicisſimorum ferax: cumq́; plurimum apud te profeciſſet, accepit ab hoc viro, qui Henricum Bruçeum, & me aliquando in Acad. Roſtochiana ſalutavit, & de ſua arte cum illo potisſimum, ut faciunt doctrinæ & veritatis avidi, contulit: ex eo plenius didicit, quarum prima principia à te prius acceperat, παραδόξους ὑποθέσεις Copernici, quæ non injuria habentur admirabiles: Sed ego de re mihi obſcura ad virum perſpicacisſimi ingenii nihil neq; habeo dicere, neq; debeo. Reverſus ſub annum alterum in Acad. Francofurt. non ſolum ſe profundius demerſit in divinæ artis medicæ ſtudium, ſed & quibus jam excellebat antè dictis diſciplinis, eas docebat: præcipuè, quæ recens acceperat, credo, ut ſe magis confirmaret. Ita patiens erat laborum, ut & æquales & natu majores non ſolùm mathematicas diſciplinas ex Euclide, Ptolemæo & Copernico doceret, ſed etiã, quæ expetorentur, cæteras Philoſophiæ partes. Ex illis ſunt, qui ſic profece-

fecerint, certe ex ipso fundamenta acceperint, ut hodiè ibi publicè cū laude doceant. Quem cursum ille tertium annum teneret, non deseruisset, quoniam cum juventuti carus erat, tum Professoribus doctissimis magis innotuerat: sed cum morbus epidemius ingruens juventutem dissiparet, quid faceret? periculi evitandi gratia peregrinationem suscepit: quo tempore in Acad. Rostochianam in littore Balthico ad nos venit, juvenis doctissimus, hospes nemini nostrûm ingrat9; gratissimus censori ingeniorum acerrimo Henrico Brucæo, Medico & Philosopho primario; nec verò minus mihi: tum propter variæ doctrinæ copiam, tum ob modestiam & in discendo, docendoq; perpetuā diligentiam. Docebat enim quotidiè adolescentes, & ea, quâm à te methodum acceperat, nobis faventibus, quod quo magis animadverteret, detulimus ei dignitatem magisterii philosophici. Cum verò mihi esset familiaris, erat Brucæo familiarior, & hic cum excelleret in

mathematicis, Copernicæa illa ex hoc magiſtro didicit, & quidam præterea in mathematicis verſati, ſed illarum ὑποθέσεως imperitiores: neq; non recordor, ut & unà Ptolemaica evolverint, & ex intimis ſcientiis inter ſe ſæpè multa contulerint. Neq; tu ignoras, ut ab illuſtri mathematico Tychone è nobiliſsima Braharũ familia, aliquoties ob famam divinæ illius ſcientiæ accitus fuerit. Namq; inter te & illum primus notitiam & amicitiam conciliavit ex eadem illa diſciplina. Roſtochii quidem noſter hic univerſam propè diſciplinam plus una vice tradidit: ſed quod jam ſciam, primus in Germania, θεωρίας motuũ cœleſtium, ſimul ſecundum Ptolemæi & Copernici hypotheſin docuit: neq; non ſingulorum planetarum theorias adjunxit, ſecundum tertiam hypotheſin, cujus διατύπωσιν libro de ætheriis phænomenis proponit Tycho. Adſcitus poſtea in fortunatorum Livonum equeſtris ordinis conſortium, tertium conceſsit, quod illi ita vellent, ad Vi-

adrum. Sed excitati fama & frequentia recẽtioris Academiæ Juliæ, quo & ipse aliquoties & proposito præmio accitus venerâ, & eram tum jam, quo loco in Rostochiensi annos viginti fueram quinq;, huc sese contulêre. Divertêre rectà domũ meam: cumque Duncanus antè mihi fuisset familiaris, in intima mea familiaritate hîc hæsit: immò perpetuum habui domesticum nunquã cogitantẽ de nuptiis. Nec ipse de suis reb9 magis cogitavit, quàm ipsi fecim9, etenim altera professione mathematũ vacante, nõ putavimus negligendũ hunc hospitem, qui optato nõ sibi magis, quàm Academiæ advenisset. Valuit testimonium meum & censura Academiæ, ut ipsi munus, quod vacabat, demandaretur. Successit igitur primum Parcovio, in ordinem medicum cooptato: Successit ex intervallo & alteri doctori mathematum Hoffmanno, qui vir integer, & in sua arte præstans apud generosos Bartislebios hospes in vicinia obierat. Ita Duncanus munus mathematicum

in

in annum nonũ cum laude & utilitate auditorũ gesſit, ita ut interea medicinam faceret, & in hac quoq; novitios erudiret, p̃dicatâ à me antea diligẽtia. Sed & hoc tibi disertiꝰ exponam: vidi enim quotidiè quid ageret, homo mihi aliquot annos domeſticus & quotidiè familiaris. Hic ille primũ, ut in Academia recẽs cõdita, ex ipſis fontibꝰ univerſam geometriam, aſtronomiã & geographiam, etiam tertia vice explicavit: ſemper etiam theoricas cœleſtium motuum ſecundum triplicem hypotheſin propoſuit, idq́; adjuncto calculo: neq; ea non ſunt in manibus ſtudioſorum, quæ viri docti publicari velint, quibus morem ſe geſturum dixit, ubi aliquid otii nactus fuerit: quod nobis labores ex laboribus ſuſcepti facilè eripiunt. Nec præterea, quod pro dignitate ordinis philoſophici, & veræ philoſophiæ, refutatis recentiorum corruptelis pugnare magnoperè non deſtitit, quod monumenta declarant. Hoc autem eò difficilius eſt, quod inſcitia fautores paſsim plures,

nec eos nullius auctoritatis invenit. Noster autem hoc pacto sibi & bonorum partam jam benevolētiam auxit, & peperit invitus invidiam. Hæc pestis enim omni felicitati etiam optimi cujusq; hostilem in modum imminet, & privatorum rationes calumniis sive artificiis conturbat: unde necesse est publicè quoq; exoriri multa incōmoda. Namq; illa jurata virtutis inimica arcet cùm ab officio, tùm à republ. optimum quemq; & merendi studiosissimum: quod qui non expertus sit, bonorum puto vivere neminem. Neque tamen non ut densiores etiam nubes perrumpit Sol, ita invidiā si nō avertit, certè vincit constantia virtus. Etenim undecimo abhinc anno declarat9 Doctor artis medicæ ex intervallo suffragiis academiæ & decreto principis adscitus in ordinem medicorū, de juventute, ut antè privatim cœperat, ita simul publicè merit9 est annos aliquot, ut cum se nemini collegarū præferret, nemini tamen in hac dignitate se inferiorem gesserit. Mihi enim etiam di-

dignitas eſt, labor publici boni gratia ſuſceptus, & fideliter præſtitꝰ. Namq; & domi & publico loco docēdo & diſputando, deniq; etiā ſcribēdo, ſcholā medicam potiſsimū fulcivit: quod & hîc ad familiares prędico, & nemo negat: nec hoc facit ad cujuſquā dignitatem imminuendā, quod ἀρχίατρος ſæpius aulæ & vicinis proceribꝰ præſtò eſſet; cœteri definitū munus impigrè facerēt. Hoc igitur ille loco cum eſſet apud nos, hac ſecunda patria fortè cōtentꝰ eſſe poterat, in qua potiorē vitæ partem abſq; infelicitate, quod ego in memorabilibus bonis numero, egiſſet: ſed cū in Britanniā hoc rege ſemel atq; iterū navigârit, ſive tuo, ſive amicorū hortatu, ſive amore patriæ naturali, ſive aliis cauſis impulſꝰ, ad ſuos redit, in quibꝰ nos quoq; nō injuria habere poterat. Quin ſæpè patria inimicitiores dat: exterę regiones benevolentiores, quod ipsū fruſtra cōſiderare juſsi. Pridē hoc ex aliis audierā & credideram quod experiri nō optabā, ſed expertus ipſe fui. Cum enim à littore Baltico in

hanc

hanc oram Herciniam revertissem, veni quidem gratissimus amicis veteribus, qui mei accersendi auctores fuerant, & gratus plærisque popularibus, tamen in novis amicitiis, sive novitiis parandis fuêre mihi novæ molestiæ devorandæ, experiunda plurium dubia fides, perferendæ contumeliæ, plæræq; clandestinæ, neq; nullæ palàm: dum officium facio, nemini obsum, prodesse juventuti studeo: tamen mihi, meisq; conatibus rectissimis adversati fuêre non ita cives mei, ut exteri. Nec verò ego, nec de quo potissimum loquor, neque tu fuimus ingrati hospites: fortè non dictu opus sit, sed verum tamen, ut absq; gloria, quod verum est, de me loquar, in Megapoli, ut gratus hospes de illis præ aliis mereri studui, quiq; illinc veniunt, eorum nemini quidquam nego, quod à mea tenuitate proficisci possit, & prædico, quotquot virtute & litteris laudem meruisse censeo, qui sanè multi sunt illius gentis perhumanæ & beneficæ. Ego verò ne quidem amicissimum

mum ſuo incommodo teneam. Diſjungimur enim intercapedine locorum, quorum animi in perpetuum arctiſsimè cohærent: immò animis ſumus ſæpè conjunctiſsimi, atq; etiam ſententiis, qui oculis nos in vita non viderimus, dum virtutem ſpectamus, & veritatem reſpicimus. Velim Academia vel invitum teneat ob publicum bonum & decus ordinis medicorum: ſine dubio faciat ipſe Dux, ſi omnem rem ille cognoverit. Cum enim acceperit à beneficentiſsimo patre Julio hoc onus, ſive potius munus: idipſum & exornare velit, & multis modis amplificare, princeps litteris ipſe excultus & ſapientiſsimus. Hic verò etiam ab initio ſuæ adminiſtrationis non ſolùm ſumptum magnificè fecit in hoc negotium, ſed impendit quoq; cum cogitationes, tum labores, cum vacillarent omnia, & quorundam ſive conſiliis, ſive artificiis, ſive animi errore magnoperè eſſent turbata. Intelligit enim, quantum ſit in litteris boni, & in inſtitutione juventutis, qui-

bus aliqua pars curæ rerum committenda ſit. Hoc verò etiam longinquæ regiones cognoverũt, & principis hac in re animum & induſtriam paſsim prædicant ſcriptis etiam viri doctiſsimi. Verùm ea hîc incidit calamitas, & ipſa quoq; orbi Chriſtiano notiſsima, quæ ab artibus pacis, etſi cætera domi pridem conſtituta ſumma religione conſervantur, principem benigniſsimum, & ad beneficentiam natum atq; educatum, plures adeò annos deliberationibus maximis diſtinent, ut, quæ hujus generis ſunt, ad ipſius aures ab iis, qui de ipſis optimè ſentiunt, deferri difficulter queant: à me minimè hac ætate neq; litteris, neq; per alios. Aut enim talia habent neglectui, quæ minus intelligunt, aut ita ſunt ipſi quoq; occupati, ut quamvis ſapientes mihiq; amicos interpellare verear. Novi teneros præterea ſive faſtidioſos aulæ conſortium animos, qui ſenum moroſitatem non facilè ferunt, nec potentia ſe facile qua de re patitur commonefieri: adde quòd ſenes, qui non-
nihil

nihil de rebus humanis intelligunt, se sapere plusculum arbitrantur: falsò, qui negotia multos annos non pertractarint, alii rectè, qui tanquam spectatores attenti considerârint singula. Hæc tamen res magis mihi foret in proclivi, si integrum illud volumen de arte medica, ita à se perfectum, pridem emisisset in publicum: etsi me non fugit pleraq; hîc antè fuisse delineata atq; edita. Cæterùm de quo loquor volumine, etsi vobis nihil præjudico, qui hæc præ doctissimis viris & tractatis quotidiè & intelligitis, tamen de modo docendi & perspicuitate judicium non inscitè tulero. Cum enim ejusmodi multa legerim, & attentè considerârim, cum singulari approbatione legi plæraq; Duncania: quibus etiam hîc imbuere cœperat Joannem Cragium, fratris tui filium, juvenem magni ingenii & eruditum, & modestum, quem eo nomine ad nos miseras: gratus & ille mihi hospes fuit, & esset hodiè nobiscum, nisi motu superioris anni omnis

Aca-

Academia dissipata fuisset, quam ut fractę navis tabulas, illo nõnihil sedato, utinam penitùs consopito, paullatim recolligimus. Ille, quod statim cognoveris, tum Pataviũ abiit, cũ nostris litteris: interea ad nos scripsit, neq; nõ rescripsimus: facit, quæ ab ipso exspectãtur omnia, nõ minꝰ, quàm quando hîc erat: majore certè sumptu, & interdum hunc amicũ desideret. Italiæ autẽ quod hodiè fatũ sit, resciscemꝰ brevi: bellũ parari inter Pontificem Max. & Venetos, & hoc ex iis est, quæ orbi innotuerũt: quod tamẽ ego prius, quàm exardescat, extinctum iri & velim & ominor. Nemo .n. nõ bonus precetur, ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν, ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο. Cum maturè de cõmoditate mittendi accepissẽ, à verbositate mihi minus tẽperavi: etsi occurrũt inter scribendum alia ex aliis, quæ & ipsa libẽter legas: accipies autem ab eo, qui has perferet, & illa omnia, & alia, quæ nõ æquè litterarum sunt. Valę. Helm. ex Acad. Julia. Cal. Maij. cIↃ. IↃ. CVII.

AD

AD DUNCANUM LIDDELIUM, SCOTUM, PHILOSOPHUM ET MEDICUM EXIMIUM, Collegam in Academia Julia.



Vid Duncane tibi Germania nostra rependet,
Pro tantis meritis, quibus à te grata beatam
Gestit & obstrictam tibi dehinc se spondet in ævũ,
In precio antiqui donec sapientia secli,
Donec erit medico curati gratia morbi?
Vos ego nunc testor, populares, quotquot inante
Ad Viadri ripas, Varniq; ad amœna roseta,
Jamq; hæc sicca Elmi per tempea pluribus annis
Musæis avidè de fontibus ora rigastis:
Dicite, quis melius novit, quis rectius illo
Vos docuit, magni eximium quæcumq; Platonis
Prodidit ingenium, aut reperit mens nata Stagiris,
Judicioq; probata acri atq; examine justo,
Mandavit cartis ævo noscenda futuro?
Quæ nunc post tot secla manent integra, vigentq;,
Et puros animos mellito nectare pascunt:
Naturam rerum qui perscrutantur, & artes

Vivendi rectè, ac sese populosq; regendi,
Quæq;, ultra hæc, utraq; via deducit euntes,
Promta suis ad quæq; operis, doctrina ministra.
Ut tamen hæc ipsi & paucis communia credam:
Num quis in excelso cælestes doctiùs arces
Permeat, & fallace via minùs ambulat, unà
Cumq; astris & sideribus, quæcumq; supernè
Immensos complent multiplice lumine tractus?
Quisnam alius tam certa dedit compendia princeps,
Continuo, quà tutus eas, monstrantia ductu,
Tramite tam vario quo rarior incidat error?
Quotquot idem gelidis itiner calcatis ab ursis,
Hoc duce, quis vestrum est, quin gaudeat ire, vel o-
Hujus ponè sequi docili vestigia planta, (ptet
Si liceat, Dea si tantum sibi faverit Antij?
Prætereo terræq; plagas, latiq; profundi
Intervalla, lacus, amnes, montesq; nivosos,
Vallesq;, & loca plana, & deserta, & benè culta,
Urbibus aut vicis habitata, ubicumq; per orbem:.
Nil horum nescit: quasi viderit, omnia novit.
Res itidem passim, quovis & tempore, gestas;
Bellaq; pacatasq; quietæ Palladis artes:
Sedem aliam ex alia quæq; ut sibi quæsierit gens:
Imperia in populos quem crerint quæq; per orsum,
Inq; novos qua sint successus lapsa ruinâ.
His animos, juvenes, vobis formare Britannus

Mirificè studuit. Meliores undiq; facti,
Ingentes raro grates resonate magistro.
Factus ad egregia studia, ingenuosq; labores,
Pæoniam, magnis quoq; cultam regibus, artem
Pervigili cura longo jam tempore tractat.
Ingenio tanto atq; accincto talibus armis
Ludus erat, Coi senis exquisita reperta,
Artificisq; immensa volumina noscere Mysi,
Quæq; alij, post hos, seu Graij, sive Latini,
Sive Arabes, sive hos ævo inferiore secuti,
Mente cata adjecére humanæ gentis in usus.
Nec grave sollerti, verum secernere falso,
Demereq; indicio vulgaribus optima certo.
Julia gavisa est illo doctore frequentes
Omnibus è terris oriundos cernere alumnos.
Vosq; viri virtus opibus ditavit abunde,
Quas promsit sibi commissis ab Apollinis arcis,
Facunda dictans decreta salubria lingua,
Quæ vos usu ipso varias didatis in oras,
Corpora firma quibus maneant, sanentur & ægra.
Ipse graves fausto pellit conamine pestes,
Membra salutiferis recreans languentia succis
Servatur vita his, illis minus esse molesta
Incipit, ejecto, qui torsit viscera morbo.
Expertus dico. Mihi tenta hypochondria sæpe
Ultra lustra duo crudeli à tormine sedat.

Hactenus adsuetus multis afferre salutem,
Omnibus hinc toto sparsis mortalibus orbe
Consulere instituit. Phœbéi oracula sacri
Naturæ è latebris, recta ratione magistra
Eruta, cunctatus multum & vix tandem ab amicis
Victus consiliis, in commoda publica profert.
Vade liber; nec te dextro prodire volatu
Opto. Tuo genio propriaq; instructe fruére
Fortuna, gratus pariter juveniq; seniq;,
Innumeris manibus doctæ tractabere genti.
Te verò, Duncane, æternùm Julia amabit,
Æternasq; tibi decernit præmia laudes,
Doctrina sapiente suæ quod pectora pubis
Perfundis penitùs: vitâ sine labe quòd acta,
Exemplo monituq; easdem deducis in artes,
Promtus ad officium, nulli gravis, omnibus æquus,
Quem non fallit honos, non auri lamina flectit,
Immotus veri custos & fraudibus hostis:
Et quòd, publicitus quæ prosunt, prima recenses,
Omnia solius modulo metitus honesti.

Theodorus Adamius, judicii provincialis in Principatu Brunovicensi adsessor, & Pandectarum juris civilis in Academia Julia interpres, &c.

SUM-

SUMMO VIRO DUNCANO LIDDELIO SCOTO PHILOSOPHO ET MEDICO.

INgenio Geniis par, mente excelſior aſtris
Atq; animò, quem nec totum etiam orbis habet,
Omnia dum penetras, nec te explent omnia, ut unus
Quæ ſummis fuerant ſingula poſſideas
Nec tibi Ariſtotelis ſapientia, nec tibi Coï,
Socratis, Euclidis, Pergameiq; ſenis
Sufficit, & parvũ eſt tibi, quod dat Græcia, quicquid
Cum Phariis, Syriis, Indus, Arabs, Latium,
Ipſam creſcendo naturam vincere tentas
DUNCANE, & major teipſo etiam eſſe cupis.
Quære tibi atq; alium procul hinc proficiſcere in orbem,
Arctius hoc tantis hoſpitiũ eſt opibus.

Cornelius Martinus, Antwerpius, Profeſſor publicus in inclutâ Iuliâ poſui amico totos tres & viginti annos cognitiſſimo, familiariſſimo, probatiſſimo.

Ad Clarissimum Virum,

DN. D. DUNCANUM LIDDELIUM, Scotum, Medicum eximium, amicum observ. & carissimum.

Motus atq; polos & sidera nosse, quid illa,
Si non impediat quæ prima est causa, operentur
In nobisipsis, terrâ & regionibus infra
Sepositis, cur deficiat Sol, Luna laboret,
Quid prosint numeri, radius quem præbeat usum,
Jucundum est, fructumq; suum, sua commoda secum
Fert nec ea unius generis, πρὸς τἄλφιτα *quamquam*
Aut nihil aut minimum faciat, Regesq; deceret,
Cum tamen Alphonsos hodiè vix vivere credam.
Tu quantũ hîc posses, Duncane, *ubi Marchia fines*
Sauromatûm spectat, civis tuus indè reversus
Jamdudum in patriam Cragius laudare solebat;
Audijt alta Bratislaï qua mœnia surgunt
Vir gravis ac sapiens Duditius, Uranopyrgi
Brahiades Danaûm non ultima gloria gentis,
Ad Varni ripam & Balthen Brucæus, ad Helmũ
Julia, complures quæ te mirata per annos
Suspicit, & de qua benè te meruisse nec ipsa
Bascanie livore virens odiumq; negabit.
At quid in arte scias medica, quod regia Ditis
Hospi-

Hospitibus per te careat, dociliq; juventæ
Ut monstres morbi causas, præsagia mortis,
Quænam spes ægris, quæ sint tibi signa salutis,
Vidimus ipsi oculis his, expertiq; loquuntur
Quos operâ superesse tuâ dolet Æacus, imò
Juliados nostræ quid præstes pulpita dicunt,
Et præ mille alijs liber hic, liber aureus, in quo
Scribundo nulli veterum cessisse videris.
Queîs dapibus similes alias deprome, tuoq;
Ex locuplete penu cupidis satiarier expers
Invidiæ nec avarè apponas. Sic tibi laudes
Ac nomen paries, dignasq; merebere grates,
Quas solvent, quibus usui eris. Nihil amplius addo;
Sed volumus tamen, ut sola quæ te cunq; manebunt
Simus in his, quorum tibi sit meminisse voluptas.
Non tuus è nostro labetur pectore candor,
Non aliæ quibus excellis virtutibus, artus
Dum vis dia reget, vescemur & ætheris aurâ.

Rudolphus Diepholdius, Græcæ Linguæ Professor.

FINIS.



15/ cl
150